


3 Otto Harrassowitz ...

Bind 18/3/1 1-2

EDITIONUM COLLEGII HISTORICI ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS. N. 65.

MONUMENTA MEDII AEVI HISTORICA

RES GESTAS POLONIAE ILLUSTRANTIA.

TOMUS XVIII.

CONTINET:

ACTA CAPITULORUM NEC NON IUDICIORUM ECCLESIASTICORUM SELECTA.

VOLUMEN III. PARS I.

WYDAWNICTWA KOMISYI HISTORYCZNEJ AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI W KRAKOWIE N. 65.

POMNIKI DZIEJOWE WIEKÓW ŚREDNICH

DO OBJAŚNIENIA RZECZY POLSKICH SŁUŻĄCE.

TOM XVIII.

ZAWIERA:

AKTA KAPITUŁ I SĄDÓW BISKUPICH

TOM III. CZĘŚĆ I.

W KRAKOWIE

NAKŁADEM AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI

SKŁAD GŁÓWNY W KSIĘGARNI SPÓŁKI WYDAWNICZEJ POLSKIEJ

1908.

…RICI ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS
N. 65.


MONUMENTA MEDII AEVI HISTORICA RES GESTAS POLONIAE ILLUSTRANTIA.

TOMUS XVIII.

ACTORUM CAPITULORUM NEC NON IUDICIORUM ECCLESIASTICORUM SELECTA.

VOLUMEN III. PARS I.





…EJ AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI W KRAKOWIE

…. 65.

…PITULORUM

…C NON

…CLESIASTICORUM

…LECTA

…DIDIT

…NOWSKI.


…EN III. PARS I.


…M ECCLESIASTICORUM

…ADISLAVIENSIS ET GNEZNENSIS

…2—1533)







DRUKARNIA UNIWERSYTETU JAGIELLOŃSKIEGO
pod zarządem Józefa Filipowskiego.



SŁOWO WSTĘPNE.

Tom IIgi niniejszego wydawnictwa, który się ukazał w r. 1902, objął wypisy z ksiąg sądowych kościelnych dyecezyi Gnieznieńskiej i Poznańskiej. W następnym ukazać się miały zapiski pochodzące z tego samego rodzaju ksiąg dyecezyi Krakowskiej, Włocławskiej i Płockiej.

Względy wydawnicze kazały zająć się przedewszystkiem materyałem rękopiśmiennym znajdującym się po za Krakowem, a więc trudniej przystępnym. Z tego powodu oddajemy obecnie do użytku publicznego pierwszą część tomu III, w której znalazły pomieszczenie zapiski z ksiąg sądowych kościelnych dyecezyi Płockiej i Włocławskiej oraz wypisy z takich ksiąg sądowych Kaliskich i Wieluńskich (dyecezya Gnieznieńska), które odszukane zostały dopiero w toku niniejszej publikacyi a nie były nam znane w chwili, kiedy pracowaliśmy nad materyałem przeznaczonym do tomu II.

Prace przygotowawcze do drugiej części niniejszego tomu są na ukończeniu. Równocześnie ukaże się indeks do wszystkich trzech tomów. Zasady wydawnicze pozostały te same, co przy dwóch pierwszych tomach, dla tego w tym względzie odwołujemy się do Słowa wstępnego, które poprzedza każdy z poprzednich tomów.

Rękopisy, z których korzystaliśmy, przy niniejszej publikacyi, są następujące:

I. Księgi sądu kościelnego dyecezyi Płockiej.

a) Księgi przechowane w archiwum konsystorskiem w Płocku.

1. Acta episcopalia	Ia. 1499–1515.	5. Acta officialatus	Va. 1524—1525.
2. Acta officialatus	IIa. 1508—1510.	6. » »	VIa. 1528—1529.
3. » »	IIIa. 1508—1522.	7. » »	VIIa. 1529—1531.
4. » »	IVa. 1513—1516.		

b) Księgi przechowane w archiwum konsystorskiem w Pułtusku.

1. Liber inquisitionum	I.	1512—1521.	7. Acta episcopalia	VI.	1491—1497.
2. Acta episcopalia	I.	1449—1471.	8. » »	VII.	1499—1503.
3. Acta officialatus	II.	1461—1467.	9. Acta officialatus	VIII.	1509—1512.
4. Acta episcopalia	III.	1472—1489.	10. Acta episcopalia	IX.	1509—1514.
5. Acta officialatus	IV.	1475—1480.	11. Acta officialatus	X.	1512—1518.
6. » »	V.	1481—1490.	12. » »	XI.	1515—1521.

II. Księgi sądu kościelnego dyjecezyi Włocławskiej.

1. Acta officialatus	I.	1422—1428.	5. Acta officialatus	V.	1513—1517.
2. » »	II.	1428—1431.	6. » »	dissoluta	1502—1507.
3. » »	III.	1499—1503.	7. Acta episcopalia	I.	1480—1513.
4. » »	IV.	1503—1506.	8. » »	II.	1516-1533.

III. Księgi sądu kościelnego w Gdańsku.

1. Acta officialatus	I.	1468—1479.	2. Acta officialatus	II.	1480—1500.

IV. Księgi sądu kościelnego w Kaliszu.

1. Acta officialatus	III A.	1469—1480.	4. Acta officialatus	VIII.	1528—1540.
2. » »	VII A.	1519—1525.	5. » »	dissoluta	1465—1502.
3. » »	VII B.	1523—1528.			

VII. Księgi sądu kościelnego w Wieluniu.

1. Acta officialatus	IV.	1513—1522.	2. Acta officialatus	V.	1523—1543.

Zebranie materyału do tej pierwszej części III tomu było stosunkowo bardziej mozolne aniżeli przy tomie II^{gim}. Wymagało kilku podróży, i mimo największej skrzętności dopiero w ciągu roboty niektóre rękopisy wychodziły na jaw. Tylko dzięki niezwykłej łaskawości ks. Prałata Stanisława Chodyńskiego w Włocławku oraz Najprzewielebniejszej kapituły Płockiej i Kollegiaty Pułtuskiej możliwem było w sposób wyczerpujący opracować objęte niniejszem wydawnictwem zabytki rękopiśmienne. Najżywsza wdzięczność należy się też osobom i instytucyom, które w tak życzliwy sposób wspierały usiłowania wydawcy.



TREŚĆ



[1]) Przez pomyłkę w wydawnictwie zamiast VII A. pomieszczono »I«.

I. ACTA IUDICII ECCLESIASTICI PLOCENSIS.

A. 1448, Februarii 7, in Poltowsk in curia episcopali.

1. (Acta episc. I).. Coram Rmo.. dno Paulo D. g. episcopo Plocensi in causa compromissi per Boguslaum de Clambowo et Falislaum de Dambrowka ecclesiarum parochialium rectores in personam prefati dni Episcopi facti, dnus Episcopus vallata pena C flor. conspectisque iuribus parcium et ipsis hincinde auditis pronunciavit, quod plebanus de Dambrowka villas ecclesie sue pro parochia in privilegio inscriptas secundum tenorem privilegii procurare et cum iuribus parochialibus videlicet oblacionibus, colanda et denario s. Petri pro parochia tenere debet, salvis decimis kmethonum in villis duplici Laszkowo, triplici Dambrowka et Chayanty, quas plebanus de Clambowo, prout dudum habuit et possedit, cum suis successoribus perpetuo possidere debet; super quibus eciam dominus decrevit eidem privilegium renovandum. Preterea de agris plebani in Dambrowka in dotem ecclesie assignatis alias *poszwyanthne* sic pronunciavit, quod unus mansus plebani ibidem in Dambrowka prope ecclesiam emensuratus a solucione decime plebano in Clambowo, per quemcunque cultus fuerit, liber erit; reliqui vero mansi seu pecies agrorum eidem plebano et ecclesie sue in Dambrowka per patronos ipsius donati, dum per plebanum de Dambrowka culti fuerint, quicquid inde creverit, sine decimacione pro se tollet; quod si eosdem agros aut eorundem partem locaverit seu annuatim colendos vendiderit, is qui colet, plebano in Clambowo decimam totaliter more patrie manipulatim persolvet. Quasquidem sentenciam et penam ipse partes emologarunt, presentibus magnificis et venerabilibus dnis Paulo de Radzonowo, palatino Belszensi, Dobrogostio de Nowodwor, castellano Warschoviensi, Paulo de Golinino, decretorum doctore, plebano in Noszylsko, mgro Thoma de Xansch, archidiacono et officiali Poltoviensi, Petro de Radzimino, cancellario curie episcopalis, Stiborio de Gosczanczicze Plocensibus, Michaele de Slupcza Sandomiriensi, Caspero Curzeloviensi canonicis et me Przeczslao Nicolai de Ianczewo notario.

A. 1448, Februarii 28, in Gorzno in curia episcopali.

2. (Acta episc. I).. Rmo patre dno Paulo, episcopo Plocensi, pro tribunali presidente.. Petrus Cobilka, plebanus in Plone, recognovit, se copulasse virum cum uxore tempore Septuagesime anno presenti, nulla habita domini auctoritate, pro quo solvet penam ecclesie; item recognovit se absolvisse Nicolaum sartorem de Radzykowo pro percussione Falislai, plebani ibidem in Radzykowo, nulla super [hoc] habita auctoritate nec commissione. Ibidem idem Cobilka recognovit, quod noluit audire confessionem nobiles Petrum et Iohannem de Wanpyersko pro eo, quod non solvunt sibi ea, que patres eorum sibi solvere consueverunt, pro quo eciam ex sentencia domini solvet penam ecclesie. Et ibidem dominus condempnavit eundem Cobilka ad solvendum X gr. pro expensis et fatigis dictis nobilibus ad XIIII dies.

A. 1448, Aprilis 17, in Poltowsk in curia episcopali.

3. (Acta episc. I).. Constituti personaliter discretus Michael vicarius in Sarbyewo actor, ab una, et nobiles Iacobus et Nicolaus fratres germani de Szakowo heredes rei, partibus ab altera, sponte.. super omnibus litibus.. percussionibus et signanter super abscisione auris eiusdem Michaelis vicarii in Rmum.. dnum Paulum D. g. episcopum Plocensem tanquam arbitrum et compositorem.. compromiserunt.. Et dominus.. vallata pena C flor. medietatem pro ecclesia collegiata Poltoviensi et medietatem parti tenenti per partem contravenientem solvenda.. pronunciavit per suam sentenciam arbitralem: inprimis, quod prefati nobiles Iacobus et Nicolaus assumptis quilibet sibi duobus nobilibus veniam eidem facient vicario, dicentes: petimus te, dne Michael, causa Dei ignosce nobis delictum contencionis, nos etenim non causa criminis furti alicuius tibi aurem abscidimus, sed tanquam in contencione percuciendo et manus nostras in te animo iniuriandi iniciendo; — quod ibidem prefati nobiles iuxta sentencie prolacionem mox fecerunt et veniam postularunt et obtinuerunt; pro abscisione vero auris ex sentencia domini solvent idem nobiles prefato Michaeli vicario VII sexagenas solidorum.. dispensacionem autem idem nobiles ipsis a dno legato Baptista impetrent et obtineant de consensu eiusdem presbiteri; prefatus vero Michael vicarius pro dicte auris sue abscisione et aliis omnibus iniuriis cum eisdem nobilibus et eorum huiusmodi litis complicibus perpetuum habebit silencium sub pena predicta..

A. 1448, Aprilis 22, in Poltowsk in curia episcopali.

4. (Acta episc. I).. Rmo.. dno Paulo, D. g. episcopo Plocensi, iudicio pro tribunali presidente in causa nobilis Katherine contra Adam de Boguschicze maritum suum legitimum, dnus Episcopus.. per sentenciam suam amicabilem pronunciavit, quod prefatus nobilis Adam dictam dnam Katherinam, uxorem suam legitimam honeste servare debeat et tenere nec eam in aliquo membro suo mutilare, nec fame cruciare et mortificare nec eciam ad pascendum gregem et pecudes ac alios labores illicitos et inhonestos compellere, sed in omni honestate conservare, prout status suus postulat et requirit, ipsamque ad se reassumere infra hinc et unum mensem teneatur propriis sumptibus.. sub pena C sexagenarum per dominum vallata medietatem pro dno duce Boleslao et residuum pro ecclesia Poltoviensi convertenda..

A. 1448, Septembris 4, in Gorzno in curia episcopali.

5. (Acta episc. I).. Rmo.. dno Paulo episcopo Plocensi iudicio.. presidente, nobilis Iohannes Dlugosch, incisor curiae episcopalis, contra nobilem Nicolaum de Rokythnicza subvenatorem terre Dobrinensis familiaremque eiusdem dni Episcopi citatum proposuit pro V sexagenis et XX gr., pro quibus alias eidem nobili Dlugosch pro quodam nobili Iacobo Crokoczski cavit et fideiussit hic in curia predicti dni episcopi Plocensis, petens ipsum tanquam familiarem dni Episcopi compelli ad solvendum. Ex adverso prefatus nobilis Nicolaus, subvenator et familiaris episcopalis.. confessus est se pro eodem nobili Iacobo pro dicta summa cavisse et fideiussisse eidem nobili Dlugossio. Et dominus audita ipsius confessione mandavit per suam sentenciam diffinitivam de consilio dominorum iudicio presidencium iuxta modum et consuetudinem iuris sue curie solucionem predicte summe ad XIIII dies facere et impendere Dlugossio predicto sub pena *pyanthdzeszanth*; super quo idem Dlugossius adiudicatum solvit..

A. 1448, Octobris 4, in Poltowsk in curia episcopali.

6. (Acta episc. I).. Rmo.. dno Paulo episcopo Plocensi, iudicio.. presidente in causa honor. dni Allexii, canonici Poltoviensis, contra dnum abbatem monasterii s. Adalberti in castro Plocensi, canonicus proposuit, quomodo ipse dnus abbas et procurator suus sive decimator nuper anno presenti hominibus ipsius canonici de Boby tempestive decimare noluit sepius petitus per eosdem et requisitus, quousque idem kmethones promiserunt sibi de agris predialibus abbatis frumenta in oreum inducere, per quam.. inadvertenciam abbatis et factorum suorum frumenta kmethonum sunt destructa per pluviam et annichilata; et hiis non contentus coegit et compulit ipsos kmethones ad parandum acervos sibi in alia hereditate videlicet in Chmyelewo, contraveniens sentencie arbitrali per dominum late, iniuriam revocans a quolibet kmethone seorsum ad I sexagenam, petens ipsum abbatem compelli ad solvendum et in pena vallata condempnari..

A. 1449, Februarii 18, in Poltowsk in curia episcopali.

7. (Acta episc. I).. Rmo.. dno.. Paulo episcopo Plocensi, iudicio.. presidente, in causa nobilis Nicolai de Smlodowo contra nobilem Elizabeth Mathie de Czyszewo, iudicis Nurensis, prefata domina ex mandato domini.. purgando suam innocenciam et famam per dictum maritum suum.. denigratam iuravit, quod in hiis, de quibus inculpata fuit per prefatum maritum suum, innocens fuit et est. Et ibidem pro maiori et lucidiori purgacione ipsius nobiles domine Katherina Swanthoslai, Katherina Iohannis de Dmochowo, Dorothea de Godlewo..[1]) consors Iohannis de Kanthlewo..[2]) Bronischewa de ibidem et..[3]) Iacobi uxor Katherina de Gladczino.. iuraverunt, quod credunt dictam dnam Elizabeth de hiis, de quibus inculpata fuerat per virum suum, iuste et sancte iurasse. Et dominus audita ipsius domine purgacione decrevit et per sentenciam suam pronunciavit, quod idem Nicolaus prefatam dnam uxorem suam tanquam de inculpacione sua innocentem et purgatam ad se reassumere debebit et ipsam favoribus matrimonialibus prosequi, facta prius.. de indempnitate vite ipsius domine caucione sufficienti..

[1]) [2]) [3]) Kropki w trzech tych miejscach nie oznaczają żadnego opuszczenia dokonanego w tekscie przez wydawcę, ale znajdują się w samym rękopisie.

A. 1449, Februarii 19, in Poltowsk in curia episcopali.

8. (Acta episc. I).. Dno Paulo D. g. episcopo Plocensi pro tribunali presidente, plebanus de Maluzyno, Stanislaus, contra dnum Petrum, plebanum de Wyrzbowyecz, proposuit, quomodo ipse plebanus de Wyrzbowyecz contra prohibicionem sinodalem in parochia Maluzyno per quendam Blasium novum presbiterum publice mendicavit et suam parochiam ludificando agnellis et aliis rebus spoliavit et ipsum presbiterum in equis suis ad mendicandum misit et de mendicatis in domo sua usum habuit petivitque eum puniri pena statutorum et sibi condempnare in III sexagenis, in quibus ipsum huiusmodi mendicitate dampnificavit. Ex adverso plebanus de Wyrzbowyecz negavit.. plebanus de Maluzyno probabit super eundem die tercia statim post felicem dni Episcopi in Iunyecz ingressum..

A. 1449, Aprilis 2, in Gorzno in euria episcopali.

9. (Acta episc. I). In causa nobilis Nicolai de Rokythnicza subvenatoris Dobrinensis contra discretum Iacobum, plebanum in Swedzebna, nobilis.. proposuit, quomodo ipse plebanus censum in kmethonibus ipsius nobilis ibidem in Rokythnicza ultra morem et consuetudinem parochie extollit, qui kmethones prius a consuetudine antiqua non plus solum per VIII denarios de quolibet manso pro sustentacione ministri ecclesie in Swedzebna solvere consueverant annuatim. Ex adverso idem Iacobus plebanus ad proposicionem dicti nobilis respondendo allegavit, quod ex consuetudine laudabili antiqua per parochianos et incolas parochie sue in Swedzebna pro dicti ministri sustentacione solvebantur LXXX grossi, quos hodie solvere recusant et contradicunt, quod plebanus probabit ad primum domini huc ingressum felicem

A. 1449. Aprilis 4, in Rosczyschewo.

10. (Acta episc. I).. In villa Rosczyschewo et domo habitacionis nobilis dni Zemak, heredis inibidem Plocensis diocesis Rmo.. dno Paulo, D. g. episcopo Plocensi, iudicio.. presidente, in causa nobilis dne Katherine, relicte Iacobi, et Petri filii sui, heredum de Borowo, contra discretum Stephanum, plebanum in prefata Rosczyschewo, super oraculo in prefata Borowo sub parochia ecclesie in Rosczyschewo fundato et erecto et locacione presbiteri in eodem et nonnullis aliis iniuriis inter ipsas partes.. suscitatis, dominus.. per suam sentenciam amicabilem.. decrevit: inprimis videlicet, quod ipse Stephanus, modernus plebanus in prefata Rosczyschewo et successores sui.. habebit et perpetuo possidebunt I mansum agri cum area inter agros kmethonum ville Borowo iacentem mensure Culmensis, quem ab antiquo ibidem in Borowo tenuit et coluit, cum orto et alia area eidem orto contigua liberum et ab angariis et quibusvis solucionibus solutum et exemptum, racione cuius dotacionis ipse Stephanus, plebanus modernus in Rosczyschewo, cum successoribus suis tenetur statuere et collocare presbiterum ydoneum circa oraculum predictum in prefata hereditate Borowo et eundem de bonis ecclesie sue stipendiare, salariare et contentare, qui circa ipsum oraculum personalem residenciam faciens divina missarum solempnia peraget et infirmos procurabit et clericum pro ministracione misse valentem secum tenebit et habebit, et sacrarium pro conservacione sacre Eukaristie sacramenti in eodem habebit oraculo, fonte baptismali prorsus excepto; omnes autem incole villarum videlicet prefate Borowo,

Stopino et Czachori pro sacramento baptismi, quociescunque opus fuerit, pro confessione vero et Eukaristie sacramentis tempore Quadragesime circa festum Pasche annis singulis percipiendis non alibi quam ad ecclesiam eorum matricem seu parochialem in Rosczyschewo confluent et recurrent; et divina missarum solempnia sexcies in anno in festis infrascriptis, videlicet Annunciacionis et Assumpcionis b. Marie, Pasche, Penthecostes, Corporis Christi et Nativitatis Dni, in quibus tunc missa in prefato oraculo celebrari non debet, prefati incole trium villarum predictarum in ecclesia ipsorum parochiali in Rosczyschewo tenebuntur audire et oblaciones eorum offerre, ac suorum non alibi quam circa ipsam ecclesiam in Rosczyschewo tumulabunt corpora defunctorum, capellanus vero sive presbiter per plebanum in Rosczyschewo circa oraculum predictum in Borowo constitutus et kmetho suus in prefata hereditate Borowo ligna pro igne necessaria more incolarum villarum predictarum trium, videlicet Borowo, Stopino et Czachori, libere excidere poterit et secure sine cuiusvis prohibicione; quam sentenciam partes eedem assumpserunt..

A. 1449, Novembris 17, in Wyschkowo in curia episcopali.

11. (Acta episc. I).. Rmo patre dno Paulo, episcopo Plocensi, iudicio presidente, in causa nobilis Iohannis Zagorsky contra discretum Falislaum, plebanum in Dambrowka, et nobiles Iacobum de Laszkowo, Troyanum de alia Laszkowo, Petrum fratrem eiusdem Troyani, Andream filium Brath de Dambrowka, Welislaum de Chayanthy et Venceslaum de Laszkowo, prefatus nobilis Iohannes Zagorsky.. proposuit verbo, quomodo preter scienciam et omnem voluntatem suas ad ecclesiam parochialem in Dambrowka predictam iure parochiali est ascriptus et adiunctus et ab ecclesia in Clambowo, ad quam prius pertinuit et spectavit, est alienatus, petens se restitui ad ecclesiam in Clambowo, ad quam ab antiquo pertinebat et spectabat. Ex adverso prefatus plebanus in Dambrowka et predicti nobiles allegaverunt, quod villa Rascowskewole tempore adiunccionis seu ascripcionis pro ipsa ecclesia in Dambrowka fuit locata, sed nondum eidem libertas expiraverat, villa autem Rosczes eiusdem nobilis Iohannis Zagorski primo fuit emensurata, sed nondum culta nec possessa, propius autem distat ab ecclesia in Dambrowka et ad eam magis tutus eis patet accessus, quam ad ecclesiam in Clambowo. Terminus eisdem partibus continuatur ad audiendum voluntatem dominorum ad proximum capitulum Plocense, ubi partes cum iuribus et privilegiis eorum desuper habitis et confectis comparebunt; presentibus ibidem dnis Paulo de Golin no decretorum doctore, Iohanne cancellario et Stiborio de Gosczanczicze prelatis et canonicis ecclesie Plocensis et me Przeczslao Nicolai de Ianczewo notario.

A. 1449, Novembris 26, in Poltowsk in curia episcopali.

12. (Acta episc. I) . Coram Rmo patre dno Paulo, episcopo Plocensi, iudicio presidente in causa ecclesie nove in Zaramby, idem dnus episcopus de consensu honor. Sdzeslai prepositi in Zuzola tunc ibidem presentis villas infrascriptas cum ipsarum nobilibus videlicet: Nyewalth, Campiste, Simonem et Petrum de Borowe, Golambyewo, Sclody triplex, Damlowo et Camykowo tantum ad beneplacitum sue Ptis, Paulum Zaramba et Msczyszek Zaluszka eidem ecclesie in Zaramby

nove fundacionis ascripsit et incorporavit ad tempora perpetua in parochiam. decernens, quod amplius et de cetero in prefata ecclesia in Zaramby omnes nobiles predicti cum suis incolis divina audiant officia et ecclesiastica percipiant sacramenta. De incorporacione autem et ascripcione villarum Usczanek et Canthlanka prefatus Sdzeslaus prepositus in Zuzola contradixit. Et dominus audita dicti Sdzeslai prepositi de predictarum duarum villarum incorporacione contradiccione, ipsas hac vice incorporare distulit usque ad meliorem sue Ptis deliberacionem..

A. 1449, Decembris 22, in Iunecz in curia episcopali.

13. (Acta episc. I).. Constitutus personaliter honor. dnus Iohannes Zowka, plebanus in Iunecz, recognovit se teneri nobili Pelka de Oszek XII sexagenas mediorum gr., pro quarum solucione nobilis Sandivogius de Gawarzecz ad ipsius Iohannis plebani peticionem eidem Pelka cavit et fideiussit. Qui dnus plebanus non habens, unde easdem XII sexagenas persolvat, obligavit eidem nobili Sandivogio in eisdem XII sexagenis decimam manipularem ad ipsum spectantem in villa Borukovo ad extenuacionem dictarum XII sexagenarum ad II annorum decursum sese immediate sequencium, decima canapis pro se reservata. Et si idem nobilis dictam decimam carius venderet, extunc residuum eidem plebano restituere debebit et tenetur; sin vero levius, extunc pro alio anno tercio dictam decimam tenebit nobilis predictus et levabit et residuum XII sexagenarum, si quid ultra per eosdem annos percepit, ipsi plebano restituet et persolvet.

A. 1450, Aprilis 10, in Mankolino in curia episcopali.

14. (Acta episc. I).. Rmo patre dno Paulo, episcopo Plocensi, iudicio non (s) presidente in presencia dnorum Petri Luba cancellarii et Stiborii de Gosczanczicze canonicorum Plocensium in causa nobilis Alexandri de Sobanycze contra Paulum plebanum in Zukowo, nobilis proposuit verbo, quomodo nuper anno presenti II septimanis intrando ieiunium publice in ambone ecclesie ibidem in Zukowo dictum nobilem Alexandrum verbis iniuriosis dehonestavit coram multis eiusdem ecclesie parochianis hiis verbis: ecce videtis, quomodo dedit se iste nobilis Alexander depingere in thabula ista humiliter, et ipsius anima cum corpore suo est iam in inferno depicta, tantum umbra ipsius hic incedit; — iniuriam revocans ad M florenos.. Item proposuit, quomodo idem Paulus plebanus novissime, feria videlicet II[da] festi solempnis Paschae, in ambone eiusdem sue ecclesie publice in medio sermonis eundem nobilem dehonestavit hiis verbis: videtis, quomodo iste Alexander se humiliter depinxit, cum tamen talis non existit, est enim deceptor, mendax et falsarius; — animo iniuriandi, iniuriam revocans ad mille similiter florenos..

A. 1450, Aprilis 20, in Iunecz in curia episcopali.

15. (Acta episc. I).. Constitutus personaliter honor. dnus Iohannes plebanus in Iunecz, recognovit se teneri nobili et famoso dno Wylhelmo consuli civitatis Gdansk presenti XXX *laschty* siliginis ad terminos infrascriptos: V videlicet *laschty* solvet eidem dno Wylhelmo in oppido Zacroczim in ripa fluvii Wyszla an. Dni MCCCCLII sabbato ante Dom. Quasimodogeniti, VII vero *laschty* eiusdem frumenti anno extunc immediate sequenti in eodem termino ac loco solvet eidem, et pro anno tercio post dictos II annos immediate sequenti VIII *laschty*, et pro

anno quarto post predictos tres sequenti immediate residuum dictorum XXX *laschty* in die seu termino ac loco eidem persolvere et reponere se summisit et obligavit sub penis excommunicacionis..

A. 1450, Aprilis 24, in Poltowsk in curia episcopali.

16. (Acta episc. I).. Rmo patre dno Paulo, episcopo Plocensi, iudicio pro tribunali presidente, presentibus dnis Paulo de Golinino, decretorum doctore, Thoma de Xansch, archidiacono et officiali Poltoviensi, Iohanne de Sdzari, cancellario Petro Luba de Radzimino et Stiborio de Gosczanczicze, canonicis Plocensibus, in causa discreti Stanislai Wyszna gracialis in Lomsza contra Iohannem Zolandek, sartorem de ibidem, Stanislaus.. proposuit, quomodo idem Iohannes nuper anno presenti die dominico festi Pasche dehonestavit ipsum Stanislaum coram multis hominibus eiusdem ecclesie parochianis, dicens, quod ipse Stanislaus eodem die dominico insufficienter et indebite pronunciaret in ambone publice Ewangelium in hoc, quod non dixit, quod dnus Ihesus ostendit se in orto Marie Magdalene tanquam ortulanus cum fossorio alias *rydlem*, animo dehonestandi et iniuriandi, iniuriam revocans ad CCC flor., petens eosdem et ipsum compelli ad revocacionem verborum predictorum coram illis, coram quibus talia proferebat. Ex adverso prefatus Iohannes Zolandek confessus est se verba dixisse predicta et eadem replicavit tunc iudicialiter manifeste dicens: in eo insufficienter iudicasti, quia obmisisti, quod eum Maria viderit cum fossorio tanquam ortulanum, cum tamen hoc scriptum sit in Ewangelio s. Marci, quod predicasti.

17. (Ibidem). In causa discreti Bartholomei, vicarii ibidem in Lomsza, contra Iohannem Zolandek, sartorem predictum, vicarius proposuit, quomodo ipse Iohannes ipsum dehonestavit dicens ipsum indebite predicasse feria II Pasche anno presenti illud Ewangelium de duobus discipulis euntibus in Emaus pro eo, quod ipsos discipulos scilicet Cleopham et Symonem dixerit a p o s t o l o s, cum tamen non sint apostoli, sed discipuli Christi, iniuriam revocans ad C flor. petens eosdem et ipsum compelli ad emendam. Ex adverso ipse Iohanes confessus est, quod ipsum presbiterum predicatorem minus debite predicasse asseruit, quia predictos discipulos a p o s t o l o s nominaverit, qui tamen solum discipuli fuerunt; presbitero replicante et dicente, quod eos et discipulos et apostolos sed minores tunc nominaverit et solum Cleopham sed non Symonem ex nomine predicaverit, prout in textu ewangelico continetur; item hec eadem verba [die] dominico in octava Pasche ipso presbitero predicante, idem Iohannes replicavit coram populi multitudine: Ego sum, de quo loquimini, et non deberetis me hic infamare et h e r e t i c a r e, quia pendet michi accio coram dno Episcopo, coram quo debeo iustificari.

18. (Ibidem). Item Wszeborius vicarius in Lomsza contra eundem Iohannem Zolandek proposuit, quomodo dum ipse Ewangelium illud: »Stetit Ihesus in medio discipulorum« feria III Pasche anno presenti predicasset, ipse Iohannes Zolandek in domo Kostrzewa theolonearii ibidem in Lomsza in colacione coram multis hominibus probis eundem presbiterum dehonestavit, quod indebite et truncate Ewangelium predictum pronunciavit in eo, quod dicens Ihesum dixisse discipulis: »pax vobis«, non adiunxerit »pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis«, quod et tunc die crastina in domo plebani replicavit, iniuriam revocans ad C flor., petens eosdem et ipsum compelli ad emendam. Ex adverso

ipse Iohannes confessus est se verba predicta dixisse et in iudicio eadem verba replicavit et confessus est se dixisse predicta verba, quia ab aliis predicatoribus dicta verba audivit predicari, que per ipsum Wscheborium fuerunt obmissa. Et dominus audita ipsius Iohannis huiusmodi confessione tanquam pestifera et fidei katholice suspecta, de consilio dnorum prelatorum et canonicorum suorum predictorum eundem Iohannem mancipavit et carceribus tradidit puniendum et castigandum. Et ibidem prefati dni presbiteri super recognicione eiusdem Iohannis publica petiverunt ipsis dari et confici a me notario necessaria instrumenta.

A. 1450, Maii 4, in Poltowsk in curia episcopali.

19. (Acta episc. I). In causa Anne, uxoris Martini de Wylamy, contra nobilem Paulum de Schimoschaczs super usura, idem nobilis Paulus.. ad proposicionem Anne respondere noluit, dicens, quod plures sunt heredes dictorum bonorum, pro quibus res agitur et pro quorum sortibus causa sibi per dictam Annam mota existit, sine quorum presencia respondere non vult, timens expost per eosdem heredes sorcium seu bonorum, pro quibus sibi lis est mota eidem, dum de partibus exteris revenerint, intentari et moveri causam novam; sed si quid dicta Anna habet contra eum questionis, agat simul cum fratre germano et sorore suis dictorum bonorum heredibus. Ex adverso nobilis Petrus de Wylamovicze, procurator Anne allegavit, quod frater germanus nomine Iacobus et soror Dorothea dicte Anne, qui fuerunt dictorum bonorum heredes cum eadem Anna, sunt mortui et defuncti in partibus exteris videlicet Russie. Et dominus.. processum huius cause suspendit tamdiu, quousque de morte ipsorum constiterit et litteras de eorum morte significatorias asportabunt..

A. 1451, Ianuarii 29, in Poltowsk in curia episcopali.

20. (Acta episc. I).. Coram Rmo patre dno Paulo, episcopo Plocensi, in causa honor. Iacobi, plebani in Danischewo, contra nobiles Andream et Philippum de Nadolky, idem plebanus proposuit, quomodo idem nobiles sepultis sororibus ipsorum germanis: Agnete et Margaretha, in ecclesia sua in Danischewo sepulturam eidem plebano non solverunt, petens ipsos ut successores bonorum dictarum sororum derelictorum more patrie compelli ad solvendum Ex adverso nobiles predicti respondentes dixerunt, quod iuxta testamentum per easdem sorores factum pecuniis testamentariis ex mandato plebani vitricis ecclesie eiusdem, Iacobo et Iohannis, datis et assignatis tam pro testamento, quam pro sepultura satisfecerunt, quod probabunt nobiles predicti die crastina pro prima dilacione.

A. 1451, Aprilis 5, in Trambino in curia episcopali.

21. (Acta episc. I).. Coram.. dno Paulo, episcopo Plocensi, in causa nobilis Nicolai de Znancz, gladiferi Dobrinensis, contra Petrum Cobilka, plebanum in Plone, per discretum Stanislaum, plebanum in Rusz. citatum.. nobilis proposuit, quomodo idem Petrus Cobilka, plebanus, die hodierna in tabula eiusdem dni Episcopi sedens et comedens paterque confessionis ipsius nobilis existens confessionem per prefatum nobilem Nicolaum coram ipso Petro plebano factam propalavit et manifestavit in vilipendium nobilis prefati iniuriamque et pudorem, iniuriam revocans ad C flor. Hungar. petens ipsum compelli ad solvendum eosdem. Ex

adverso idem plebanus confessus est se huiusmodi confessionem propalasse et manifestasse, sed tamen iocose dixit id fecisse; item proposuit nobilis prefatus, quod idem Petrus plebanus nuper anno prox. transacto feria VI[ta] magna silvam seu nemus ipsius nobilis subintrans excidit eidem XV pinus et V quercus preter voluntatem et scienciam ipsius nobilis valoris I sexagene, petens eundem [condempnare]. Ex adverso plebanus predictus confessus est se prefata robora tanquam sibi per eundem nobilem donata excidisse, quam donacionem idem plebanus probabit..

A. 1452, Martii 29, in Gorzno in curia episcopali.

22. (Acta episc. I).. Vener. et egregio dno Paulo de Golinino, decretorum doctore, preposito Poltoviensis et canonico Plocensis ecclesiarum, auditore curie episcopalis, iudicio.. ·presidente.. honesta Anna, uxor Nicolai, ab una, et Agnes, relicta Nicolai, advocati de Schutowo, parte ex altera, dicta Anna exposuit, quomodo Nicolaus Lodwyg, kmetho de dicta Schutowo, quodam die.. constitutus personaliter in iudicio bannito in villa prefata celebrato sponte.. mansum suum agri finalem, pro certa pecunie quantitate venditum eidem Anne cum omni iure et proprietate.. resignavit, dicti vero iudices, iudicio presidentes, more consueto proclamari mandeverunt primo, secundo, tercio et quarto superflue, si quis esset contradictor, qui huiusmodi vendicionem et resignacionem impediret. Et dicta Agnes, relicta advocati, cum filio suo Stanislao presentes et audientes non contradixerunt nec impediverunt usque expost, prout sola eadem Agnes confessa est, petens sibi silencium imponi ab ulteriori impedimento. Et dnus auditor habito consilio dominorum et dicte Agnetis confessione [audita], silencium eidem Agneti imposuit.. dictamque Annam in possessione dicti mansi reservavit..

A. 1453, Martii 21, in Gorzno in curia episcopali.

23. (Acta episc. I).. Rmo patre dno Paulo, episcopo Plocensi, iudicio.. presidente in causa Alberti de Crzywkowo contra Hedvigim de ibidem, nobilis Stanislaus de dicta Crzywkowo, procurator laici ibidem constitutus proposuit, quomodo nuper anno prox. transacto.. Iacobus Czeczersky, advocato seu accersito ad se prefato laico, ipsum detinuit et captivavit ac plurima verbera et adustiones ignis intulit nec de huiusmodi captivitate dimittere voluit, nisi prius matrimonium cum prefata Hedvigi consumaret, qui minis perculsus et plura verbera pertimescens matrimonium cum eadem compulsus contraxit, petens se absolvi ab eadem. Ex adverso nobilis Rogala alias Grad, procurator mulieris.. dixit respondendo, quod dictus laicus dudum ante eandem mulierem sibi desponsaverat et stantibus huiusmodi sponsalibus ipsam impregnavit et postea cum ipsa sponte matrimonium contraxit, quod autem ipsum nobilis Iacobus verberavit, hoc fecit propter inobedienciam et rebellionem, quod existens suus subditus noluit venire ad eum vocatus, et post huiusmodi percussionem idem laicus minas ignis eidem nobili inferebat, propter quod eundem captivavit et non propter coaccionem matrimonii consumandi; probabit laicus coaccionem pro prima dilacione sabbato proximo.

A. 1453, Aprilis 5, in Plock in curia episcopali.

24. (Acta episc. I).. In domo.. dni Pauli, episcopi Plocensis, et in stuba alba inferiori eiusdem.. dno Paulo episcopo Plocensi prefato cum.. dnis prelatis

et canonicis ecclesie Plocensis predicte capitulariter congregatis.. dnus Episcopus contra Iacobum de Swedzebna et Albertum de Trambino tulit sentenciam pro heresi infamatos in hunc modum: de consensu nostri capituli propter famam publicam de heresi contra Iacobum de Swedzebna et Albertum de Trambino ortam decernimus pro custodia carceres usque ad maiorem certitudinem, quos carceres in domo nostra post prandium intrabunt sub pena excommunicacionis nec exibunt..

A. 1453, Octobris 20, in Gorzno in curia episcopali.

25. (Acta episc. I).. Nobilis Paulus de Gorra, notarius curie episcopalis, nomine instigatorio officii.. acusavit contumaciam Iacobi plebani de Swedzebna.. petens in contumaciam ipsius per Rmum.. dnum Paulum, episcopum Plocensem, ipsum dampnatam Hussitarum heresim ex confessione sua spontanea, coram vener. dno officiali Plocensi facta, incidisse declarari et propter hoc ad privacionem dicte sue ecclesie in Swedzebna procedi; quiquidem.. dnus Paulus, episcopus memoratus, dicto plebano ultra horam solitam expectato, sentenciam suam scripto in contumaciam ipsius plebani tulit et pronunciavit huiusmodi sub tenore: Cristi nomine invocato et ipsum solum pre oculis habentes.. declaramus Iacobum, presbiterum diocesis Wladislaviensis, rectorem ecclesie parochialis in Swedzebna nostre diocesis, citatum non comparentem ex confessione spontanea per ipsum Iacobum coram venerabili et honorabilibus fratribus nostris Nicolao de Myrzinieez, decretorum doctore, licenciato in iure civili, canonico vicarioque in Spiritualibus et officiali nostro generali, et capitulo Plocensibus iudicialiter facta ante et post purgacionem per eundem Iacobum coram nobis factam communicasse populum laicalem sacramento Eukaristie sub utraque specie ac per hoc in dampnatam Hussitarum heresim lapsum et relapsum ac propter hoc predicta sua ecclesia in Swedzebna privandum fore et privamus aliisque penis a iure statutis mulctandum..

A. 1457, Martii 18, in Poltowsk in curia episcopali.

26. (Acta episc. I).. Coram.. dno Paulo, episcopo Plocensi, constitutus personaliter honor. dnus Petrus Broda, vicecancellarius ducatus Varschoviensis, canonicus Plocensis et Varschoviensis ecclesiarum.. contra.. discretum Swanthoslaum, rectorem ecclesie parochialis in Gansyorowo, verbotenus proposuit, quomodo eum multifarie verbis infamatoriis dehonestavit et presertim quod eum asseruit de thoro illegitimo fuisse procreatum; quam infamiam existimavit ad C milia milium flor. Ex adverso prefatus Swanthoslaus animo litem contestandi negavit narrata, subiungens hec verba aut eis similia: Nichil mali scio de matre ipsius, sed ipsum habeo pro bono homine et de legitimo thoro natum, nec aliquando hoc locutus sum. Ex adverso dnus Petrus Broda, vicecancellarius replicando petivit se admitti ad probandum. Et dominus.. ex consensu partis utriusque ad recipiendam summariam deposicionem testes citari decrevit. Presentibus vener. et honor. ac nobilibus dnis mgro Nicolao Malak, Varschoviensi archidiacono, Paulo de Golinino, preposito Poltoviensi et canonico Plocensi, decretorum doctoribus, mgro Thoma de Xansch, archidiacono Poltoviensi, Mathia de Rozan, cancellario ducatus Varschoviensis, Iohanne de Szdzari, archidiacono Dobrinensi, Przeczslao de Iancevo, canonico Plocensi, generosis dnis Nicolao de Dzirgowo,

castellano, Borkone de Czirnycze, succamerario Czechonoviensibus et aliis quampluribus et me Paulo Gorra [notario].

A. 1457, Maii 2, in Czirwensk.

27. (Acta episc. I).. In Czirvensk in communi conventu fratrum honorabilis Nicolaus, plebanus in Zale, de manibus honor. Michaelis electi in abbatem Czirvenensem, recepit ad rescripcionem librum, secundam partem videlicet dictorum mgri Nicolai de Blonye, accomodatum, quem ibidem in conventu reponere se submisit..

A. 1457, Iulii 29, in Mankolino in curia episcopali.

28. (Acta episc. I).. Coram Rmo patre dno Paulo, episcopo Plocensi, et testibus infrascriptis vener. et religiosus dnus Nicolaus, abbas monasterii s. Adalberti in castro Plocensi, citatus ad videndum et audiendum admitti resignacionem abbacie sue prefate, quiquidem dnus abbas personaliter constitutus respondit nunquam se habuisse voluntatem resignandi dictam abbaciam; quod autem constituit procuratorem ad resignandum, asseruit se vi metus hoc fecisse per fratres suos compulsus. Presentibus magnifico Iohanne de Vangrzinowo, palatino Mazovie, vener. Iohanne, custode Plocensi, mgro Nicolao de Mirziniecz, decretorum doctore, et Przeczslao de Ianczewo, canonicis Plocensibus, Cristoforo de Campa, dapifero Plocensi, et me Paulo notario de Gorra. Et ibidem circumspectus Mathias Iarzambek petivit sibi desuper instrumenta confici.

29. (Ibidem).. Coram prescriptis testibus Rmus.. dnus Paulus D. g. episcopus Plocensis visa diutina dissensione pro defectibus expensarum et vestium inter vener. et religiosum dnum Nicolaum, abbatem monasterii s. Adalberti in castro Plocensi situati, et fratres eiusdem monasterii ordinis s. Benedicti ab aliquot annis exorta et horum occasione suscitata, racione quorum ad presenciam sue Ptis sepissime per fratres dicti monasterii questiones et lugubres deposiciones veniebant, ipsas dissensiones et controversias per medium amicabilis composicionis complanare cupiens et sopire, et ut ipsi fratres ordinis memorati eo securius divinis officiis, prout tenentur, cura secularium negociorum a se evulsa, insistere valeant, ad sustentacionem ipsorum fratrum in monasterio predicto continue residencium competentem, presentibus utrisque partibus ipsum dnum Nicolaum abbatem sub pena excommunicacionis, quociescunque contraveniret sentencie sue condemnando, sentenciavit et decrevit: inprimis quod ipse dnus abbas pro conservacione fratrum sui ordinis singulis mensibus, quamdiu vixerit, ad claustrum suum pro braxacione cervisie per XII choros tritici puri mensure Plocensis dare tenebitur; item qualibet septimana tres capecias panis valentis; item singulis septimanis pro piscibus aut carnibus recentibus I fertonem; item salis $1\frac{1}{2}$ tunnam ad I anni decursum; similiter ad I annum VIII talenta piperis, IV talenta cimini et $\frac{1}{2}$ talentum croci, XII choros pisi, VI choros milii et VI choros pulcium, IV choros seminis canobi, II choros papaveris, IV manualia alias *ranczky* butiri, XII choros humuli pro cervisia; item X sexagenas caseorum, XX capecias ovorum LX gallos, XXX ancas; item IV porcos saginatos quemlibet in valore XV gr. aut loco cuiuslibet porci XV gr. et IV porcos macros pro conservacione valentes dabit in claustrum. Et si ipsi fratres plures voluerint porcos habere, poterint aliunde acquirentes ad suum libitum

conservare; item singulis annis pro comparacione vestium, pellicearum et calciamentorum cuilibet fratri in ordine residenti I sexagenam monete currentis dare tenebitur et debebit. Quamquidem sentenciam tam ipse dnus abbas, quam fratres sui ordinis acceptarunt et grate susceperunt. Et super hoc ipse dnus Episcopus constitucionem, quam ad resignandum abbaciam ipse dnus abbas fecerat, cassavit et annullavit, sentenciavitque, quod ipsi fratres dno abbati omnes res per eos receptas integre sub eadem pena excommunicacionis die crastina in presencia dni doctoris aut dni Luba et VII sexagenas de pecunia, quam ei receperant, restituere tenebuntur et debebunt aut de ipsa pecunia faciant racionem debitam, si ad usus licitos fuerit per eos exposita aut non, nam si fuerit illicite exposita, ad totalem summam X sexagenarum solvendam tenebuntur.

A. 1457, Octobris 2, in Iunyecz in curia episcopali.

30. (Acta episc. I).. Rmus.. dnus Paulus, episcopus Plocensis, unacum dominis nobilibus protunc eidem assidentibus ex statutis ducalibus huius terre invenit, quod propter diutini temporis prorogacionem providus Mathias Rutha oppidanus de Polthowsk nullum ius in molendino in Iunyecz habere dinoscitur, nec sui affines, quod eis competere pretendebant, unde ibidem prefatus Mathias Rutha se obligavit et submisit propria in persona, quod infra hinc et I septimanam coram prefato.. dno Paulo episcopo in Poltowsk debet locare et statuere fideiussores idoneos tam pro se, quam pro sua parte, et pacem Stanislao Ghemza molendinatori in Iunyecz perpetuam firmare. Presentibus honorabilibus Przeczslao canonico Plocensi et Iohanne Zonka plebano in Iunyecz.

A. 1458, Martii 26, in Plock in curia episcopali.

31. (Acta episc. I).. Dnus Nicolaus, abbas monasterii s. Adalberti in castro Plocensi, coram.. dno Paulo episcopo in medio capituli sui personaliter constitutus per deposicionem testium synodalium de incontinentia, dilapidacione bonorum, mala procuracione bonorum monasterii sui predicti et negligencia procuracionis ficorum monasterii supradicti inculpatus et per prefatum.. dnum Episcopum ac per eum deputatos paterne et caritative correptus ac de verbis rebellibus per eum tunc ibidem publice prolatis, quod videlicet amodo emendari nollet, sed magis civitatem et hospicia frequentare vellet, redargutus humiliatus et promittens melioracionem et quod expost secundum tenorem statuti synodalis monasterium frequentare et in illo residere deberet, dno Episcopo cum capitulo dictos articulos cum huiusmodi rebellione graviter ponderante, ipse dnus abbas promittens melioracionem, ut prefertur, sibi graciam super premissis fieri petivit. Et dnus Episcopus cum dicto capitulo suo timentes, ne ex facilitate venie ad futura peiora prolabatur, rigorem iuris, quem ob premissa in eum extendere poterat, mansuetudine temperans predictos defectus et excessus spe et promissione emende fiende paterne indulsit, ita tamen, quod dnus abbas predictus sponte et libere se submisit, quod si in criminibus et negligenciis, de quibus fuerat inculpatus, in futurum repertus foret, hoc legitime probato, licitum erit dno Episcopo procuratorem prefati dni abbatis requirere, ut nomine suo in manibus Ptis sue abbaciam Plocensem suam resignaret, quo casu.. honor. dnum Martinum de Iezewo canonicum Plocensem procuratorem suum irrevocabilem constituit.

A. 1458, Octobris 25, in Poltowsk in curia episcopali.

32. (Acta episc. I).. Dnus Paulus, episcopus Plocensis, auditis propositis pro parte honor. Petri plebani in Crolevo per procuratorem eius mgrum Iohannem contra et adversus honestam Margaretham de Cuchari residentem personaliter in Czechonow pro decima manipulari de agris suis in Cuchari proveniente, quam ipse Petrus, plebanus, pro sua ecclesia in Crolewo de kmethonibus recipiebat, — et responsis ipsius nobilis Margarethe, quod sit heres in dicta villa Cuchari et dat decimam secundum l a u d u m huius diocesis ad ecclesiam in Gromadzino, ad quam pertinet; et dominus communicato consilio assessorum iuxta laudum et communem consuetudinem sue diocesis dictam dnam Margaretham absolvit ab impeticione dicti dni Petri et adiudicavit ipsam decimam de eius agro provenientem more nobilium aliorum ad ecclesiam in Gromadzino..

A. 1458, Decembris 26, in Plock in curia episcopali.

33. (Acta episc. I).. In cubiculo.. dni Pauli, episcopi Plocensis, in curia Plocensi sito constitutus personaliter vener. dnus Strogomirus de Zdzari, prepositus Plocensis, publice recognovit se convenisse villam Biskupicze ei ex gracia donatam nobili Swanthoslao Czembey, pincerne curie episcopalis, per tres annos cum omnibus et singulis fructibus, utilitatibus, laboribus et proventibus, dempto eo, quod dum k m e t h o n e s n i c h i l prefato nobili Czembey l a b o r a r e h a b e r e n t, ipsos prefato dno preposito m i t t e r e a d l a b o r e m m o d e r a t u m deberet, pro quibus quidem proventibus ville prefate ipse nobilis Czembey dno preposito singulis annis per XVI sexagenas solidorum solvere se submisit. — Et recognovit dnus prepositus satisfaccionem totalem per omnes tres annos.

A. 1459, Octobris 1, in Mankolino in curia episcopali.

34. (Acta episc. I).. Rmus.. dnus Paulus, episcopus Plocensis, attentis discordiis et dissensionibus a multis temporibus exortis inter providos Stanislaum et Martinum generum eius advocatos in Dobra villa mense episcopalis in districtu seu tenuta Mankoliensi consistenti tempestive volens providere, ne ampliora et maiora inter eos iurgia excitentur et pericula inde imminerent, nolens habere plures advocatos, cum propter pluralitatem advocatorum bona tendunt ad annichilacionem, cum dominis ei assidentibus mandavit, ut unus alterum de sua porcione eximeret; sed cum Stanislaus eximere renuit, dominus mandavit, ut unus alterum de sua porcione exemeret; sed cum Stanislaus eximere renuit, dominus mandavit, ut Martinus dicto Stanislao XXX sexagenas mediantum solveret: XV ad Penthecostes et residuas XV ad Michaelis festa sese immediate sequencia. Et ipse Martinus arabit iam in medietate porcionis dicti Stanislai pro frumentis estivalibus alias *na yarz;* si autem totam pecuniam solveret ad festum Penthecostes, arabit ipse Martinus pro estivalibus totam porcionem Stanislai, et ipse Stanislaus in domo propria usque ad totalem exsolucionem pecuniarum residere habebit libertatem. Item Rmus pater predictus mandavit prefato Stanislao privilegium et omnia iura dicte advocatie in Dobra memorato Martino sub pena XXX sexagenarum reponere; item si et in quantum ipse Martinus neglexerit solvere prefatam summam, extunc Stanislaus poterit tantum eidem Martino persolvere..

A. 1461, Ianuarii 2, in Poltowsk in curia episcopali.

35. (Acta episc. I).. Rmus... dnus Paulus, episcopus Plocensis, visis dissensionibus inter honor. Paulum rectorem ecclesie parochialis in Przevodovo et fraternitates circa ecclesiam suam existentes, habita informacione de communi laudo sue diocesis per suam sentenciam diffinitivam sentenciavit et iudicavit, quod de qualibet fraternitate circa ecclesiam eius tenta ad singula Quatuor tempora pro decantandis vigiliis pro fratribus et sororibus fraternitatum per IV gr. more tocius diocesis persolvi debeant ministris ecclesie cum ipso plebano temporibus perpetuis.

A. 1461, Iunii 26, in Poltowsk in curia episcopali.

36. (Acta episc. I).. Coram.. dno Paulo D. g. episcopo Plocensi.. honor Nicolaus de Makow, canonicus collegiate Polthoviensis, procuratorque instigatoris officii.. contumaciam discreti Petri de Drobnino, vicarii ad s. Michaelem in Ploczsko.. accusavit; quo incontinenti.. comparente prefatus honor. Nicolaus de Makow.. proposuit.. quomodo idem Petrus asserens se notarium publicum et in illo officio thabellionatus fungi certa instrumenta publica litterasque et munimenta ac execuciones mandatorum apostolicorum et aliorum iudicum, ipso.. dno Paulo et suo vener. capitulo Plocensi iuxta statuta provincialia et alias sacras constituciones minime requisito, preter admissionem Ptis sue ad ipsum officium thabellionatus ausu temerario confecit et exercuit, ac eciam quod in termino omnibus notariis publicis et thabellionibus per ipsum.. dnum Paulum episcopum Plocensem in Poltowsk assignato ad ostendendum et conspiciendum iura ac autentica ipsorum, quibus probare possent se idoneos esse notarios publicos et thabelliones, statuto et assignato, idem presbiter minime comparere curavit, quem petivit declarari incidisse sentencias excommunicacionis contra illos per statuta provincialia ac alias sacras constituciones, dudum approbatas, promulgatas et editas et alias pena condigna per Ptem suam ipsum puniri postulavit Ex adverso idem Petrus de Drobnino.. asseruit se dudum per ipsum.. dnum Paulum, episcopum predictum, ad ipsum officium thabellionatus fore admissum et acceptum, referens se ad acta Ptis sue, cuius admissionem Ptas sua revideri mandavit, si inveniri posset; fuit tamen et est idem Petrus simpliciter et de plano confessus ac coram ipso.. dno Paulo episcopo.. confitebatur se certas litteras execucionis ac instrumenta publica confecisse et exercuisse ipso.. dno Episcopo et suo vener. capitulo Plocensi irrequisito, nec obtenta licencia et unanimi consensu dnorum capitularium easdem litteras ac mandata apostolica exequendi, prout moris et consuetudinis est; quem ipse Rmus ex ipsa sua spontanea confessione ac temeraria execucione predictorum mandatorum quorumcunque iudicum in pena III marcarum condempnavit.. infra hinc et unum mensem pro hospitali Plocensi solvenda Et in eodem instanti prefatus Petrus de Drobnino.. dicto suo officio thabellionatus, quod dudum exercuit, cessit et renunciavit nec amplius et de cetero aliqua instrumenta publica et litteras conficiet nec pro notario publico iam in iudicio et extra et in aliis locis privatis reputari debet, quo se sponte exoneravit, nec illo uti cupit per amplius..

A. 1461, Iulii 8, in Poltowsk in curia episcopali.

37. (Acta episc I).. Coram.. dno Paulo D. g. episcopo Plocensi nobilis Iohannes de Oltarzewo procuratorio nomine nobilis dne Margarethe de Trosino

contra honor. Albertum, plebanum de ibidem verbo proposuit, quomodo idem plebanus.. laboriosum Iohannem, kmethonem eiusdem dne Margarethe, acriter traxit, captivavit et detinuit et iterum ad captivandum ac detinendum eundem kmethonem cuidam nobili Chrostowsky tradidit et contulit petivitque ipsum kmethonem suum restitui et iniuriam extimans ad XIV flor., in quibus ipsum petivit condempnari et condempnatum cogi ad solvendum. Ex adverso comparens dictus plebanus ad proposicionem eiusdem dne Margarethe respondit, quod eundem Iohannem kmethonem tanquam suum detinuit et ipsum nobili dno Chrostowsky, a quo eundem kmethonem fideiusserat, in manus suas ad captivandum tradidit propter insufficienciam exolucionis laudi terrestris.. Item eciam idem nobilis Iohannes Oltarzewsky nomine eiusdem dne Margarethe contra eundem plebanum in Troszino proposuit, quomodo tempore noctis idem plebanus in domum cuiusdam Barthek kmethonis ipsius irruens ipsum percussit et sibi minas imposuit, sic quod propter eiusdem plebani comminacionem idem Barthek.. recessit et domum vacuam reliquit, petens ipsum in laudo terrestri condempnari. Idem eciam nobilis Iohannes de Oltarzewo nomine procuratorio laboriosi Iohannis kmethonis de Troschino verbo contra plebanum in Troszino proposuit, quomodo ipsum tanquam non suum captivavit, detinuit et ipsum ad captivandum cuidam nobili Chrostowsky tradidit et in eadem captivacione ac detencione metu ductus VII sexagenas ipsi dno Chrostowsky solvere promisit et coactus ac ortum ab eodem acceptavit in X gr., iniuriam extimans ad XXX flor., in quibus ipsum petivit condempnari etc. Ex adverso idem plebanus respondit, quod captivavit eum tanquam suum kmethonem, videns [quod] non potuit sufficere ad solucionem laudi terrestris [et] eundem ipsi dno Chrostowsky, a quo eum fideiusserat, in manus tradidit et restituit; pars utraque intencionem suam probabit.

A. 1461, Decembris 9, in consistorio Poltoviensi.

38. (Acta offic. II). In causa ministri scole in Czechanowo contra discretum Iohannem vicarium in Makow, mgr. Cristinus procurator ministri.. proposuit, quomodo sibi scolarem informavit et docuit in artibus per spacium I anni et debuit sibi dare per grossum ad quamlibet septimanam; item proposuit pro precio, quod ei contulerat super dominicellis existentibus in scola; extimat dampnum ad III flor., [in quibus] petit [eum condempnari]..

A. 1462, Maii 7, in consistorio Poltoviensi.

39. (Acta offic. II). In causa [Pauli] vicarii [in Ianowomyastho] contra Iohannem, ministrum scole in Grabowo, mgr. Iohannes, procurator vicarii, proposuit pro libro, quem sibi dederat ad scribendum cum papiro in valore III sexagenarum.. Ex adverso mgr. Stanislaus, procurator ministri, allegavit, quod est sibi receptus per vastatores P r u t e n o s in loco, in quo fecit sibi scribere; item proposuit, quomodo quando fuit citatus, dixit: solvam ego duobus digitis et solus librum habebo. Probabit minister, quod liber est sibi per vastatores receptus cum suis rebus, infra VI septimanas.

A. 1462, Iulii 7, in consistorio Poltoviensi.

40. (Acta offic. II). Christi nomine invocato.. decernimus et declaramus discretum Andream, plebanum in Pysky, ex confessatis suis laboriosum Paulum

Camor de Tysky percussisse ipsumque Paulum nobilis Michaelis de Tysky hominem fuisse et ob hoc iuxta laudum terrestre inter personas ecclesiasticas et seculares diu tentum et laudatum penam I sexagene propter percussionem incurrisse et ob hoc dictum plebanum ad solvendum eandem sexagenam ut penam percussionis presentibus condempnamus..

A. 1462, Iulii 30, in consistorio Poltoviensi.

41. (Acta offic. II). In causa Strusch, capitanei Poltoviensis, contra Vitum plebanum in Sunsko, procurator capitanei proposuit, quomodo hinc id est de Poltowsk currebat canis alias *vizel* post eum, quando ibat plebanus de Poltowsk ante IV septimanas, quem canem passus est currere post se usque ad domum plebani in Sunsko et postea ipsum tradidit et donavit nobili Sasino, filio vexilliferi Czebnisky; petivit eum sibi restitui; procuratore plebani excipiente, quod non est respondendum propter dies feriatos messium; replicante procuratore, quod sapit naturam spolii hec causa, que est privilegiata, et non obstantibus vacanciis est procedendum. Et dominus.. assignavit terminum ad deliberandum alias ad respondendum ad VIII dies.

A. 1462, Augusti 27, in consistorio Poltoviensi.

42. (Acta offic. II).. In causa discreti Petri, vicarii in Ostralanka, contra Phalislaum de Lompza, Petrus.. proposuit, quomodo convenit eum ad scribendum librum biblie a principio usque ad finem pro acervo siliginis et XXV gr., petit sibi restitui sexternos scriptos. Ex adverso mgr. Stanislaus, procurator Phalislai.. dixit, quod non fuerunt tot cassule in numero, pro quot promisit, videlicet XXX minus duabus, et promisit, quod quelibet cassula debuit dare duas....[1]), hoc vicario negante dominus detulit sibi iuramentum.

A. 1464, Aprilis 20, in Poltowsk in curia episcopali.

43. (Acta episc. I).. Michael Petri de Prasmowo, arcium baccalarius, instigator officii Rdi.. dni Stiborii, electi ecclesie Plocensis confirmati, produxit citacionem contra et adversus discretum Iohannem, vicarium in Pnyewo.. petens ipsum pronunciari contumacem. Exadverso Iohannes, vicarius predictus, termino citacionis satisfaciens comparuit, contra quem prefatus Michael tanquam instigator.. produxit articulos, petens ipsis per partem adversam responderi medio suo iuramento, quibus articulis per dictum instigatorem.. productis prefatus Iohannes, vicarius in Pnyewo, iuravit veraciter se responsurum ad articulos predictos contra ipsum productos ad s. Dei Ewangelia, petens nichilominus per prefatum Rdum patrem ac alios assessores protunc Ptis sue se informari, si et in quantum aliquid esset, quod ipse minus bene intelligeret in dictis articulis, quibusquidem articulis sibi singilatim lectis ad primum, qui incipit: »Inprimis ponit et probare intendit, quod ipse Iohannes presbiter et vicarius parochialis predicabat et predicat singulis festivis et dominicis [diebus] populo ad hoc in ecclesia congregato«, respondendo dixit articulum in parte esse verum, quia non semper et quibuslibet diebus festivis seu dominicis predicabat et predicat, nisi in suis septimanis ad ipsum tanquam

[1]) Wyraz nieczytelny z powodu wyblaknięcia tekstu.

vicarium spectantibus. — Ad secundum articulum, qui incipit: »Item ponit.. quod inter cetera, que dogmatisabet seu predicabat, ausus est temerarie predicare et dicere ad populum, quod in hoc sacramento, quod elevatur coram vobis, non est verus Deus nec verus Christus, sed est solum sacramentum«, respondendo dixit ipsum non esse verum, nec aliquando per ipsum fore, ut stat in verbis, predicatum, adiungendo, quod ego coram populo sic predicavi et cum plebano suo de Pnyewo collocutus fui, taliter quod videlicet hec albedo, quam in sacramento, quod elevatur, Eukaristie sacre non est Deus, sed species sacramenti, sed quod intra sub illa albedine continetur, est verus Deus conditor et redemptor noster. — Ad tercium articulum, qui incipit: »Item ponit, quod de hac predicacione temeraria et sacrilega est publica vox circa dictam ecclesiam in Pnyewo parochialem et communis fama«.. respondendo dixit: sibi de eo non constare, adiungendo, quod inimici mei, qui me in pugillo aque submergere vellent, possunt hec loqui inter se. Ex adverso prefatus Michael instigator.. predictos articulos.. obtulit se probaturum..

A. 1464, Septembris 3, in Iunyecz in curia episcopali.

44. (Acta episc. I).. Rmo patre.. iudicio presidente discretus Iacobus presbiter de Rcyeschewo.. comparuit, petens se absolvi a sentencia excommunicacionis propter contumaciam in ipsum lata, et obtento beneficio absolucionis honor. Michael de Prasmowo, arcium baccalarius, procurator et instigator officii.. contra eundem proposuit, quod ipse contra statum clericalem et in preiudicium infamiamque eius mendicavit in festo s. Bartholomei in Plonyszko pro nova missa, petens ipsum condempnari in pena ad hoc deputata et proposicioni huiusmodi responderi. Ex adverso dictus Iacobus presbiter confessus est, quod mendicavit cum calice et I grossum ex huiusmodi mendicacione habuit. Et Rmus pater ipsum ex confessatis ipsius condempnavit in pena per capitulum in proximo celebrandum in Plock declaranda..

A. 1464, Septembris 7, in consistorio Poltoviensi.

45. (Acta offic. II).. Religiosus Stephanus, prepositus in Welischowo, personaliter constitutus domino iudicialiter presidente allegavit, quod testes, quos inducere debuit contra Przybislaum in dilacionibus sibi concessis, pro hac vice inducere non potest ex hiis causis, quia testes sunt nobiles, qui iverunt ad expedicionem contra inimicos vastatores terre et haberi non possunt. Et dominus cognita rei veritate suspendit induccionem usque ad reditum de bello et conservavit dilaciones a iure concessas suspendendo processum cause usque ad terminum suprascriptum..

A. 1464, Octobris 3, in consistorio Poltoviensi.

46. (Acta offic. II).. Discretus Iohannes, vicarius in Paluky, citato provido Paulo, notario civitatis de Novemyastho, petivit eum compelli ad terminandum bibliam, prout incepit. Dominus ex confessatis ipsius Pauli assignavit ei terminum ad terminandum scripturam ex integro et correcte infra hinc et priviumcarnis sub pena excommunicacionis.

A. 1464, Octobris 4, in castro Polthoviensi.

47. (Acta episc. I).. In presencia.. dni Stiborii D. g. episcopi Plocensis, meique notarii et testium infrascriptorum, discretus Paulus, rector ecclesie parochialis in Borzyno.. confessus est, quod littera nobilium terrigenarum districtus Wysnensis, decano et plebanis eiusdem districtus scripta, de voluntate sua cum aliis plebanis dno Episcopo est presentata, in qua certe comminaciones super contribucione fertonum pro tuicione terre continebantur. Presentibus honor. viris dnis Petro de Radzymino, canonico Plocensi et Nicolao, plebano de Pyanthnycza, et me Petro de Galyny, plebano in Pomnychowo. actorum notario.

A. 1465, Martii 6, in consistorio Poltoviensi.

48. (Acta offic. II).. In domo vener. viri dni mgri Thome, canonici Plocensis, archidiaconi et officialis Polthoviensis.. personaliter constitutus discretus Nicolaus de Chelchy, presbiter Plocensis diocesis, publice recognovit, quia fructus et utilitates ecclesie in maiori Crzynowloga apud honor. dnum Nicolaum, plebanum dicte ecclesie in Crzynowloga videlicet decimas manipulares et canapi, colandam, denarium s. Petri, sepulturam, offertorium cum aliis proventibus ad dictam ecclesiam in maiori Crzynowloga quomodolibet spectantibus a festo s. Petri prox. venturo ad aliud festum s. Petri per decursum I anni pro XV sexagenis gr. in mediis gr. arendavit, quas XV sexagenas idem dnus Nicolaus arendarius se submisit solvere III sexagenas ad diem dominicum prox., V sexagenas ad priviumcarnis, residuum videlicet VII sexagenas ad festum Penthecostes prox. sub pena excommunicacionis. Casu stante, quod absit, quod si dicte decime vel aliqua earum per emulos videlicet Bohemos vel Prutenos vastarentur aut si apparebit aliquod dampnum in eisdem decimis, idem dnus Nicolaus, plebanus et arendarius, compromitteret in II viros parochie illius, qui dampna videbunt et taxabunt, quod si absit per suos parochianos vastarentur, dnus Nicolaus plebanus ad dampnum suscipiendum non tenebitur, sed ipse arendarius in ipsis iure lucrari debebit. Ceterum idem dnus arendarius submisit se dare staciam per II septimanas in II equis..

A. 1465, Aprilis 26, in consistorio Poltoviensi.

49. (Acta offic. II). In causa nobilis Margarethe, filie Andree de Grabowo, cum nobili Iohanne de Ostaschevo, nobilis Andreas, pater suus, nomine procuratorio filie sue proposuit, quod ipse Iohannes desponsavit dictam Margaretham per presbiterum et matrimonium cum ea non vult consumare et in expensis damnificavit ipsam cum eo ad VI flor., petivit igitur ipsum compelli ad consumandum matrimonium et ad solucionem damni. Ex adverso nobilis Iohannes confessus est sponsalia cum ipsa Margaretha, sed quia pater suus non vult palium valens ei comparare, ideo differt consumare matrimonium. Et ibidem honor. dnus Mathias, plebanus in Zelona, confessus est, quod eos desponsavit his verbis: Iohannes spondes tu Margaretham; — ille respondit: Spondeo; et similiter puella dixit. His auditis et attentis dnus decanus locum tenens dni Officialis.. per suam sentenciam mandavit dicto nobili Iohanni cum ipsa Margaretha consumare matrimonium infra hinc et festum Pethecostes prox. sub pena excommunicationis. Et ibidem in instanti dictus nobilis Iohannes verbo appellavit ad dnum Episcopum;

et dnus decanus partibus, ex quo sunt de propinquo, appellacionis terminum limitavit ad I mensem. Et ibidem dicte partes recedentes ab accione et appellacione compromiserunt.. in dnum decanum et dnum Andream Skarzinsky; quiquidem domini.. sentenciaverunt sub pena XL flor. Hungar. medietatem pro dno Episcopo et medietatem pro parte tenenti, quod dictus Iohannes dabit prefate Margarethe pro expensis et fatigis mediam sexagenam in crastino Corporis Christi hic circa acta. Et ibidem se ab invicem de sponsalibus remiserunt. Et dnus decanus utrique dedit licenciam ad alia vota convolandi.

A. 1465, Iunii 10, in Wischkowo in curia episcopali.

50. (Acta episc. I).. In Wischkowo in curia episcopali et in sessione estivali ibidem facta.. in presencia Rmi.. dni Stiborii, episcopi Plocensis, personaliter constitutus vener. ac religiosus dnus Petrus, abbas monasterii s. Adalberti in castro Plocensi ordinis s. Benedicti.. matura super hoc deliberacione prehabita abbaciam suam monasterii s. Adalberti in castro Plocensi predictam in manibus dicti Rmi patris resignavit, dicens hec verba in effectu: Rme pater, in manibus Ptis V. ego resigno abbaciam monasterii s. Adalberti in castro Plocensi, fratrum ordinis s. Benedicti, quam resignationem peto recipi et admitti. Prefatus vero Rmus pater dnus episcopus ad peticionem ipsius.. recepit et admisit respondendo in hec verba: Nos hanc resignacionem recipimus et admittimus. Et in continenti honor. et religiosus frater Iacobus de Lasycznyky dicti monasterii s. Adalberti professus ex mandato conventus predicti manu circumspecti Stanislai de Cawyeczino clerici Plocensis diocesis publici imperiali auctoritate notarii scripto.. suffultus, nomine conventus supradicti presentavit fratrem Stanislaum Clonycza, prepositum in Wischemyerzicze, dicens eum ad abbaciam predictam per fratres conventus eiusdem monasterii canonice electum, accedente eciam ad id dni ducis voluntate et consensu, petens eum de dicta abbacia institui et investiri. Et dnus episcopus hiis exauditis protestatus est contra fratres dicti monasterii, quod ausi fuerunt de beneficio non vacanti eleccionem, si dici meretur, attemptare, prout et attemptaverunt contra iuris formam, prepositis aliis et fratribus in eorum cellis degentibus non vocatis, quinimmo contemptis, et quod elegerunt personam minns idoneam, que per abbatem predictum noviter est inculpata. Dnus igitur Episcopus ex causis legitimis.. dicti Stanislai distulit institucionem..

A. 1465, Iulii 10, in castro Polthoviensi.

51. (Acta episc. I).. Honor. et religiosi viri Mathias, prepositus de Zambsky, Iohannes de Gostynino et Iacobus de Lasycznyky monachi monasterii s. Adalberti in castro Plocensi unacum vener. fratre dno Andrea electo ipsorum.. dno Stiborio, episcopo Plocensi, decretum electionis ipsorum sigillo conventus monasterii predicti subscripcionibus duorum notariorum publicorum roboratum obtulerunt debita cum instancia, petentes Ptem suam, ut huiusmodi eleccionem de persona idonea canonice factam confirmare, ratificare et approbare.. dignaretur, offerentes consensum Illmi principis dni Conradi D. g. ducis Mazovie Russieque etc. eiusdem monasterii patroni super hoc per ipsos obtentum.. Dnus vero Episcopus dictis decreto eleccionis et consensu receptis, citatis certis testibus, videlicet dno Petro Luba, canonico Plocensi, et Petro plebano in Pomnychowo, sub iuramento

tunc per eos prestito requisivit, an sigilla et manus notariorum tam decreti eleccionis quam littere ducalis consensus recognoscerent; qui responderunt, quod et sigilla cognoscunt et manus notariorum; demumque a dictis fratribus Mathia, Iohanne et Iacobo predicte eleccionis instructoribus per fratres monasterii deputatis sub simili iuramento per ipsos tunc tactis sacris scripturis corporaliter [prestito] inquisivit, an in ipsa eleccione sic processum existat, ut in decreto eleccionis continetur. Quiquidem fratres iuraverunt, quod omnia et singula in dicto decreto eleccionis contenta sic se habuerunt, ut in re actum est.. Et dnus Episcopus.. huiusmodi eleccionem auctoritate sua ordinaria approbavit.. et in vim eiusdem eleccionis dicto dno Andree electo de abbacia predicti monasterii providet et ipsum de eadem per manus sue capiti dicti electi imposicionem canonice instituit.. curam animarum, administracionemque spiritualium et temporalium dicti monasterii prefato dno Andree committendo..

A 1465, Augusti 26, in Poltowsk in curia episcopali.

52. (Acta episc. I).. Nobilis Iohannes, heres de Czyzewo, obligavit se soluturum pro festo Natalis Dni prox. affuturi.. dno Stiborio D. g. episcopo Plocensi residuum XL grossorum, videlicet XXIII gr., quos XL gr. terrigene Nurensis districtus seu terre eundo in expedicionem versus Sadlow a kmethonibus de Iunyecz extorserunt, quorum ipse Iohannes de Czyzewo ductor fuit, et quos in eo et Gardzina suo socio Sorcz marsalcus prefati Rmi patris circa Sadlow in exercitu eos iudicialiter conveniendo aquisivit, quorum XL gr. ad racionem idem nobilis Iohannes Czyzewsky solvit XVII gr. solidorum circa huiusmodi obligacionem..

A. 1465, Septembris 13, in Czyrwenszko in curia episcopali.

53. (Acta episc. I).. Rmo.. dno Stiborio, D. g. episcopo Plocensi una cum suis prelatis et canonicis infrascriptis sedente honor. Cristinus, canonicus Plocensis, rectori ecclesie parochialis in Zukowo nobili Stanislao de Skarsyno, ibidem in presencia dicti Rmi patris dixit hec verba vel hiis similia in effectu: »dicis sicut malus homo«, et prefato Rmo patri nullam honestatem et reverenciam exhibendo, propter quam inhonestatem iniunxit sibi penitenciam unius mensis ipsum in eadem condempnando et locum deputando eidem penitendi in Polthowsk, mandans eidem ibidem in Polthowszk sub pena excommunicacionis infra I mensem ad agendum penitenciam coram sua Pte comparere. Presentibus vener. et honor. viris dnis Petro de Cuchari Plocensi, Paulo de Golinino decretorum doctore Polthoviensi prepositis, Petro de Radzimino et Iohanne de Cuchari canonicis Plocensibus et me Petro de Galiny, plebano in Pomnychowo, notario.

A. 1465, Octobris 12, in consistorio Polthoviensi.

54. (Acta offic. II).. Vener. dnus mgr. Thomas, officialis convocato capitulo omnium presbiterorum in presencia tradens michi Paulo Gorra tanquam notario publico ad legendum litteram sibi per Rmum.. dnum Stiborium D. g episcopum Plocensem intitulatam, cuius tenor sequitur in hunc modum: »Venerabilis frater noster in Christo dilecte. Hunc presbiterum scandalosum licenciate, ut locum mutet, alibi tamen manens officiare poterit et alios actus presbiterales exercere, sed

precipiatis ei coram notario et testibus et apud acta reponi faciatis, quod coram nobis in Poltowsk, vel ubi tunc constituti fuerimus, feria II[da] post Invocavit conpareat pro scandalo, quod patravit, penitenciam recepturus. Datum in Zatori feria VI[ta] post Dionisii prox. anno etc. LXV[to]« — discreto Iohanni, vicario ecclesie Poltoviensis de crimine infamato infra tres dies ad mandatum dicti Rmi patris de Poltowsk exire mandavit terminumque eidem coram ipso Rmo patre feria II[da] post Invocavit iuxta tenorem littere prescripte per discretum Michaelem Vyotheschka prefixit..

A. 1466, Ianuarii 22, in Czerwinsk in curia episcopali.

55. (Acta episc. I).. Dno Stiborio D. g. episcopo Plocensi pro tribunali ad audiendum causas et iusticiam reddendam sedente et in presencia illustris principis dni Kazimiri, eadem gracia ducis Mazovie, constitutus personaliter honor. dnus Petrus de Gzy, notarius consistorii Polthoviensis.. accusavit contumaciam nobilis Ieronimi de Dzerzanowo, quo comparente proposuit contra eum verbo querulose et proposicionem verbosavit in hunc modum: Pater Rme, ego contra nobilem Ieronimum de Dzerzanowo querulose propono pro equo meo ambulatore coloris *czemnoridzi*, habente signum album parvum in fronte ad modum stelle, trium annorum et in valore X flor., qui equus in bonis meis paternis preter meam voluntatem receptus est, quem postea pater meus cum vicenotario districtus Wischegradiensis in domo ipsius Ieronimi invenit, quem Ieronimum dum peterem, ut equum prefatum michi restitueret, noluit, et sic querendo dictum equum multas fatigas et impensas feci, quas michi estimo et penso ad X flor. alios; idcirco Ptem V. tanquam dominum graciosum et iusti amatorem peto, velitis michi prefatum Ieronimum ad restitucionem predicti mei equi recepti aut ad solucionem valoris ipsius prefati videlicet X flor. compellere et ad solucionem fatigarum et impensarum taliter, ut premissum est, estimatarum condempnare.. Et in instanti prefatus Ieronimus de Dzerzanowo reus respondendo ad proposicionem.. stante eciam penes eum nobili Iacobo de Nyesdzino personaliter dixit: Respondeas Iacobe, quia ego equum. quem apud me forizabat vicenotarius Wischegradiensis in presencia patris dni notarii, a te habui et apud te emi; qui Iacobus Nyesdzinsky.. recognovit, quod eum equum, quem pater notarii apud prefatum Ieronimum vidit, eidem Ieronimo vendidit et pro ipso equo ipse Iacobus prefatum Ieronimum evincere se summisit, prout et ibi stans evincebat. Postque dnus Episcopus inter partes finem cicius facere volens, assignavit eis terminum feriam IV[tam] post festum Conversionis s. Pauli prox. hic in Cirwensko, in quo termino idem Ieronimus prefatum equum statuere debet eo pacto, si videlicet per Vyslam tutus poterit fieri cum dicto equo transitus, nam idem Ieronimus dixit se prefatum equum in illa parte Wysle tunc temporis fore et esse, ut sic melior fieri posset cognicio equi, de quo controversia ipsa agitur..

A. 1466, Ianuarii 30, in Iunyecz in curia episcopali.

56. (Acta episc. I).. Nobilis Nicolaus Gastholth de Prsziborovicze et Stephanus de Smoli heredes obligarunt se soluturos.. dno Stiborio D. g. episcopo Plocensi in manus nobilis Stanislai de Lunyewo sue Ptis in Iunyecz procuratoris XXIV gr. ad medium Quadragesime prox. sequentis sub penis excommunicacionis

pro dampnis per eos ad fortalicium Carnischin devastandum et obsidendum transeuntibus in villa sue Ptis Chrosczino vulgariter dicta patratis..

A. 1466, Februarii 9, in consistorio Polthoviensi.

57. (Acta offic. II). Nos Zemak de Borukowo Vyschegradziensis Zacrocimiensis iudex simul cum Stanislao Golawynsky, subiudice Zacrocimiensi, recognoscimus tenore presencium.. quomodo dum de anno Dni MCCCCLXV f. V[ta] ante festum Penthecostes in Nowemyastho iudicio Srnorum principum dnorum Conradi, Casimiri, Boleslai et Iohannis ducum Masovie etc. dominorum graciosissimorum iudicantes presidebamus, tandem nobilis Nyemyerza de Sczepankowo contra nobiles Stephanum Lada Gromadza et Allexium fratres germanos de ibidem coniuncta manu proposuit hiis verbis: pro eo quod vos tenetis porcionem paternam in Sczepankowo nullum ius ad eandem habentes et volo videre, cum quo iure tenetis, et in eo me dampnificastis ad L sexagenas gr. in mediis gr. Ex adverso ipsi Stephanus Lada Gromadza et Allexius iuribus et privilegiis ducalibus desuper datis se opposuerunt; que iura et privilegia exaudientes et sufficienter intelligentes, quod ipsa bona in Sczepankowo, pro quibus citacio et proposicio facta est, sub vigore et tuicione privilegii in pace ultra III annos tenuerunt et possederunt nullo contradicente, ideo nullum timentes nisi Deum et iusticiam pre oculis habentes ymmo unumquodque ius et terre consuetudinem et statuta in vigore observantes ipsis Stephano Lade Gromadze et Allexio eadem bona in Sczepankowo adiudicavimus et tenore presencium perpetuo adiudicavimus tenenda, eidem eciam Nyemyerze perpetuum silencium inponentes; quamquidem sentenciam diffinitivam habentes ratam.. ipsam approbamus.. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum per manus Petri Wlosczyborii de Osszek Zacrocimiensis notarii.

A. 1466, Februarii 21, in Polthowsk in curia episcopali.

58. (Acta episc. I).. Dnus Stiborius, episcopus Plocensis, recepta summaria informacione testium iuratorum vener. mgri Thome de Xansch, archidiaconi et officialis Polthoviensis, de vita et conversacione discreti Mathie de Magnuschewo in Rzekunye vicarii coram sua Pte personaliter constituti, quod videlicet reservat sibi concubinam et sit tabernarius, prefatus Rmus pater inherendo statuto sinodali ecclesie Plocensis, cum primo sit delatus, eidem Mathie opcionem dedit, an penam III marcarum pro facto per eum patrato solvere vellet vel subire penam carceris; et dum respondere nollet seque pauperem allegaret, dnus Episcopus condempnavit eum pati penam carceris hic in Polthowsko per I annum et terminum suscipiendi penitenciam et ingrediendi carceres eidem Mathie feriam II post Conductum Pasche sub pena excommunicacionis assignavit, quo tempore adveniente idem Mathias debet sponte ingredi carcerem in castro Poltoviensi sibi deputandum; nichilominus tamen propter defectum caucionis personalis idem Mathias iuramento corporali.. cavit, quod ad tempus prefatum veniet sponte penitenciam prescriptam suscepturus Presentibus ibidem venerabili et honor bilibus viris dnis Paulo de Golinyno decretorum doctore preposito, mgro Thoma archidiacono et officiali Poltoviensi, Petro de Radzimino, Iohanne de Cuchari canonicis Plocensibus et me Praszmowsky notario.

A. 1466, Martii 2, in Poltowsk in curia episcopali.

59. (Acta episc. I).. Discretus Mathias, presbiter vicarius de Redzilowo, coram.. dno Stiborio episcopo Plocensi exposuit, quod quosdam fures suos ex mandato et compulsione iudicis secularis ob furtum ad mediastinum usque ad sanguinis effusionem cinxerit petivitque secum per ipsum Rmum patrem super infamia et irregularitate exinde secutis dispensari et ad officium status presbiteralis restitui. Et dnus Episcopus supplicacionibus eius benigniter acclinatus de potestate iurisdiccionis ac potestatis sue ordinarie secum super dictis infamia et irregularitate misericorditer dispensavit et ad officii sacerdotalis execucionem ac ad honorem restituit; voluit tamen deliberare de penitencia eidem presbitero racione reatus predicti et criminis patrati imponenda.

A. 1466, Martii 4, in Poltowsk in curia episcopali.

60. (Acta episc. I).. Dnus Stiborius, episcopus Plocensis, comparente coram eo discreto Iohanne vicario in Carnyewo, inquisito dno officiali Polthoviensi de dicti Iohannis vita et facta.. testium iuratorum informacione summaria, quod videlicet idem presbiter quandam mulierem maritatam hic in Polthowsko ad medium noctis apud se in domo sua retinuerit et dum post dicte noctis medium ipsam mulierem de domo sua reduceret atque associaret, per custodes civitatis Polthowsk.. detenti et capti sunt, eundem tamen presbiterum dimiserunt liberum, ipsam vero mulierem detentam in carceris custodia usque ad diem tenuerunt, que res publicam famam de inhonestate induxit et scandalum effecit non modicum, unde dnus Episcopus recepta relacione prefata et considerato, quod si talia impunita relinquerentur, verisimiliter talia vel peiora patrari possent, dictum presbiterum ad penam carceris VI mensium hic in Polthowsko condempnavit, eidem presbitero sub pena excommunicacionis demandans, ut hodie et cras de mane suis rebus compositis veniat post prandium hic in castrum penitenciam pro reatu per eum patrato recepturus, et ibi cras et feria V^ta^ dictam penitenciam incipiet, postque usque ad Dominicam Quasimodogeniti, ut eo perfeccius horas complere possit, pausabit a dicta penitencia, sed feria III post Quasimodogeniti sub eadem excommunicationis pena venire debet in carcerem prefatum, predictam penitenciam VI mensium sibi iniunctam ad finem completurus..

A. 1466, Martii 6, in consistorio Polthoviensi.

61. (Acta offic. II). In causa discreti Georgii, ministri ecclesie de Zathor contra discretum Nicolaum, vicarium de ibidem, discretus Iacobus, procurator Georgii.. proposuit, quod de anno Dni MCCCCLXV vicesima die Februarii idem Nicolaus vendidit dicto Georgio viaticum pro XLII gr. monete Polonicalis, spondens ei et promittens de bono viatico valenti et correcto et non falsificato, in suo tenore non defectuoso; qui tamen viaticus est omnino invalidus, falsus et defectuosus, petens ipsum compelli ad restitucionem pecuniarum racione doli contracti in vendicione..

A. 1466, Aprilis 12, in consistorio Polthoviensi.

62. (Acta offic. II) In causa circumspectorum consulum et vitricorum de Zacroczym contra honor. Iohannem plebanum in Zacroczim, providi viri Stanislaus

Tyncza, Stanislaus Krakowa consules et Swanthoslaus scabinus procuratores consulum et vitricorum.. proposuerunt, quomodo plebanus, prout tenetur iuxta tenorem statutorum provincialium, tercium denarium pro reformacione ecclesie non dat nec impendit, petentes eum compelli ad dandum tercium denarium. Item proposuerunt, quomodo ausu temerario et sacrilego anno presenti ante festum s. Michaelis in medio noctis subintrans sacristiam cum suo campanatore, quem ipse contra voluntatem vitricorum et consulum constituit, seras circa cistam, in qua est tezaurus ecclesie, fregit et nisi custodes civitatis consules non vocassent, totum thezaurum de eadem cista recepisset, et eodem tempore habens et tenens claves a sacristia de eadem sacristia humerale de auro textum et margaretis desuper ornatum perdidit, alias pro se usurpavit in valore X sexagenarum, petentes eum sacrilegum pronunciari. Item nodulos argenteos XX in valore I sexagene et pretextas de auro, que fuerunt circa apparatus ecclesie, de eadem sacristia perdidit, alias pro se usurpat in valore IV sexagenarum. Item proposuerunt, quomodo organa, que sunt in ecclesia, permisit destruere per improvidenciam suam, habens seras et claves ecclesie dicte, extimantes dampnum ad X sexagenas. Item pro luminibus, que offeruntur ad altare pro laude Dei, ut ardeant, pro se capit et ceram vendit ecclesiam dictam spoliando. Item pro XVI asseribus alias *terczicze*, quas de ecclesia recepit et eisdem domum suam reformavit in valore XVI gr. Item proposuerunt, quomodo sub custodia ipsius sabbato proximo ante Conductum Pasce cereum magnum de ecclesia est deperditum in valore III sexagenarum et hoc non fractis seris, petens eum ad restitucionem premissorum compelli, alias ad solvendum valorem. Ex adverso Iacobus, procurator substitutus, petivit copiam proposicionum et terminum.. ad respondendum. Dominus copiis decretis terminum.. ad respondendum ad XIIII dies assignavit.

63. (Ibidem). In causa providi Iohannis, civis de Zacroczim, contra eundem plebanum de ibidem, Iohannes.. proposuit, quomodo.. ipsum anno presenti non habitis processibus excommunicavit ob hoc, quia confessor ipsius ipsum a percepcione sacre Eucaristie suspendit, de qua suspensione idem confessor eidem plebano per se ipsum fidem fecit, ipse non curans premissa Dei timore postposito ipsum eo plus excommunicavit, extimat iniuriam ad X flor. Item proposuit pro soda, quam ei accommodaverat pro decore ecclesie in valore V flor., quam ei debuit restituere et non restituit, pro qua eciam ipsum ad dnam ducissam vocaverat et non restituit, et quam eciam dignitarii dne ducisse restituere eidem plebano de mandato dne ducisse [mandaverunt].. Item proposuit, quomodo servivit ei equitando Cracoviam et contra de Cracovia, promittens eum salariare pro servicio, petit salarium II florenos..

· A. 1466, Maii 17, in consistorio Polthoviensi.

64. (Acta offic. II).. In causa discretorum Stanislai et alterius Stanislai vicariorum in Czechonowo contra nobilem Iohannem heredem in Smyeczino, Stanislaus vicarius.. proposuit, quomodo Michael kmetho eiusdem Iohannis de Smyeczino emit decimam apud Stanislaum, vicarium in Czechonowo, antecessorem dicti Stanislai pro CVI gr. et ipse cavit pro eodem antecessore, petens eum compelli ad solucionem. Ex adverso nobilis negavit caucionem, addens, quod quando ipsos composuit plebanus, suus socius dixit: ego nolo recipere mandatum, saltim volo

repetere in muliere. Et ibidem nobilis.. proposuit, quomodo die dominico Ramispalmarum monuit eum in kathedra post sermonem dicens, quod non permittam accedere dnum Iohannem ad sacramentum, nisi prius solverit michi decimam; extimat iniuriam ad X sexagenas. Ex adverso vicarius negavit narrata..

65. (Ibidem). In causa providi Iohannis de Zacroczym contra honor. Iohannem plebanum eciam de Zacroczym, mgr. Paulus accusavit contumaciam plebani non respondentis proposicioni. Ex adverso succentor procurator plebani respondendo ad primam proposicionem dixit, quod iuste excommunicavit eum ut pastor verus processibus dni Episcopi, quos desuper producere se submisit; Paulo replicante, quod plebanus fuit avisatus per confessorem Iohannis, qui suspenderat eum propter inimicicias vicinorum; succentore negante, probabit uterque. Ad secundam proposicionem pro szoda dixit, quod est compositus per dnos dignitarios dni ducis, quam Iohannes ex decreto dominorum debuit recipere apud consules et apud plebanum, sed ipsos pro eadem non avisavit, que szoda est sub clavibus consulum; ad terciam respondendo dixit, quod equitavit non in negocio plebani sed ad exequendum suum negocium in expensis plebani..

A. 1466, Iulii 9, in Poltowsk in curia episcopali.

66. (Acta episc. I).. Dnus Stiborius, episcopus Plocensis, constituto personaliter coram sua Pte discreto Iohanne, rectore ecclesie parochialis in Lopaczino, in scissa tunica incedente, interrogavit dictum plebanum, an haberet apud se statuta sinodalia, que quilibet plebanus habere et scire tenetur et quid in eis contineatur, respondenteque plebano, quod non habeat, dnus Episcopus assignavit eidem plebano terminum diem terciam post festum Nativitatis b. Marie prox. affuturum, quo capitulum generale celebrabitur in Ploczka, ubi statuta sinodalia dicto plebano ostendentur, que cavent, quod nullus clericus in scissa incedat veste, et pro demeritis, in quod iustum fuerit et statuta prefata sanxerint, decernetur..

A. 1466, Iulii 12, in Poltowsk in curia episcopali.

67. (Acta episc. I).. Constitutus personaliter nobilis Mathias Zawyštowsky.. coram.. dno Stiborio episcopo Plocensi recognovit.. quod eundo ad expedicionem bellicam pro expugnando fortalicio Sadlow stabat in villa Podmarsczino; presentibus ibidem nobilibus viris dnis Iohanne Wansch pincerna, Iohanne de Kobilyno et Derslao de Podosye cubiculario, familiaribus dni Episcopi prefati.

A. 1466, Augusti 6, in Polthowsk in curia episcopali.

68. (Acta episc. I). Nobilis Sdzisek de Ganschorowo, dni Episcopi prolocutor, coram nobilibus Martino Strusch iudice et Iohanne de Mislkowyecz subiudice per dnum Episcopum deputatis et locatis personaliter constitutus, citatis et comparentibus nobilibus Paulo, Adam et Iohanne advocatis de Skornycze, contra Paulum primum proposuit, quomodo ipse hominibus dni Episcopi esset impetuosus et infestus minas frequenter incuciens et, quos coadunare deberet, dispergens; noviter dum per villicum ville eiusdem sigillo dni Episcopi ad eius presenciam citatus esset, proterva et contumaci voce respondit: non prius vos cessabitis ab hiis citacionibus, nisi alicui ex vobis dentes secti et excussi fuerint, — petivitque nomine dni Episcopi, ut eundem pronunciarent cecidisse a iure scultecie secundum

privilegium scultecie predicte, ad quod se dnus Episcopus retulit. Item contra Adam germanum suum similiter proposuit, quod violentus est kmethonibus suis, minas incuttit et eosdem dispergit, contra quem similiter petivit pronunciari, referens se ad tenorem privilegii predicti. Item tercio contra omnes tres fratres proposuit, [quod] per dnum Episcopum ad residenciam in dicta scoltecia dudum vocati hactenus in eadem non resident, petivit eos pronunciari luisse penam in privilegio descriptam, et quamvis duo primi nullam excusacionem allegaverunt, tercius tamen videlicet Iohannes per absenciam a terra, a qua per VII annos absentabatur, se excusavit. Prefati vero iudex et subiudex, cum predictorum iudicium tangit produccionem privilegii et eius examen, partibus assignaverunt terminum pro festo Nativitatis b. Marie prox. affuturo in Ploczsko coram capitulo Plocensi comparere super premissis propositis iusticiam recepturi..

A. 1466, Augusti 9, in Poltowsk in curia episcopali.

69. (Acta episc. I).. Nobilis Iohannes de Gosczimyno apud acta obligavit se soluturum I sexagenam mediorum gr. honor. dno Iohanni de Cuchari, canonico Plocensi, pro dampnis sibi per eum in villa Scolatowo et eius bonis dudum illatis in transitu ad bellicam expedicionem versus Sadlow pro feria IV^ta^ infra octavas s. Laurentii prox. affutura sub penis excommunicacionis Et dnus canonicus recepta huiusmodi obligacione consensit in prefati nobilis absolucionem..

A. 1466, Augusti 23, in Poltowsk in curia episcopali.

70. (Acta episc. I).. Nobilis Cristinus de Bilycze fideiussit satisfacere pro dampnis et raptu bonorum ecclesie per nobilem Michaelem de Wirzyky dno Iohanni de Cuchari, canonico Plocensi illatis, pro quibus idem Michael excommunicabatur, ad festum s. Martini prox. affuturum sub penis excommunicacionis. Et dnus canonicus recepta satisfaccione obligacionis in absolucionem dicti Michaelis consensit..

A. 1466, Augusti 29, in consistorio Polthoviensi.

71. (Acta offic. II). In causa honor. Petri, plebani in Sgyerz, contra Nicolaum Marzusch, procuratorem dni Stromylo, plebanus.. proposuit, quomodo die.. XXV Augusti predictus Marzusch in campo Nyechronka predictum Petrum verbis furiosis invasit armis atrocibus sibique in mortem diffidavit hiis verbis famam suam denigrando: tu dignus es occisione *opuchly opyly popye*, occisi sunt apud nos in Sonsk octo, qui in pensariis missas celebrabant et te fuerunt crispiniores, et pelles me in panem in Lythfaniam vel in Podole, ad quas partes me transferam te occidens; extimat iniuriam ad M flor. Hungar., petens eum in predictis florenis condempnari..

A. 1466, Septembris 3, in consistorio Polthoviensi.

72. (Acta offic. II). Christi nomine invocato.. pronunciamus et declaramus providum Iohannem oppidanum Zacroczimiensem a communione seu a percepcione venerabilis sacramenti ad festum Pasce preteritum ex causis confessorem moventibus pro hac vice dumtaxat suspensum fuisse ipsamque suspensionem honor. Iohanni, plebano in Zacroczim, per confessorem eiusdem Iohannis insinuatam et declaratam fuisse, ipseque plebanus predictis non obstantibus ipsum Iohannem

publice in ecclesia coram Christifidelibus excommunicare mandasse et excommunicatum pronunciasse sibique talia facere non licuisse et ob hoc ipsum racione huiusmodi iniuriarum in III flor. condemnandum esse et ad solucionem eorundem condemnamus. Pari modo sentencia pronunciamus sodam de serico textam per dictum Iohannem dicto Iohanni plebano pro explenda reverencia circa sacramentum Corporis Christi accommodasse ipsamque licet requisitus restituere contradixisse et contradicere et ob hoc ipsum ad restituendum eandem ipsi Iohanni alias ipsius valorem iuratum videlicet III florenos.. compellimus per presentes. Item pronunciamus.. impeticiones seu vexaciones per dictum Iohannem super quodam servicio seu equitatura ad Cracoviam fuisse et esse illicitas et de facto presumptas et ob hoc ipsum plebanum ab huiusmodi impeticionibus super servicio absolvendum fore et absolvimus per presentes, sibi Iohanni super eisdem silencium.. imponimus..

A. 1466, Septembris 10, in consistorio Polthoviensi.

73. (Acta offic. II). In causa vener. Pauli de Golynyno etc. plebani in Noszylsko, dnus Nicolaus canonicus, procurator dni doctoris, accusavit contumaciam nobilis Nicolai de Pnyewo non reconvenientis. Ex adverso Gamleth, procurator nobilis Nicolai proposuit, quod quamvis vener. dnus Paulus de Golynyno, decretorum doctor, ex causa permutacionis cum nobili Nicolao de Pnyewo pro decima manipulari ex hereditate et agris ipsius Nicolai cuiuslibet grani et seminis facte pratum, quod iacet circa fluvium Noszylna, pro eadem ad tempora vite sue recipere debebat, prout et post contractum recipiebat et falcastrabat, nichilominus tamen dum ipse Nicolaus in partes Litfanie ad servicia recesserat, ipse dnus doctor pactum ex causa permutacionis factum et litteris ducalibus aprobatum fregit et violavit et in dictis decimis ipsum Nicolaum spoliavit ipsos per XVIII annos recipiendo, extimans iniuriam ad C flor., petens ipsum in eisdem condempnari ac ad tenendum forum compelli..

A. 1466, Septembris 11, in Płock in curia episcopali.

74. (Acta episc. I).. Discretus Iohannes, altarista in Iezewo, apud acta fecit relacionem, quod ex mandato.. dni Stiborii D. g. episcopi Plocensis Nicolaum de Gambyno personaliter apprehensum et primo confessum, quod ipse sit Nicolaus de Gambyno, citavit eique terminum hodie ipso coram Rmo patre.. in curia episcopali assignavit; qui postquam citatus est, abnegavit se fore Nicolaum de Gambyno. Hora igitur vesperorum adveniente, circumspecto Iohanne magistro civium Plocensium accusante contumaciam prefati Nicolai non comparentis, dnus Episcopus per eundem presbiterum mandata fieri hic inter astantes proclamacione et facta atque executa, citato non comparente.. ad instanciam partis prefatum Nicolaum pronunciavit contumacem..

A. 1466, Octobris 29, in consistorio Polthoviensi.

75. (Acta offic. II).. Discretus Bartholomeus, vicarius de Wangra, faciendo satis termino sibi per.. dnum Stiborium, episcopum Plocensem, assignato ad diem hodiernam, purgando se de crimine sibi fama deferente videlicet homicidii, induxit sex compurgatores eiusdem ordinis presbiteros, petens sibi secundum iuris formam

iuramentum deferri et suis compurgatoribus. Et dnus Officialis recepto de hoc mandato Rmi dni Episcopi Plocensis speciali ab ipso recepit iuramentum sub forma tali: Ego Bartholomeus iuro, quod non feci crimen homicidii nec per me nec per suggestam personam nec consilio nec auxilio nec ratum habui homicidium factum in Zagroba per alios laicos, sic me Deus adiuvet et s. Dei Ewangelia. Item a conpurgatoribus recepit solitum iuramentum, quod credunt ipsum verum iurasse. Et ibidem purgatus petivit instrumentum publicum super hoc et litteras dni Officialis oportunas ad omnes in ecclesia Plocensi habitantes. Et dominus restituit fame prime et admisit in officio agentem. Presentibus..

A. 1466, Novembris 11, in Iunyecz in curia episcopali.

76. (Acta episc. I).. Dnus Stiborius D. g. episcopus Plocensis.. per expressum protestatus est, quod honor. dnus Petrus de Ianczewo, canonicus Plocensis et rector ecclesie parochialis in Plonsko protocolla seu notas suas et sui germani Preczslai olim canonici Plocensis iam defuncti, que dum in cancellaria pie memorie dni Pauli, episcopi Plocensis et predecessoris immediati dni Stiborii, episcopi Plocensis moderni, fuerant, habebat recollecta, que eciam tangebant factum ecclesie Plocensis, coram ipso.. dno Stiborio reproduxit unacum litteris institucionis et provisionis de ecclesia parochiali de Plonsko eidem per dnum Paulum episcopum facte et graciose concesse, vigore quarum litterarum ipse dnus Petrus Plonsky possessionem dicte ecclesie parochialis in Plonsko iuriumque et pertinenciarum ipsius nactus est et pacifice adeptus, in qua pacifica possessione dicte ecclesie hactenus continuat, prefatusque Rmus pater ibidem dictum dnum Petrum Plonsky sue ecclesie Plocensis ac suo nominibus quittavit ac quittatum reddit de ipsis protocollis..

A. 1466, Novembris 21, in Poltowsk in curia episcopali.

77. (Acta episc. I).. Dno Stiborio, episcopo Plocensi, pro tribunali.. sedente et coram sua Pte discreto Andrea vicario in Wrona, satisfaciendo termino sibi ex officio assignato, personaliter comparente, lectis et publicatis attestacionibus testium de vita ipsius Andree receptorum compertaque carnalitate ipsius et concubinatu ac frequentacione tabernarum, et propter hoc prefatus Rmus pater dictum presbiterum inherendo statutis suorum predecessorum pro prima delacione et inquisicione pro reatu concubinatus in I sexagena et pro frequentacione tabernarum in una media marca infra mensem solvendis sibi Rmo patri sentenciavit et condempnavit..

A. 1466, Decembris 16, in consistorio Polthoviensi.

78. (Acta offic. II). Iohannes de Ribno cum Lena de Lelewo personaliter convenientes, Iohannes predictus proposuit contra mulierem, quomodo vi compulsus metu pene XXX sexagenarum, pro quibus pater suus fideiussit dno Lelewsky, ut se copularet dicte femine, et eciam metu cruciatus, quia fuit ligatus fune in collo et manibus et si durasset sic vinctus, fuisset extinctus, et postquam evigilavit quasi de sompno audiens, quod idem nobilis Lelewsky comminatus [est] maiores penas sibi infligere, ivit ad ecclesiam et recepit mulierem ea intencione, ut evaderet cruciatum corporis et penam XXX sexagenarum, et postquam copu-

latus est, fugit et aliam currente tempore sibi duxit in uxorem, cum qua et prolificavit, super quibus omnibus recepit dominus ab ipsis iuramentum, quod ita est verum, sicut exposuerunt, et super hac veritate induxit testem Derslaum de Poltowsk, qui iurando dixit hoc totum esse verum, quia fuit presens et sic vidit hec fieri. Et dominus approbavit secundum matrimonium esse verum et ratum et primum tanquam metu extortum nullum et ibi dedit licenciam mulieri alium virum ducendi..

A. 1466, Decembris 19, in Poltowsk in curia episcopali.

79. (Acta episc. I).. Coram.. dno Stiborio, episcopo Plocensi, discretus Stanislaus, vicarius in Colno, ex officio citatus.. personaliter conparuit et in presencia eius attestacionibus de vita eius per visitatores deputatos receptis.. ipse Rmus pater ex consilio fratrum ipsum presbiterum pro eo, quod concubinam servavit et ex ea prolem suscepit, ad penitenciam II mensium in carcere hic in castro Poltoviensi faciendam condempnavit et terminum et tempus iniciande penitencie decrete feriam VI[tam] prox. post festum Epiphanie affuturum sub pena excommunicacionis assignavit..

A. 1466, Ianuarii 28, in Wischkow in curia episcopali.

80. (Acta episc. I).. Dnus Stiborius D. g. episcopus Plocensis discretum Iohannem Martini de Makowo, presbiterum in curia Romana ad sacros ordines ad provisionem honor. Mathie, plebani in Makowo ordinatum, examinatum prius et eius librata sciencia, ad duarum missarum officia, videlicet de b. Virgine et pro defunctis duntaxat, admisit celebranda, ita tamen, quod ante celebracionem primam missarum predictarum primo se representet dno Episcopo et examen subeat, utrum in ipsis missis et lectura earum sit perfectus, an non; nam si valuerit, liberum habebit aditum ad officia ipsa celebranda; de sacramentis autem ecclesiasticis et de ipsorum administracione se nullatenus ingerat, nec eorum aliqua administrare presumat, ne sua ignorancia in deterius prolabatur. Quod si studuerit et iudicatus fuerit valens ad integram missarum lecturam et celebracionem ac administracionem ecclesiasticorum sacramentorum per dnum Episcopum et subierit examen in re ipsa, secum per eundem dnum Episcopum dispensabitur..

A. 1467, Ianuarii 31, in consistorio Polthoviensi.

81. (Acta offic. II).. Vener. mgr. Thomas, officialis Poltoviensis, recepto speciali mandato.. dni Stiborii D. g. episcopi Plocensis.. vocato ad se discreto Stanislao commendario de Colno, qui penitenciam in castro Poltoviensi per ipsum Rmum patrem ipsi assignatam perficeret, interrogavit eum, an penitenciam sibi iniunctam propter acre tempus velit commutare; eo petente commutacionem dominus ipsum de carceribus remisit et terminum sibi ingrediendi carcerem et ceptam finiendi penitenciam feriam VI[tam] prox. post dominicam Quasimodogeniti prefixit sub eadem pena excommunicacionis..

A. 1467, Aprilis 29, in consistorio Polthoviensi.

82. (Acta offic. II). In causa honor. Thome, plebani in Smogorzewo, contra Petrum, plebanum de Ostrowa, mgr. Iohannes procurator Thome.. proposuit,

quomodo nobilis Petrus advocatus in Ostrowa ipsum Thomam ad legendas tres missas: unam pro defunctis, aliam pro peccatis et terciam de b. Virgine in ecclesia predicta, convenit, quam convencionem dnus Petrus plebanus ratam habuit et ipsum celebrare admisit, prout et pluries celebravit nullo impedimento, tamen ipse dnus Petrus non habita causa racionabili.. iniuriose ipsum ab huiusmodi leccione missarum expulit ipsum proclamando et infamando coram parochianis et ornatum sibi deponere mandavit, ipsum in hoc dampnificando in precio et expensis et in pecuniis expositis servicium querendo II sexagenarum, quas debuit habere a predicto Petro, quas expensas et precium extimavit ad IV sexagenas infamiamque et expulsionem ad C flor. Item proposuit, quomodo reliquias, quas dnus Thomas in sua ecclesia reliquit, sibi restituere denegat, petens eum compelli in petitis extimatis. Ex adverso Gamleth procurator plebani negavit.. addens, quod ultra horam solitam celebravit aliquando infra prandia et aliquando post meridiem et quod confessiones in taberna audiebat et absolvit cum hac condicione, quod has causas exprimebat plebanus, quando ipsum admittebat; Iohanne negante.

A. 1467, Iunii 5, in consistorio Polthoviensi.

83. (Acta offic. II). In causa discreti Pauli, clerici de Ponyath, contra nobilem Michaelem de Gliczye, procurator prefati clerici.. proposuit, quod Iacobus, frater Pauli germanus, [qui] regulam s. Bernardi suscepit, IV volumina videlicet grecismum, exercicium Donati, tractatus philosophicos et Alexandrum in valore II sexagenarum gr. mediorum per ipsum Michaelem.. fratri germano transmisit, qui veniens volumina fratri non dedit, sed pro se rapuit et usurpavit in preiudicium prefati clerici, petens ipsum ad restitucionem voluminum aut ad satisfaccionem cogi. Ex adverso Michael confessus est, quod recepit grecismum et exercicium Donati cum aliquot sexternis loice; terminus ad prestandum iuramentum super valore librorum ad XIIII dies.

A. 1467, Augusti 5, in Poltowsk in curia episcopali.

84. (Acta episc. I).. Coram.. dno Stiborio, episcopo Plocensi, cum vener. fratribus suis residente pro tribunali conparuit honor. Cunynsky, canonicus Polthoviensis, citatus ex officio ad audiendum attestaciones et summarias deposiciones testium iuratorum de vita et conversacione sua receptas.. quibus lectis.. comperto crimine concubinatus, quo notorie ipse canonicus, ut testes dicunt, laborat, interrogavit canonicum ipse dnus Episcopus, an aliquando pro tali crimine et excessu per predecessorem sue Ptis.. fuisset correctus; idemque canonicus respondit se semel iam pro eodem crimine fuisse correctum. Et ipse Rmus pater attento, quod iam pena pecuniaria fuerit castigatus, inherens statutis sue ecclesie ipsi penitenciam carceris II mensium hic in Polthoviensi castro peragendam iniunxit.. infra hinc et I mensem peragi incipiendam et continuandam, ut per mensem conpositis rebus suis carcerem ingrediatur, penitenciam iniunctam continuaturus..

A. 1467, Octobris 9, in Czarnostowo in curia episcopali.

85. (Acta episc. I).. Nobilis Iacobus de Othoczna, prolocutor et procurator per.. dnum Stiborium, episcopum Plocensem ad suas causas apud acta constitutus coram nobili Iasczoldo, advocato de Bissewo, iudice, per dnum Episcopum prefatum

assignato.. proposuit contra nobilem Iohannem de Glynnycze, advocatum in Grodek, quod dum ipse Rmus pater officialem suum ob non solucionem fertonum de dicta advocacia per totam terram Mazovie et advocatos episcopi in eadem consistentes solvi mandatorum et iam solutorum ipsum Iohannem advocatum pignorare demandasset, prefatus Iohannes advocatus pignora repercussit, alias *obronyl gwaltem*; et ipse advocatus Iohannes per suum prolocutorem ibidem in iudicio negavit narrata.. procuratore dni Episcopi offerente se intencionem suam probaturum per officialem, cui est credendum. Et dnus iudex Iasczoldus prefatus probacionem procuratori dni Episcopi infra II septimanas indixit..

A. 1467, Novembris 13, in Czarnostowo in curia episcopali.

86. (Acta episc. I).. Rmi.. dni Stiborii, episcopi Plocensis procurator legitimus apud acta coram me constitutus nobilis Zambay sue Ptis familiaris coram iudicibus deputatis et locatis secundum iuris terrestris consuetudinem, venerabili videlicet et nobili viris dnis Paulo de Golinyno, decretorum doctore, canonico Plocensi et preposito Polthoviensi ac Iacobo de Othoczno, sue Ptis magistro coquine.. contra.. Iohannem Goworkonis, advocatum de Gosczegewo, villa mense episcopalis Plocensis verbo proposuit, quomodo ipse Iohannes existens advocatus ecclesie non ad hoc ut noceat, sed ut pacem faciat ecclesie et suis hominibus, in civitate eiusdem ecclesie et mense prefati patris Rmi Polthowsko, in et adversum advocatum de Skornycze villa similiter episcopali proclamavit affines seu consanguineos suos nobiles Grzimali pro percuciendo ipso de Skornycze advocato ecclesiastico, cui pacem magis, quam periculum procurare tenetur, prout suum privilegium advocacie canit, pro qua advocacia ammitenda dnus Episcopus conqueritur, petens sibi eam ob id crimen adiudicari secundum privilegium, ad quod se idem Episcopus extendit; et hoc pro prima citacione proposicionis posuit, alias *wilozil.*

Item secundo, quod ipse Iohannes existens advocatus ecclesie ville, in qua advocatus est obligatus homines protegere non eis iniuriari, diffidat eosdem homines de Gosczegewo se percussurum facitque, quominus ipsi in domibus suis pace et quiete solitis fruantur et ob id petivit.. per iudices ad privacionem advocacie ipsius prefate similiter procedi secundum privilegium advocacie prefate, ad quod se extendit idem Rmus pater. Et ibi Iohannes prefatus advocatus.. petivit sibi terminum dari ad deliberandum pro respondendo..

A. 1468, Ianuarii 27, in Iunyecz in curia episcopali.

87. (Acta episc. I).. Coram.. dno Stiborio episcopo Plocensi.. nobilis Stanislaus de Grodzecz, capitaneus in Zacroczim.. citato discreto Andrea vicario de Wrona per honor. Leonardum plebanum in Maluzino.. contra eundem verbo proposuit, quomodo honestos Mathiam Sbik wladarium et Iohannem Cossel kmethones de Wrona idem Andreas presbiter.. violenter percussit et vulneravit, ob quam vulneracionem hominum predictorum petivit sibi penam *bythe* secundum terre consuetudinem adiudicari, offerens se scabinis secundum terre consuetudinem probaturum. Et dnus Episcopus auditis scabinorum iuratorum deposicionibus, quod videlicet viderint vulnera: apud Mathiam wladarium viderint digitum vulneratum et apud Iohannem eciam in digitis vulnera, secundum terre consuetudinem capi-

taneo prefato in ipso Andrea penam *bythe* adiudicavit exsolvendam ad terminos consuetudinis terrestris..

A 1468, Iunii 21, in Poltowsk in curia episcopali.

88. (Acta episc. I).. In castro Polthowsko apud Rmum.. dnum Stiborium D. g. episcopum Plocensem constitutus personaliter nobilis Petrus feodalis de Glathczino germanum suum Nicolaum similiter feodalem ob insultus et iniurias per ipsum Nicolaum hominibus ipsius Rmi patris et mense sue episcopalis prefate, quos protegere deberet, illatas captivatum, detentum et turris custodia mancipatum cavit et fideiussit ad primum ipsius Rmi patris in Polthowsko felicem adventum statuere in castro et presentare. Et prefatus Rmus pater vallata prius pena XXX sexagenarum communis monete, quas eciam predictus Petrus Glathczinsky cavit et fideiussit, quod infra tempus predictum idem Nicolaus homines predictos Rmi patris de Glatczino non debeat inquietare aut quomodolibet perturbare.. eundem liberum dimisit infra hinc et tempus predictum, quo adveniente Petrus Nicolaum statuet et dnus Episcopus pro iniuriis sibi et hominibus mense sue Ptis illatis cum eodem Nicolao experietur..

Penultima Augusti idem Rmus pater prefatum fideiussorem de caucione predicta emisit liberum; presentibus dnis Iacobo, castellano Warschoviensi, et Iohanne Campsky [1]).

A. 1468, Iulii 12, in Czerwinsk in curia episcopali.

89. (Acta episc. I).. In Czirwensko in pomorio curie episcopalis discretus Albertus, presbiter de Glynnycze, inquirente eum Rmo patre dno Stiborio, episcopo Plocensi, an videlicet, ut auditur, ribaldum in Russia interfecisset, confessus est per expressum, quod non unum sed XXX vel plus Tartarorum paganorum interfecimus unosemel, quod ipse Rmus pater protestatus est. Idem vero presbiter post protestacionem factam suum sermonem sic se intelligere dicebat, quod tunc, quando apud ducem Russie dictum Pyetko servierit, strage inter Lythwanos et Tartaros facta, ipse ut dicti ducis capellanus aderat, quando ipsius ducis perduelles XXX aut ultra Tartaros interfecerunt..

A. 1468, Novembris 6, in Poltowsk in curia episcopali.

90. (Acta episc. I).. Nobilis Bartholomeus de Grampczewo.. pro fratre suo dno Nicolao de Grampczewo promisit et se.. obligavit honor. Petro rectori ecclesie parochialis in Myschewo, quod ad festum s. Michaelis prox. venturum pro prefato fratre suo dicto Petro et ecclesie sue in Myschewo librum sapientialem Polonico sermone scriptum cum glossis, quem ab eodem Petro vendendum receperat, restituet aut pro eodem X flor. Hungar. ad tempus predictum persolvet sub pena excommunicacionis..

A. 1468, Novembris 16, in Wischkowo in curia episcopali.

91. (Acta episc. I).. Dnus Stiborius inter partes honestum Andream, ab una, et honestam Dorotheam, relictam Mathie de Golczewo, partibus ab altera.

[1]) Dopisek ten umieszczony został na marginesie.

cognito, quod inter ipsos matrimonium, quod contrahendum sibi alterutrinque verbis mutuis promiserant, et post non copulata relicta prolem concepit [1], diffinivit.. quod inter se matrimonium non possunt contrahere propter affinitatem inter eos existentem; item quod postquam prolem genuerit eo anno, idem Andreas prefate Dorothee XX gr. et anno sequenti alteros XX et tercio sequentique anno tercios XX gr., ita quod per tres sequentes annos post prolem susceptam I sexagenam in summa pro educacione prolis suscipiende debeat exolvere; et si proles masculina suscipietur, post predictos tres annos eundem masculum gignendum prefatus Mathias ad se suscipiat et de eo ut nato suo curam aget; quod si femina genita fuerit, eam ipsamet Dorothea ad finem ut genitrix conservabit..

A. 1469, Ianuarii 4, in Poltowsk in curia episcopali.

92. (Acta episc. I).. Coram.. dno Stiborio D. g. episcopo Plocensi.. honestus Petrus Dirloch de Crassowo proposuit verbo contra.. honor. Iohannem rectorem ecclesie parochialis in Crassowo pro eo, quod dum nobilis Abraham de Nyeczikowo contra eundem Petrum occasione quarundam suarum iniuriarum iudicialiter in iure Culmensi egisset prefatoque nobili de Nyeczikowo probacio delata fuisset, pro certo die videlicet feria VI post festum s. Nicolai preteritum, quo die adveniente idem Petrus Dirloch contra unum testem nobilis de Nyeczikowo excepit, quod sit ligatus sentencia excommunicacionis et propter hoc a testimonio repellendus, ius igitur Culmense pro dubii diffinicione ad iudicem districtus Czechonoviensis detulit, ubi iudex testimonium habere voluit, quod plebanus litteris suis dedit, faciens testimonium, quomodo idem incola, contra quem exceptum fuerat, tunc non fuerit ligatus sentencia excommunicacionis, (prout idem plebanus cedulam quandam sine data de manu vener. dni Thome officialis Polthoviensis sub eius sigillo coram ipso Rmo patre reproduxit) [2], allegans idem Petrus, quomodo idem plebanus huiusmodi datum testimonium false extradidisset, prout se probaturum offert per eius vicarium et ministrum, quod [die] dominico prox. precedenti idem, contra quem exceperat, denunciabatur excommunicatus. Plebanus negavit, quod false testimonium dedisset, quoniam ex littera reproducta de manu dni Officialis certificatus fuerat de prefati incole de Nyeczikowo absolucione, sed certificatus per litteram Officialis testimonium fecit et tradidit. Probabit Petrus, quod ea die, quando contra incolam excepit, fuerit excommunicatus. Quam iniuriam et dampnum, quibus prefatum Petrum plebanus dampnificavit sua predicta testificacione, ad $1^1/_2$ sexagenam existimat, petens easdem in eodem sibi adiudicari.

A. 1469, Maii 12, in Poltowsk in curia episcopali.

93. (Acta episc. I).. Dnus Stiborius D. g. episcopus Plocensis discretum Paulum de Lyssowo, presbiterum castri Poltoviensis hac vice super excessibus per eum huc commissis ex deposicionibus testium sinodalium contra eum inductis distulit puniendum ad peticionem magnifici dni Iacobi, castellani Warschoviensis, suspenditque effectum punicionis ad regressum eiusdem Pauli ad diocesim sue Ptis, quem iuxta contenta deposicionum et quantitatem delictorum eiusdem Pauli punire reliquit..

[1]) W ustępie tym zachodzą niewątpliwie opuszczenia z winy notaryusza.

[2]) Ustęp w nawiasie przekreślony.

A. 1470, Maii 9, in Poltowsko in curia episcopali.

94. (Acta episc. I).. Dnus Stiborius, episcopus Plocensis, pro tribunali ad iura audiendum residens nobilibus Petro de Sluzewo, nomine tutorio nate sue Agnetis, ex Iachna olim advocatissa in Caczicze sua uxore legitima olim relicta Stanislai advocati in Caczicze suscepte, advocaciam predictam in Caczicze post mortem dicte Agnetis germani Stanislai, dicte Iachne filii ex priori marito Stanislao ibidem advocato habiti, iure Culmensi petenti et agenti, et Martino de Woyni patruo dicti Stanislai defuncti iure Polonico, quod sibi ibidem servire pretendit, ex privilegio advocacie originali eandem advocaciam ad eum iure Polonico devolutam affirmanti per signum illius ville alias iuris Culmensis *culq* coram scabinis citato conparentibus et hincinde advocaciam sibi adiudicari petentibus, pro clariori informacione termini ad capitulum pro festivitate Nativitatis b. Marie prox. celebrandum in Ploczko prorogavit et assignavit ad revidendum et cognoscendum, an iure Culmensi aut Polonico in dictam advocaciam post mortem dicti Stanislai utrinque petitam successio fieri deberet..

A. 1470, Augusti 20, in Czarnostowo in curia episcopali.

95. (Acta episc. I).. Coram.. dno Stiborio D. g. episcopo Plocensi ad iura reddendum et iusticiam faciendum pro tribunali residente comparuit vener. dnus Nicolaus de Mnyschewo, arcium liberalium magister Cracoviensis et Plocensis cathedralium ecclesiarum canonicus, et crida sibi per Rdum patrem predictum dnum iudicem ad presentacionem preclarorum principum dnorum Kazimiri, Boleslai et Ianussii ducum Mazovie de altari in ecclesia cathedrali Plocensi per mortem Mathie Myanowsky eiusdem ecclesie possessoris et altariste vacanti de sua persona factam decreta, legitime executa reproducta, citatorum non conparencium contumaciam accusavit et in contumaciam illorum de dicto altari se petivit institui et investiri. Dnus iudex pronunciavit contumaces et in contumaciam illorum decrevit presentatum investiendum, effectum tamen contumacie suspendit ad horam vesperorum; post prandia vero honor. Andreas de Orlow, vicarius perpetuus Warschoviensis, procurator honor. dni Iohannis Daczbogii de Orlow legitimus, de cuius procuracionis mandato constabat.. comparuit et reproducta similiter crida in vim presentacionis preclari principis dni Conradi, ducis Mazovie, de persona prefati Iohannis Daczbogii de Orlow facta, per eundem dnum iudicem decreta, licet non executa, nomine procuratorio dicti dni Iohannis presentati institucionem mgri Nicolai predicti arestavit et contra cridam pro eo decretam sic excepit: quod non alius de ipso altari vacanti investiri deberet, quam presentatus predictus dni Conradi ducis, qui unicus ut t u t o r e t g u b e r n a t o r t e r r a r u m M a z o v i e et suorum germanorum dicti altaris est patronus, et pro illo tenetur, habetur et reputatur littereque eiusdem dni Conradi sub titulo sue Srtatis, genitoris sui sigillo quo utitur sigillate per terram transeant et eisdem obediatur et ad eiusdem presentaciones plurimi beneficiati collacionis similis sunt instituti; prefatus vero Rdus pater dnus Episcopus partibus aut per se iuris ordine iusticiam facturum aut iudicem, quem elegissent, deputaturum se obtulit, qui iusticiam in premissis facere, cognoscere poterit et diffinire; prefatus vero Andreas procurator deliberare voluit. Et dnus Episcopus ibidem se facturum et deliberaturum offerens infra hinc et feriam IV^tam^ post festum s. Martini prox. afiuturum negocium suspendit, ut

interim sua Ptas dictos dnos duces ad pacis unitatem et mutuam caritatem, resecatis huiusmodi hincinde altricacionibus, si poterit, inducat et litigia amputet. Quod si facere non poterit, extunc partibus predictis ad ea, que iuris fuerint, facienda feriam IV^tam post festum s. Martini predictam in Poltowsko comparendi coram sua Pte terminum prorogavit. Presentibus ibidem nobilibus Iacobo de Othoczna magistro coquine et Nicolao de Carnyewo dicti Rdi patris familiaribus et me Michaele de Praszmowo etc. facti etc. scriba.

A. 1472, Aprilis 17, in Cyrwyensko in curia episcopali.

96. (Acta episc. III).. Honor. dnus Iohannes de Grodzysko canonicus Plocensis Rmo.. dno Kazimiro D. g. electo confirmato ecclesie Plocensis et vener. dno Nicolao de Myrzynyecz, decretorum doctore, canonico et officiali generali Plocensi assessore iudicio pro tribunali sedentibus nomine instigatorio contra honor. et religiosum Iohannem, prepositum et curatum ecclesie parochialis in Wischegrad, proposuit, quomodo in dicta Wischegrad ipsius prepositi parochia enormitates scandala et multa vicia per parochianos propter ipsius incurabilitatem committuntur, pro quibus excessibus neque superiori detulit, nec eciam ipse solus monicione sui officii pastoralis correxit; petivit dictus instigator eundem prepositum in pena carceris aut C florenis ob hoc condempnari, ad quam proposicionem idem prepositus excipiendo allegavit ea scandala, existente suo immediato antecessore fore commissa. Item dictus instigator contra eundem prepositum proposuit, quod ipse ex inobediencia sua reverenciam in suscepcione dni Electi confirmati cum processione et aliis cerimoniis, sicut apud kathedralem et ceteras ecclesias exibuerunt, non exibuit, prefatus dnus instigator.. petivit dictum prepositum carcere concludi aut in C florenis condemnari. Et dictus prepositus allegavit ignorasse ingressum Rmi ipsius dni confirmati. Insuper.. contra eundem prepositum instigator prefatus proposuit, quod eciam in sua parochia clerici ordinati leduntur et quidam clericus de scola percusserit alium hominem propter dissolucionem ministrorum sue ecclesie; petivit idem instigator eundem prepositum in eisdem penis condemnari; allegavit prepositus ordinacionem ministri ecclesie fore consulum civitatis et sub eius potestate non esse. Et dominus Confirmatus cum suo prefato assessore propter maiorem informacionem de premissis deliberavit et terminum II^da die post suum prox. in Cyrwyensk ingressum prefixit eidem preposito, et si honeste vivet et oves sibi commissas bene direxerit, grates obtinebit; alias si de premissis taliter commissis dnus Confirmatus fuerit informatus, in penis eisdem condempnabitur ad solvendum..

97. (Ibidem).. Constituti personaliter nobilis et honesta Albertus de Zarambino et Anna, advocatissa de Plonsko, per medium arbitrorum et amicabilium compositorum, videlicet honorabilis et nobilium Stephani, plebani in Capynosch et Iacobi Zaraba de Zarambyno, Iohannis de Szeczemyno, de et super lite, causa et litispendencia matrimonii inter prefatos Albertum maritum, ab una, et Annam uxorem suam legitimam, parte ab altera, post copulam intentatis palam et publice contractum concordie recognoverunt: propter senectutem et impotenciam viri sibi invicem consenserunt singulariter et quilibet de per se in eorum bonis propriis, videlicet Albertus maritus in hereditariis in Zarambino et advocacia in Bogoschino et Anna uxor sua in advocacia sua in Plonsko libere sine ulteriori impedimento

permanebunt et eorum quilibet permanebit ad tempora vite sue, eciam quilibet horum bonis eisdem, uti alicui eorum melius et utilius videbitur expedire, utifruetur et ad suos beneplacitos usus convertere poterit absque consensu et requisicione alterius nec eciam dictus Albertus post mortem eiusdem Anne aliquam propinquitatem ipso facto poterit adipisci et nec ipsa Anna similiter post mortem dicti Alberti sui mariti habebit aliquam ad bona ipsius propinquitatem; hoc tamen singulariter expresso, quod adinvicem tanquam vir cum sua uxore possunt, dum placuerit, cohabitare. Insuper causam et litem inter se occasione simultanee cohabitacionis motam in punctis et clausulis universis, in quibus pendebat indecisa, omnibus incidentibus, emergentibus et connexis cause eidem ultimum finem et silencium perpetuum imposuerunt, quemquidem contractum in suis omnibus condicionibus pars utraque sub vadio XXX sexagenarum firmiter.. conservare debebit.

A. 1472, Aprilis 27, in Poltowsk in curia episcopali.

98. (Acta episc. III).. Nobilis Petrus de Popowo.. ecclesie parochiali in Wyschegrad ad manus honestorum Iohannis et Nicolai de dicta Wyschegrad eiusdem ecclesie vitricorum XI capecias roborum, videlicet: tres ad XX cubitos et duos longitudinis et latitudinis in fine tenuiori unius pedis cesorum alias *flakowanego;* item III capecias ad XX cubitos, duas vero tignorum alias *kosslow,* et alias tres pro minoribus tignis alias *lathąm* super aliud tempus veris quamprimum post resolucionem glacierum.. per decursum fluviorum remittere debet et per presentes se obligavit in Wischegrad eadem robora sub numero et quantitate tradere; et eciam prefati vitrici confessi sunt et se obligaverunt, ut quamprimum dictus nobilis Petrus ordinatis huiusmodi roboribus illis significaverit pro transduccione, debebunt illi IV sexagenas destinare, cum autem ad ripam ad Wischegrad cum roboribus eisdem applicuerit, extunc residuum pecuniarum in foro contractus inter se expressarum, videlicet VII sexagenas, debebunt ipsi Petro.. dare et exsolvere. Presentibus ibidem generosis viris Mathia de Koszyelnycza capitaneo Viznensi et Pelka de Cobilnyky plebano in Dzyerschemino Rmi dni Electi notario et me Iacobo etc.

A. 1472, Octobris 2, in Iunyecz in curia episcopali.

99. (Acta episc. III).. Rmo patre preclaro principe dno Kazimiro D. g. electo Plocensi confirmato duce Mazovie, Russie etc. pro tribunali.. residente, discretus Stanislaus de Iunyecz minister ecclesie parochialis in Crolewo.. proposuit contra Nicolaum, plebanum in Iunyecz, quomodo partem suam colende ipsum concernentem videlicet XII gr. racione servicii scole, quod apud eundem anno prox. preterito habuit, retinet nec vult sibi solvere, petens eundem compelli ad solvendum. Ex adverso Nicolaus plebanus predictus in Iunyecz respondendo sue proposicioni dixit, quod colenda propter paupertatem hominum nondum [est] exacta. Et dnus Electus plebanum predictum condempnavit, ut in exactione colende faciat diligenciam et id, quod dictum Stanislaum concernit, facta exactione solvet. Item prefatus dnus Nicolaus de Iunyecz plebanus reconveniendo contra prefatum Stanislaum proposuit, quod ipse plebanus racione certorum sermonum de Sanctis per dictum Stanislaum sibi rescribendorum eidem Stanislao dedit certam decimam in valore XL gr. et cum hoc V gr. patri dicti Stanislai, quos eidem racione census annui

tenebatur, refalcavit et pepercit; qui Stanislaus nondum labores scripture predicte complevit, nec complere curat, petens ipsum compelli ad complendos huiusmodi scripture labores. Ex adverso Stanislaus huiusmodi proposicioni sue reconvencionali respondendo negavit pactum et forum fuisse inter eos contractum, dicens huiusmodi decimam sibi fuisse per ipsum dominum plebanum racione aliorum serviciorum datam, deferens iuramento dicti dni plebani, quod racione dicte scripture decimam predictam sibi dedisset. Quo iurare volente dictus Stanislaus dimisit eidem iuramentum, et dnus Electus ex iuramento delato et dimisso per suam sentenciam condempnavit eundem Stanislaum ad complendum labores scripture predictos..

A. 1472, Novembris 1, in Poltowsk in curia episcopali.

100. (Acta episc. III).. Testes recepti super occisione discreti Stanislai vicarii in Gromadzyno et occisore eiusdem citati iurati:

Primus testis honor. Stanislaus rector ecclesie parochialis in Gromadzyno, cuius fuit prefatus Stanislaus presbiter occisus vicarius.. deposuit, quod anno presenti die dominico ante II septimanas prox. transacto idem Stanislaus, plebanus in Gromadzyno, cum dicto Stanislao, vicario suo, in suis negociis ad plebanum in Wyrzbowyecz descenderat, quo domum redeunte, dictus Stanislaus vicarius ibidem relinquerat, qui postea suis dispositis negociis in domum suam remeans in villam Brzesznycza et in domum Mathie Schepyolak kmethonis, ubi nupcie celebrari debuerunt, descenderat, ubi data fuit sibi torta cum carnibus et lingua bovina; quo iter suum in Gromadzyno continuante Martinus Kyenka de Brzesznycza, Martinus de Strobyno alias Bystri, Iohannes Sulantha de Zelona, quidam alius dictus Closz consanguineus Martini Kyenka solivagus, nescitur unde sit, in quadam domo deserta ville predicte custodiebant convivas alias *swathow*, qui feminam portare debuerunt maritatam noviter ad dictum Mathiam Schepyolak; prefato Stanislao vicario viso tortam portante predictam sibi donatam, irruerunt in eum dicentes: des nobis tortam; quo dare nolente percusserunt eundem baculis, lanceis ipso extra villam emisso; quo sic percusso receperunt eidem tortam cum aliis, que habebat. Qui vicarius die crastina de mane inventus est percussus, vulneratus adhuc supervivente (s), quem deponens audita sua percussione cum curru veniens eundem recepit vix spirantem. Item deponens dixit, quod percussio et occisio predicta facta fuit sero in nocte; non fuit solus circa percussionem, sed audivit a probis viris, quod supradicti eundem occiderunt, dicens communem esse famam de isto apud vulgares..

A. 1473, Maii 3, in Poltowsk in sinodo diocesana.

101. (Acta episc. III).. Rmo.. dno Kazimiro D. g. electo Plocensi confirmato duce Mazovie, Russie etc. sacrosanctam synodum in ecclesia collegiata Polthoviensi s. Marie pro moribus in clero et populo reformandis viciisque extirpandis sollempniter celebrante, datis per eundem deputatis et locatis iudicibus synodalibus pro iusticia cuiquam conquerenti ministranda, discretus Iacobus rector ecclesie parochialis in Drosdowo coram prefato Rmo patre iudicibusque synodalibus tunc in dicta sacra synodo presidentibus contra et adversus honor. Meczslaum de Pyencyno rectorem ecclesie parochialis in Wysna proposuit, quomodo ipsam ecclesiam suam predictam in Drosdowo parochialem de et super iure pa-

rochiali decimisque nobilium ville Cossaky in parochia Drosdowo consistenti impedit, perturbat et molestat nobilesque in dicta villa consistentes Cossaky premissorum occasione excommunicat, petens eundem ab huiusmodi impedimentis cohercere silenciumque eidem perpetuum imponendum fore; prefato dno Meczslao plebano in Wysna ex adverso principali respondente, quod dicta villa Cossaky iure parochiali unacum decimis ad ipsum suamque ecclesiam in Wysna parochialem spectant et pertinent pleno iure. Dnus vero electus cum dnis iudicibus synodalibus.. demandavit vive vocis oraculo dictis partibus post prandium circa horam vesperorum pro iusticia recipienda in castro Polthoviensi ipso die comparere. Quibusquidem partibus coram prefato Rmo patre et iudicibus synodalibus.. videlicet vener. dnis Paulo de Golynyno preposito, mgro Mathia de Sluzewyecz archidiacono et officiali Polthoviensibus, et mgro Nicolao de Mnyschewo Cracoviensi et Plocensibus canonicis comparentibus.. prefatus Iacobus plebanus de Drosdowo instrumentum sentencie diffinitive sub titulo et sigillo olim mgri Thome archidiaconi et officialis Polthoviensis.. coram prefato Rmo patre et dictis iudicibus in medium produxit, allegans fore rem iudicatam dictamque villam Cossaky unacum decimis nobilium in dicta villa consistentibus sibi eiusque ecclesie in Drosdowo fore adiudicatam. Quiquidem Rmus pater unacum cum dictis dnis iudicibus viso.. dicto instrumento sentencie diffinitive.. dictam villam nobilium Cossaky iure parochiali unacum decimis prefato dno Iacobo plebano in Drosdowo eiusque ecclesie adiudicaverunt.. prefato quoque dno Meczslao plebano in Wysna.. perpetuum silencium imponentes, a quaquidem sentencia prefatus dnus Myeczko verbo appellavit. Presentibus..

A. 1473, Maii 4, in Poltowsk in sinodo diocesana.

102. (Acta episc. III).. Discretus Dobeslaus rector ecclesie parochialis in Camyenyecz coram.. Rmo patre [dno Kazimiro electo Plocensi confirmato] et venerando, venerabilibus et honorabili viris dnis Raphaele abbate Czyrwenensi, Paulo de Golynino preposito, mgro Mathia de Sluzewyecz archidiacono et officiali Polthoviensibus, decretorum doctoribus, mgro Nicolao de Mnyschewo Cracoviensi et Plocensibus, Nicolao vicecustode Polthoviensi canonicis, iudicibus synodalibus.. proposuit, quomodo Srmi preclarique principes dni duces Mazovie cuidam honesto N. dicto Drzysch villico in Iadowo de genere plebeyo progenito eiusque successoribus certam peciam terre in bonis et hereditate ac infra limites ville predicte Iadowo iure hereditario in perpetuum dederunt.. huiusmodique donacionem eorum litteris.. roborarunt, petens se informari, cui ecclesie parochiali decime de dictis agris.. dicto Drzysz villico.. donatis quomodolibet provenientes, an videlicet ecclesie in Camyenecz, an alteri de iure debeant provenire. Prefatus vero Rmus pater cum dictis dnis iudicibus synodalibus.. exquisito prius et intellecto, quod decima manipularis cuiuslibet grani et seminis de dicta villa post omnes et singulos kmethones, incolas et agricultores.. ad ecclesiam parochialem in Clambowo eiusque rectores pro tempore spectat et pertinet pleno iure, decreverunt sinodaliter, quod prefate decime de dicta donacione prefato Drzysz villico in Iadowo.. donata quomodolibet provenientes, cum sint infra limites ville predicte Iadowo ecclesie parochiali in Clambowo eiusque rectoribus.. debent provenire et ad ecclesiam predictam in Clambowo spectare et pertinere..

A. 1473, Mai 14. in Poltowsk in curia episcopali.

103. (Acta episc. III). Oblata proposicione coram Rmo dno Kazimiro electo confirmato Plocensi duce Mazovie nomine instigatorio contra discretos presbiteros Plocensis dioceseos Michaelem Iohannis de Cyrnyewo et Laurencium Iohannis de Wischegrad, quod ipsi incontinenter et dissolute mores sacerdotales peragunt in scandalum Christifidelium et periculum suarum animarum, Rmus dnus Electus ob hoc [ipsos] condempnavit ad penam carceris I septimane. Cum quibus benignius agendo mandavit eisdem propter emendacionem sue vite, ut a tempore s. Petri prox. venturo loca sue habitacionis causa serviendi permutent, neque in locis eisdem, in quibus ante sive minister sive vicarius serviebat, stare et servire debebunt, ac eciam dicti presbiteri se presentibus obligarunt sub expulsione de diocesi Plocensi..

A. 1473, Maii 27, in Poltowsk in curia episcopali.

104. (Acta episc. III) Decretum ex sinodo.. Vener. dni mgr. Nicolaus de Mnyschewo, Cracoviensis et Plocensis canonicus, mgr. Mathias de Sluzewyecz archidiaconus et officialis Polthoviensis et Nicolaus canonicus et vicecustos eiusdem Polthoviensis ecclesie, iudices per Rmum.. dnum Kazimirum electum confirmatum ecclesie Plocensis, illustrissimum ducem Mazovie, in sinodo in prefata collegiata ecclesia protunc celebrata ad infrascripta nominati et deputati, primum arguebant honorabilem...... plebanum in Pyssky propter certa sua crimina, pro quibus in carcerem ex sinodo fuerat missus, unde eductus........ prefati dni iudices et vigore huiusmodi littere commissionis sentenciarunt, quod plebanus prefatus exnunc vitam suam reformabit actusque sacerdotales rite peraget et mulierem, quam ad presens fovet, cum qua cohabitare repertus est, omnino dimittet bonisque et exemplaribus operibus insistat, secus si fecerit, extunc non obstante permutacione aut resignacione sua beneficio suo privandus est; quod decretum plebanus ipse acceptavit et se eidem submisit et obligavit..[1]).

105. (Ibidem).. Prefati dni iudices pro tribunali sedentes honor. Mathiam plebanum in Koprzywnycza eductum et absolutum a carcere in presencia suarum Dnacionum constitutum arguerunt de moribus suis maliciosis, quem decreverunt, quatinus infra II septimanas mulierem, cum qua cohabitat, omnino de domo sua plebanali propellat et dimittat, neque cum illa decetero manere presumat sub privacione sui beneficii, permutacione aut resignacione per ipsum faciendis omnino non obstantibus, vitam insuper meliorare debebit.

106. (Ibidem).. Prefati dni iudices.. in presencia eorum honor. Allexium plebanum in Zambrowo astantem arguebant de statu suo malo et decreverunt, quatinus omnimode mulierem, cum qua cohabitare inventus est, dimittat et vitam suam melioret sub privacione sui beneficii idque decretum plebanus ipse acceptavit et se submisit.

107. (Ibidem).. Mathias plebanus in Syedlecz absolutus a carceribus per prefatos iudices deputatos sentenciatus est, quod decetero vitam suam melioret neque peramplius fovebit mulierem, cum qua cohabitat, et si repertus fuerit in opere eodem, privandus erit beneficio suo, quod decretum idem plebanus acceptavit et se submisit..

[1]) Luki w tekscie pochodzą ztąd, że rękopis jest w znacznej części wytlały i nieczytelny.

A. 1473, Julii 19. in Poltowsk in curia episcopali.

108. (Acta episc. III).. Nobilis Iohannes Chodupsky obtento beneficio absolucionis a sentenciis excommunicacionum, quibus ob indecentem cohabitacionem cuiusdam concubine sue excommunicabatur, Rmo dno Kazimiro electo confirmato ecclesie Plocensis promisit et se presentibus obligavit, quod decetero talem concubinam non tenebit nec cum illa indecenter cohabitabit, secus si fecerit, quod documento fidedignorum testium probaretur, pena turris Czechonoviensis arcis puniendus erit per preclarissimum dnum Iohannem ducem Mazovie et dominum Czechonoviensem, cui hec deferenda deberent..

A. 1473, Augusti 27, in Mankolyn in curia episcopali.

109. (Acta episc.) III).. Coram Rmo dno Kazimiro electo confirmato Plocensi honor. Iohannes in Bransko plebanus instigatorio nomine contra honor. et religiosum gwardianum ordinis b. Francisci de conventu Dobrinensi verbo proposuit, quod ipse ultra concessionem ordinis eiusdem, nulla obtenta licencia a loci ordinario, parochianos ecclesie parochialis in Dobrzyn sacramentis ecclesiasticis procurat, item et in prompto Iohannes plebanus in Dobrzyn contra eundem gwardianum proposuit, quomodo ipse nonnullos conservat in suo conventu excommunicatos illosque confessiones audit et absolvit, parochianos insuper suos sacramentis procurat, mortuos eciam in suo conventu tradit et sepelit ecclesiastice sepulture in preiudicium et spolium eidem plebano et sue ecclesię faciendo. Rmus dnus Electus eisdem auditis precepit et inhibuit prefato gwardiano, quod decetero et peramplius de huiuscemodi parochianorum procuracione se intromittere nec presumant, et quilibet defunctus, qui in ecclesia dicti conventus tumulandus est, de porcione canonica plebano respondere tenebitur. Item idem Iohannes plebanus contra Stanislaum Curopathwa presbiterum in Dobrzin morantem proposuit, quod animo iniuriandi et furioso extendit manum contra eundem et verbis infamatoriis infamavit, petens eundem sentenciam canonis ob hoc incidisse et racione infamie in C florenis condempnari. Insuper dictus Stanislaus eidem plebano in mortem per suggestionem amicorum suorum machinatur, petens quid agere debeat informari; et quod dictus Stanislaus decimas manipulares per nonnullos parochianos plebano debendas in parte tulit et pro residuis decimantes absolvit; ad queque Stanislaus negavit narrata. Ex adverso plebanus obtulit se probaturum. Item contra eundem Stanislaum proposuit et illum Rmo dno Electo denunciavit, quod sit i n c a n t a t o r, quod quibusdam l i t t e r i s s e u s c r i p t u r i s f e b r e s c u r a r e dicitur; cui Rmus dnus mandavit et pro termino prefixit cum eisdem litteris et suis formatis in capitulo pro festo Nativitatis s. Marie in Ploczk in proximo celebrando comparere et statui. Item contra Iacobum Cholewczik presbiterum in Dobrzin morantem plebanus proposuit, quod sibi decimam manipularem per quendam nobilem dictum Plonyensky tulit, dampnum existimans ad...[1]) sexagenas, petens cogi ad satisfaciendum.. Item contra Simonem Stroschewsky proposuit, quod quadam die in zacristia animo iniuriandi extendit manum contra plebanum.. Idem Simon allegavit, quod solus ipse plebanus extendisset manus contra eundem Simonem.. Item denunciavit eundem Rmo domino, quod ludit in alea, ex confessatis idem Simon condempnatus est in pena sinodali..

[1]) Luka w rękopisie

110. (Ibidem).. Plebanus prefatus de Dobrzin contra prefatos presbiteros Stanislaum, Iacobum et Simonem proposuit, quod morantes in Dobrzin circa ecclesiam suam cum laicis incedentes per angulos irrident eum nec illi uti rectori ecclesie obediunt, neque ut presbiteri in superpiliciis eorum in ecclesiam intrant, facientes in scandalum suorum parochianorum. Rmus dnus Electus precepit dictis presbiteris, quatinus peramplius et de cetero plebano obedienciam et reverenciam exhibeant et in superpiliciis ecclesiam intrent et in solennibus diebus, dum plebanus vesperas intonuerit versumque et capitulum decantaverit, extunc astare eidem plebano debebunt pro reverencia maiori cultus divini et in exemplum Christifidelium.

A. 1473, Octobris 18, in Poltowsk in curia episcopali.

111. (Acta episc. III).. Preclaro principe dno Kazimiro D. g. electo Plocensi confirmato duce Mazovie.. pro tribunali sedente circumspectus Petrus causarum consistorii Polthoviensis et honorabilis Mathie rectoris ecclesie parochialis in Przewodowo procurator.. proposuit contra.. nobilem Thomam advocatum de Cosslowo, quomodo ipse de anno presenti die dominico in ecclesia parochiali predicta, prefato Mathia plebano in ambona verbum Dei populo utriusque sexus ad divina audienda congregato proponente, dum et quando ipse plebanus ex officio pastorali sibi iniuncto auctoritate ordinaria cupiens dictum Thomam tanquam ovem errantem cure sue pastoralis subiectam ad ovile reducere dominicum, ipsum pro quadam muliere maritata dicta Masyurna, quam tenuit in concubinam, quatinus eandem sub penis excommunicacionum dimitteret, salubriter et pie admonebat et requisivit, ipse vero coram multitudine populi sexus utriusque salubribus monicionibus suis renitendo, in ipsa ecclesia timore Dei et modestia humana postpositis in iniuriam.. et dehonestacionem ipsius Mathie plebani ac gravamen non modicum alta.. voce.. protulit dixitque in hec verba vel eis in effectu similia: Tu solus es peior, quam dicta mulier, tu propinasti cervisiam cum muliere, cum qua contra honestatem tuam cohabitasti, — et alia plura iniuriosa et infamatoria verba, propter que nondum completo officio cure pastoralis de ambona descendit et a complecione officii sui cessavit, facta coram populi multitudine protestacione; quas iniuriam, infamiam et dehonestacionem ipse dnus Mathias extimavit et modo extimat ad C flor. Hungar. puri auri.. petens.. ipsum in dictis C flor. racione premissorum.. condempnari..

A. 1473, Novembris 12, in Poltowsk in curia episcopali.

112. (Acta episc. III).. Testes pro parte Mathie plebani in Przewodowo, contra nobilem Thomam advocatum de Coslowo inducti.. et.. examinati:

Primus testis discretus Zemak vicarius in Przewodowo nacione tamen de Cansze, non consanguineus, quia nobilis.. interrogatus, quid sibi constaret de causa inter Mathiam plebanum de Przewodowo et Thomam advocatum de Coslowo, dixit sibi constare, causam reddens, quia fuit in ecclesia presens, quia vicarius eiusdem ecclesie, — quomodo uno die dominico infra missarum sollempnia peracto sermone exercens pastorale officium monuit prefatum Thomam et matrem dicti Thome, quatinus quandam mulierem maritatam, cuius nomen deponens ignoravit, ut ipsam non tenerent in domo et ut rediret ad maritum suum, quia suspecta fuit de adul-

terio cum dicto Thoma advocato, quodque eidem mulieri inhibita fuerit ad manendum villa Cosslovo predicta, qui contra prohibicionem eandem mulierem tenuit. Item iterum prima Dominica post festum s. Michaelis in dedicacione ecclesie in ibidem Mathias plebanus prefatus cantans summam missam, verbum salutis populo ad divina congregato proponens, post sermonem similiter monuit dictum Thomam et matrem eius dicens in hec verba vel eis in effectu similia: Ibi est apud Thomam advocatum in Cosslovo et matrem eius quedam mulier maritata, cui villa est prohibita, et moneo eam sub pena excommunicacionis, ut non maneat in mea parochia. Et audita monicione prefata Thomas advocatus de Cosslowo.. clamorosa voce in conspectu populi ad divina congregati dixit: Tu me castigas et solus es peior et moraris inhoneste, ut ad te non decet, — et plebano faciente protestacionem coram populo ipse Thomas iterum adiunxit, dicens alta voce ibidem in ecclesia: Et non memoraris tu, quando tu discurrebas per nemora cum muliere propinando cervisiam; adiungens eciam et dicens in hec verba vel eis in effectu similia: Gratus es, quia portata est ancilla filio tuo; alia plura dicens et clamans in ecclesia et precipue, quia eciam dixit in ecclesia: Ero tibi similis, sicut et tu michi. Plebanus propter clamorem et insolenciam eius nondum peracto officio exhortacionis descendit de sede ad altare ad complendum missam. Testis dixit predicta audivisse, quia tunc rexit chorum, sub quo choro tunc idem Thomas fuit, tantum dixit sibi constare..[1]).

A. 1475, Ianuarii 17, in consistorio Polthoviensi.

113. (Acta offic. IV). In causa discreti Nicolai de Vasosche cum provido Paulo Munch oppidano de Vasosche mgr. Petrus nomine procuratorio discreti Nicolai.. proposuit pro eo, quia sibi occupavit granarium patrimonii sui cum pratis et ortis fructusque percipit ab VIII annis: quolibet anno per XX gr. percepit, petens compelli ad restitucionem et ad cessionem de eodem granario. Ex adverso honor. Thomas procurator laici produxit litteras de iudicio a consulibus, allegans rem iudicatam, insuper litteram ducalem sub sigillo. Ex adverso mgr. Petrus excepit contra litteras, quod sunt surrepticie impetrate et obtente non iudicata parte; insuper allegavit, quod non resignavit coram scabinis prefatus Nicolaus predictum granarium cum ortis, pratis iuxta consuetudinem banniti iudicii, et insuper allegavit, quod Nicolaus per ius superius alias *ortyl* latum de Wyzna obtinuit, ad quod se refert ad consules tam Wyznenses quam in Vasosche, qui viso eodem *ortyl* eidem Nicolao adiudicaverunt dictum granarium, et hec omnia obtulit se probaturum. Et dominus visis litteris sub sigillo civitatis et litteram ducalem confirmantem adiudicacionem, quam fecerant dni consules et dnus princeps cum dominis, quarum litterarum seriem inserere iussit et dno Nicolao super petitis silencium[2]) imposuit et in expensis condempnavit Nicolaum in XI gr. solvendis infra quindenam, a quibus omnibus mgr. Petrus gravaminibus appellavit ad generalem officialem Plocensem..

A. 1475, Februarii 18, in consistorio Polthoviensi.

114. (Acta offic. IV).. Honestus Petrus de Kowalowicze nacione recognovit, quia apud vener. viros prelatos et canonicos Poltoviensis ecclesie suscepit man

[1]) Pięciu dalszych świadków zeznaje podobnie zupełnie jak pierwszy. [2]) Cod. sigillum.

sum ad residendum in suburbio Poltoviensi, de quo eisdem canonicis obligatur solvere censum, ut alii kmethones canonicorum, et si contigerit ipsum resignare alicui aut recedere, extunc tenebitur sub pena excommunicacionis, prout se summisit, adimplere ius iuxta consuetudinem terre et laudum terre..

A. 1475, Martii 14, in consistorio Polthoviensi.

115. (Acta offic. IV).. Nobiles Stanislaus de Sadokyers, Nicolaus de Grabowo heredes fideiusserunt sub penis iuxta laudum terre, quia nobilis Iacobus Nozewsky uxorem suam Zuzannam debet pertractare uti uxorem et quod.. non offendat in mortem per se nec per summissam personam machinetur; et econverso Zuzanna non debebit machinare eidem in mortem..

A. 1476, Septembris 18, in consistorio Polthoviensi.

116. (Acta offic. IV).. Discretus Stiborius vicarius in Ganschowo.. proposuit contra discretum Bartholomeum, succentorem in Ganschowo, quod eum infamavit in taberna, dum fuit vocatus presbiter per honestum Iohannem Zimnik, dicens: tu nichil scis, nec legere nec predicare nec accentuare; item ipsum rapuit per guttur et pressit ad columnam et ex eius pressione presbiter accepit lesuram et vulnus ad caput, quod et monstravit. Item proposuit contra discretum Iohannem ministrum, quod eum infamavit percuciendo ad domum ipsius: nisi fuisset protectus, defensus per plebanum, fuisset interemptus, extimans [iniuriam] ad C florenos..

A. 1476, Decembris 13, in consistorio Polthoviensi.

117. (Acta offic. IV).. In causa discreti Andree de Crosczino cum honor. Iohanne plebano in Grudowsko, prefatus Andreas.. proposuit pro XX gr., quos sibi arbitri adiudicaverunt arbitrarie pro labore antiphonaris; item pro eo, quia iuxta eandem sentenciam arbitralem antiphonare papireum debuit ad tempora elapsa coram arbitris reponere, et non reposuit; item proposuit pro pena vallata X flor. petens compelli ad solucionem..

A. 1477, Aprilis 1, in consistorio Polthoviensi.

118. (Acta offic. IV) Nobilis Andreas de Campa duas dicas cere tenetur, parochia in Virzbovyecz; Nicolaus Rogala Rothman dni Vylkanowski II dicas; Petrus villicus de Colaczkowo tenetur dicam cere, parochia in Paluky; nobilis Iacobus de Myslkowo dicam cere tenetur, parochia in Baboschewo; nobilis Laurentius et Petrus de Myesky tenentur II dicas cere, parochia in Vynnycza; Mathias et Paulus kmethones in Brzesno II dicas, parochia in Goworowo; nobilis Cristinus de Smyrdzy Grochi dicam tenetur, parochia in Gzy; Mathias et Stanislaus filiaster suus II dicas, parochia in Przasnysch [1]); Swanch de Orzechowo dicam, parochia in Pomnychowo; Petrus et Vanczek cmethones de Zatori II dicas, parochia ibidem; Albertus familiaris dni Lubeczky Marschalkonis de Lypp dicam, parochia in Lyff; Petrus et Iohannes de Iablecznyky II dicas, parochia in Clukowo; Petrus procurator dni doctoris de Obrythe tenetur dicam, parochia in ibidem [2]); Petrus, Thomas et Nicolaus de Galachi III dicas, parochia in Szacroczim,

[1]) Dziesięć ostatnich słów przekreślonych, na marginesie dopisek: »solverunt«.

[2]) Jedenaście ostatnich wyrazów zostało przekreślonych.

Mathias, Iohannes, Martinus et Michael fratres germani et patrueles cmethones de Coslowo II dicas cere tenentur, parochia in Przewodowo [1]).

A. 1477, Iulii 11, in consistorio Polthoviensi.

119. (Acta offic. IV).. In causa discreti Petri Gyrszinsky cum honor. plebano in Lysakowo, mgr. Petrus reconveniendo prefatum Petrum proposuit contra eum pro eo, quia dum fuit conventus ad serviendum in servicio sue vicarie, extunc non fuit diligens in suo officio, et primo non audivit confessiones tempore Nativitatis Christi; item quod non officiavit iuxta suum officium a festo Michaelis usque ad festum s. Elizabeth; item pro eo, quia multis vicibus recedebat ab ecclesia non habita licencia speciali et loco sui non ordinavit aliquem et tardabat aliquando duos dies, aliquando duas septimanas; item pro eo, quod noluit pueros baptisare; item pro eo, quia predicabat verbum divinum clamando et signando super plebanum, quando predixit; item libros laniavit et passionem in missali annichilavit; item armatus veniens in domum plebani cum securi, alias *bartha*, ipsum verbis inhonestis dehonestavit, minas ei inferendo, arma volvendo super caput plebani, et aliis multis vicibus ipsum inhonestavit et ob hoc ipsum plebanus de servicio licenciavit et ob hoc petivit sibi cassari provisionem propter tales insolencias..

A. 1477, Octobris 10, in consistorio Polthoviensi.

120. (Acta offic. IV). In causa honeste Barbare de Poltowsko cum nobili Stanislao de Stawyeschewo, procuratore in Nowemyastho, discretus Thomas Sokolowsky proposuit contra nobilem pro eo, quia dum ipsa Barbara iter agebat a nobili Golczensky in Poltowsko completis serviciis iuxta consuetudinem a termino recedendo, extunc ipse nobilis non habens litteram ad eam causam, ipsam spoliavit et recepit de ea tergistrum, alias *rabek*, in valore IV gr., camisiam cum collario in valore VIII gr., *zapasnyk* pro VIII gr., aliam camisiam in valore II gr., bursam alias *kyelnyk, chomelka* et [cum] peplo, tunicam nigram pro media secunda sexagena et VIII gr., petens compelli ad restitucionem iniuste ablatorum.. Item proposuit pro eo, quia ipsam ligatam, compeditatam tenuit in ergastulo, alias *w zemniczy*, ultra III dies fame cruciando, extimans infamiam ad XXX flor. petens compelli ad solucionem occasione infamie et huiusmodi cruciatus corporis. Super hiis omnibus nobilis obtinuit terminum deliberatorium ad quindenam.

121. (Ibidem). In causa honeste Anne miserabilis persone de Poltowsko cum nobili Stanislao de Sweschewo procuratore in Nowemyastho, discretus Thomas procurator Anne proposuit contra nobilem pro eo, quia de presenti anno citra festum s. Margarethe, dum ipsa Anna ivit de oppido Syeprcz peractis serviciis ad terminum s. Iohannis iuxta consuetudinem in ipsa provincia tentam et sic iter agendo descendit in oppidum Nowemyastho propter disponenda sibi negocia, idem nobilis Stanislaus.. [ipsam] detinuit, captivavit, in cippum reclusit per tres dies ultra et imponendo spoliavit denudando et deducendo coram hominibus res, quas habuit, ab ea recepit: fertonem in mediis gr., linthiamen pro fer-

[1]) Zapiska ta opatrzona jest nagłówkiem: »Cera obligata ecclesie in Polthowsk«. Obok tego nagłówka ta sama ręka wypisała drobniejszem pismem: »homicide«.

tone, camisiam pro V gr., tergistrum alias *rabek* pro tribus, X ulnas tele pro X gr., camisias alias *kosulky* pro III gr., bursam *myesek* pro II gr., cultellos pro IV gr., collaria alias *konlerze* pro III gr., *zapasnyky* tres, duo pepla, petens compelli ad restitucionem iniuste ablatorum; infamiam, dehonestacionem extimavit ad XXX flor. Ex adverso nobilis obtinuit terminum deliberatorium ad quindenam.

A. 1477, Octobris 22, in consistorio Polthoviensi.

122. (Acta offic. IV). Iohannes Parszrznyewski, canonicus Poltoviensis, procurator nobilis Nicolai Sarnowsky substituit discretum Thomam Sakowsky in procuratorem eiusdem Sarnowsky in omnibus causis specialiter in causa, quam habet cum nobili Mathia citarista domini et illustris principis Boleslai.

A. 1477, Decembris 3, in consistorio Polthoviensi.

123. (Acta offic. IV). In causa honesti Nicolai de Czyzewo cum discreto Petro de Morany vicario in Czyzewo, honor. Iohannes, canonicus Poltoviensis, procurator layci.. proposuit contra presbiterum pro eo, quia ipse Petrus de anno Dni M etc. LXXVII in die Simonis et Iude apostolorum circa quartam horam noctis ad ipsum Nicolaum tabernatorem veniens cum gladio [et] fusta in domum laici cepit uxori verba inhonesta et turpia dicere, et laicus volens ipsum modo pulcerrimo de domo sua evadere dixit illi: dne Pater date michi pacem domui, quia tempus est vobis iam dormire; et ipse postea laico insurgens evaginato gladio vulneravit ipsum et intulit sibi tria vulnera: unum letale cruentum in caput et duo livida: unum ad caput et aliud in manum, que vulnera et verba ita turpia extimat ad XVI ducatos puri auri.. Item [proposuit] pro eo, quia ipse eadem nocte cum aliquibus nobilibus, quos tunc habuit in domo sua, scilicet: Andrea Zemak, Alberto de Syenycza et Petro Markowsky, excusserunt hostia eiusdem tabernatoris ad palacium et ad cellarium et sic receperunt mediam tunnam cervisie et ebiberunt in domo eiusdem presbiteri, et sic recesserunt domum apertam [relinquentes] et ibi pecora sumserunt et pecudes, que dampna fecerunt in braseo et in aliis rebus, que omnia extimat ad mediam sexagenam gr. in mediis, quare petit ad solucionem dampni [compelli]..

A. 1477, Decembris 9, in consistorio Polthoviensi.

124. (Acta offic. IV).. Discretus Mathias presbiter de Lomza relacionem fecit, quia citavit providum Mathiam Schepielak de ibidem ad instanciam Derslai. Et in instanti dicto citato comparente discretus Derslaus vicarius in Lomza proposuit verbo, quomodo de anno presenti Dominica ante Martini ipso residente in domo dni plebani veniens dictus Mathias petivit predictum Derslaum tanquam commendarium, ut quosdam homines permitteret copulari semel tantum premissis bannis, illeque facere noluit, allegans fore illicitum, dictusque Mathias extenta manu hic idem in presencia multorum hominum cepit sibi minari verbis contumeliosis, dicens inter cetera: Si ego te haberem in taberna, informarem te melius; illeque protestatus est hominibus circumstantibus et notario publico de violencia domus plebani et persone sue moxque ivit ad consules ipsis narrans factum statimque consules miserunt pro eo; cum venit, domini quesiverunt eum de facto; ille statim dixit: possum de eo loqui, quia inveni eum cum muliere iacentem. Dominique

propter irreverenciam eis factam illum castigaverunt, prout eis videbatur melius. Et actor protestatus est, quia ipse nullam castigam exigebat ab eis, dicens: habeo dominum, qui loquetur pro iniuria sua et mea. Ex adverso dictus Mathias negavit.. et dixit: si aliquo excessi, tum punitus sum..

A. 1478, Martii 13, in consistorio Polthoviensi.

125. (Acta offic. IV). Cera — Nicolaus de Brozno parochianus ecclesie in Goworowo tenebitur sub pena excommunicacionis tres dicas cere infra tres annos pro qualibet feria V^ta^ magna.

Nobilis Thomas de Modzele parochianus ad Clukowo dicam cere tenetur in tribus septimanis post Pascam reponere ecclesie in Polthowsk.

Honestus Petrus de Gostkowo et Nicolaus Dlughy de Prasznych parochie, Petrus in Craszne, pro festo Marie Magdalene tenentur per dicam cere.

Stanislaus et Mathias de Makowo quilibet per dicam cere pro festo s. Michaelis.

Iacobus Czychy, sutor de Poltowsko, tenetur dicam cere.

Iacobus de Brzesznya, parochia in Goworowo, dicam cere.

Iohannes Czasky de Czechonowo dicam cere.

Iacobus Sdun de Czechonowo aliam [dicam] tenetur.

Iacobus de Gnyeszdowo tenetur dicam cere parochie in Pysky.

Nobilis Nicolaus de Grodzycze parochie in Vansossche duas dicas, qui germanum interfecit.

Albertus de Zacrzewye, parochia in Makowo, dicam cere.

Nobilis Allexius de Nowawyesch, parochia in Ianowo, mediam dicam cere.

Nicolaus Swyanthoslai de Rabowo, parochia in Paluky, dicam.

Iacobus de Sowino, parochia in Pnyewo, dicam cere.

Petrus filiaster Iacobi de Zathori dicam cere, parochia in Barczycze.

Iacobus Surschey de Zacroczim dicam, parochia ibidem.

Nicolaus de Ploczka dicam, parochia ibidem.

Nobiles Stanislaus Traska et Albertus de Lyczky dictus Kosczescha duas dicas.

Paulus de Wasoche parochia ibidem dicam.

Martinus Iohannis de Ossathka, parochia in Troschino, dicam cere post (s) in Rosan.

Iacobus et Mathias germani et alter Mathias affinis eorum de Nova villa, parochia in magna Crzynowloga, quilibet per dicam cere tenentur.

Petrus de Smigewo tenetur dicam cere, parochia ibidem.

Andreas de Lanczino, parochia in Cleczkowo, dicam cere.

Nobilis Michael de Lady, parochia in Gzy, dicam cere.

Iohannes et Martinus germani de Kamyenyecz, parochia ibidem, quilibet ipsorum per dicam.

Focas faber de Makowo, parochia ibidem, dicam cere.

Nicolaus et Mathias filiaster suus de Coprzywnycza, parochia ibidem, per dicam cere.

Paulus Grodzy de Iaroslaw, parochia in Zelona, dicam cere.

Martinus de Zabrusz, parochia in Cyrznycze, dicam.

Stanislaus filius Sychno de Lysakowo, parochia ibidem, dicam cere.

Swanthoslaus molendinator de Orzechowo dicam cere, parochia in Pomnichowo.

Thomas oppidanus de Syroczecz, parochia ibidem, dicam cere.

Iohannes filius Venceslai de Grudowsko, parochia ibidem, dicam cere.

Paulus Zelazo de Czebnyewo, parochia in Sachoczyno, dicam cere.

Iohannes de Gostkowo, parochia in Zampska, dicam.

Mathias Kaletha et Nicolaus Nowothny de Rosky, parochia in Golynino, duas dicas.

Simon de Ostralanka, parochianus ibidem, dicam.

Petrus Bylyczycz de Zathori, parochia ibidem, dicam cere.

Mathias et Stanislaus familiares dni Rogala de Wyelgolasz fratres duas tenentur dicas cere, parochia in Obrythe.

Iacobus et Iohannes germani patrueles de Kownathy, parochia in Czechonow, duas dicas.

Mathias de Obyerzanowo, Petrus de Dabrowka et Stanislaus gener Nyeczkowa de Makowo omnes tres dicas, parochia omnium in Makowo.

Mathias et Iohannes germani de Cyroczecz duas dicas.

Abraham de Ianczewo, parochia in Zuzel, dicam cere.

Nobiles Iohannes et Iacobus germani de Rosky, parochia in Golynino, duas dicas cere.

Albertus de Chrosczewo duas dicas cere: unam pro festo Margarethe proximi anni, aliam sequentis anni pro eodem festo.

Nobilis Iohannes de Chmyelewo, parochia in Clukowo duas dicas cere.

Nobilis Michael de Gromadzyno, parochia in Colno, duas dicas cere.

Thomas de Czyzewo dicam cere, parochia ibidem.

Swanthoslaus de Prassznysz dicam cere.

Stanislaus de Razny, parochia in Bransk, dicam cere.

Iohannes Zaczecz de Slubowo, parochia in Nyegowo dicam cere.

Circumspectus Iohannes Crawyecz [1]) de Czechonowo duas dicas cere: unam pro festo s. Marie Magdalene, aliam pro sequenti anno.

Honestus Albertus de Lubomyna tenetur dicam cere pro festo Pasche proxime venturo, parochianus de Noschylsko.

Nobilis Nicolaus de Obydrzyno, parochia in Paluky, tenetur duas dicas cere: unam pro festo Pasche prox. venienti et aliam pro eodem festo sequentis anni.

Stanislaus Pyenka de Zathory solvit II gr. pro cera.

Troianus de Moczarze, parochie in Burzyno, dicam cere pro feria V^{ta} magna.

A. 1478, Martii 30, in consistorio Polthoviensi.

126. (Acta offic. IV). In causa nobilium Ade de Kathne cum nobili Luca de Rostky, honor. Iohannes Parznyewsky, canonicus Polthoviensis, procurator Ade legitimus, hanc proposicionem in scriptis.. obtulit: Coram vobis vener. viro mgro Mathia de Sluzeviecz decretorum doctore, archidiacono et officiali Poltoviensi, ego Iohannes nobilis Ade procurator contra nobilem Lucam de Rosthky

[1]) Na interlinii nad tym wyrazem ta sama ręka napisała: »sartor«.

propono et dico et si negatum fuerit, probare intendo, quod licet usuraria pravitas cuilibet precipitur, solum tamen Iudeis et non Christifidelibus gradata et successiva conceditur, ut in rubrica: Extra, De Iudeis, — a forciori a Christifidelibus tanquam pestis amara debet evitari penitus et profligari, ut testatur Sacra pagina: mutuum dantes et nichil inde sperate, — et psalmigrapho: qui pecuniam suam non addidit ad usuram etc., qui facit hec, non commovebitur in eternum. Hiis vero non attentis, ymmo parvipensis nobilis Lucas de Kostky paucis capitalibus pecuniis, puta V sexagenis, nobili Ade de Kathne per ipsum in mutuum communicatis a tribus annis iam elapsis ab ipso nobili Adam recepit usurarie tres sexagenas a predictis V sexagenis ipsum usurarie dampnificando et ipsam usuram pro nullo crimine ponderando, cum tamen ipsa usura animam usurarii fune infernali alligat et alligatam tamdiu detinet, donec fraudato ad satisfaccionem pervenitur; quare nomine procuratorio.. peto ipsum nobilem Lucam compelli ad reddendum alias ad solvendum tres sexagenas per ipsum a dicto nobili Adam sic usurarie receptas, dicto nobili Ade Vestre Venerabilitatis iusticia semper salva, et protestatur de expensis in lite factis..

A. 1478, Aprilis 22, in consistorio Polthoviensi.

127. (Acta offic. IV). In causa honor. Slawoslai, plebani in Vangra, cum circumspecto Nicolao Pobyek, oppidano in Poltowsko, mgr. Petrus nomine procuratorio plebani in Vangra proposuit contra laicum pro eo, quia dum tenuit mansum obligatum a plebano in Strachoczino in IV sexagenis, extunc ultra sortem principalis pecunie extorsit ab eo usurarie census infra VI annos quolibet anno per XXI gr., extimavit summam ad III sexagenas cum VI gr., insuper labores infra sex annos unum diem singulis septimanis, quemlibet dixit valere I gr., ancas infra dictos VI annos, quamlibet dixit [valere] unum medientem; XXX ova singulis annis, II gallos singulis annis, extimavit hec omnia ad mediam octavam sexagenam minus IV gr., petens compelli ad solucionem usurarie perceptorum..

A. 1478, Maii 4, in consistorio Polthoviensi.

128. (Acta offic. IV). In causa honor. Iohannis, plebani in Pyathnycza, cum discreto Alberto, vicario in Pyathnycza, mgr. Petrus.. nomine procuratorio proposuit contra Albertum pro eo, quia.. post mortem plebani antecessoris ipsius Iohannis rapuit librum, in quo continenbatur excerpta iuris canonici et sacramentale mgri Nicolai de Blonye in valore X flor., petens compelli ad restitutionem valoris prefatorum petitorum librorum..

A. 1478, Maii 29, in consistorio Polthoviensi.

129. (Acta offic. IV). Discretus Thomas Sokolowsky, vicarius in Polthowsk. fecit relacionem, quia mgrum Petrum procuratorem Mathie succentoris in Vagra citavit.. ad instanciam honestorum Laurencii et Iacobi laicorum de Vagra. Et in continenti idem Stanislaus procurator laicorum proposuit contra Mathiam pro eo, quia idem Mathias concussit citharam in valore V gr., item pro II gr. impensis pro labore citarisacionis per duas noctes; item pro eo, quia ipsum Iacobum fugabat animo percuciendi, extimando infamiam ad II flor., item pro fertone deperdito in huiusmodi fuga; item pro eo, quia mettercius in via libera in Vagra transeunte

ipso Iacobo de taberna ipse Mathias percussit ipsum ad pectus ferretico cornuto, extimans percussionem ad XX flor., item pro eo, quia concussit sibi frameam, qua se defendebat in valore XV gr., item pro eo, quia dum ipse Iacobus fuit in taberna, volens se occultare ab ipsius seva percussione, ipse Mathias ipsum evocabat ad percuciendum de taberna, et dum exire noluit, ipsum infamavit, dicens ipsum fore furem, malum hominem, extimans infamiam ad X florenos, petens ipsum in hiis condempnari. Ex adverso mgr. Petrus procurator Mathie obtinuit terminum deliberatorium ad quindenam..

A. 1478, Iunii 1, in consistorio Polthoviensi.

130. (Acta offic. IV). Coram principe, capitaneus Poltoviensis — Discretus Nicolaus fecit relacionem, quia honestam Smichnam citavit.. ad instanciam honor. Nicolai capitanei et canonici Poltoviensis. Et in continenti idem honor. canonicus constituit discretum Thomam Sokolowsky in suum procuratorem.. Et.. idem procurator.. proposuit contra honestam Smichnam viduam in Poltowsko.. pro eo quia ipsa.. tempore adustionis castri Poltoviensis in nocte sexternos psalterii cum aliis rebus quam plurimis preciosis, quas extimavit ad C flor. Hungar., recepit et tenet contra suam consciencіam, petens compelli ad solucionem. Ex adverso mulier petivit se admitti ad ponendum evictorem, a quo habuit prefatos sexternos psalterii sex, quos reposuit in manus notarii. Dnus capitaneus nolens credere mulieri de parendo iuri, petivit Rdum patrem et dnum Episcopum Kazimirum Plocensem ad compellendum mulierem ad ponendum fideiussores de parendo iuri. Et dominus petita fieri decrevit. Presentibus generoso Iacobo Marsalko, discreto Nicolao substituto dni capitanei canonici Poltoviensis, honor. Nicolao Kosobuczsky, cancellario Plocensis capituli, testibus circa premissa.

A. 1478, Iunii 3, in consistorio Poltoviensi.

131. (Acta offic. IV). In causa nobilium Stanislai de Wysczoly cum Augustino et Daczbogio de Marzwsche, discretus Thomas Sokolowsky procurator Stanislai.. proposuit, quod licet secundum leges divinas atque canones novorum et antiquorum iurium quilibet Christianus fidelis sub dampnacione eterna fugiens pravitatem usurariam debet sortem principalis pecunie a fructibus perceptis defalcare, nichilominus tamen prefatus Albertus olim dictus Wrobl de Marzwsche pater ipsorum accommodaverat ipsi Stanislao Wysczela II sexagenas in mutuum in mediis gr. et ab eis II sexagenis exegit, extorsit usuram II sexagenas minus VI gr. contra precepta divina et humana, ipsi nobiles descripti existentes in derelictis patris sui finem receperunt XX gr. in usura et sortiti sunt in partes equales; quare V. Venerabilitatem, dne iudex, ipsos peto compelli ad solvendum dictas II sexagenas usurarie perceptas.. Ex adverso nobiles obtinuerunt terminum deliberatorium..

A. 1478, Iulii 3, in consistorio Polthoviensi.

132. (Acta offic. IV). In causa discreti Martini de Slasy cum honor. Iacobo plebano in Paluky, idem proposuit contra plebanum pro eo, quia ad presentem annum pro festo s. Petri, tempore solito servicia scolastica dari, sibi servicium dederat et dum pro eodem tempore ad serviendum venit ab Universitate Craco-

viensi, ipse plebanus ipsum scole servicium denegavit et denegat, petens plebanum condempnari in fatigis et impensis, quas fecit in Paluky ab Universitate Cracoviensi, necnon ad dandum servicium compelli scole in dicta Paluky; extimavit fatigas cum impensis ad XII flor. Hungar., in quibus ipsum petivit condempnari.. Ex adverso plebanus.. negavit..

A. 1479, Martii 27, in consistorio Polthoviensi.

133. (Acta offic. IV). Oblata citacione.. nobilis Andreas de Modzele proposuit verbo contra nobilem Stanislaum pro eo, quod dum nobilis prefatus Stanislaus recepit in testem et in testimonium Andream de Modzele, cavit pro penitencia, quecunque foret eidem Andree iniuncta: sive in oracionibus sive in ieiunio sive in cera danda, racione prefati testimonii et quod dictam penitenciam ipse nobilis Stanislaus de Modzele non vult assumere neque ceram pro eo dare, petens compelli ipsum ad assumendum predictum. Ex adverso Stanislaus optinuit terminum deliberatorium.. post Conductum Pasce.

A. 1479, Aprilis 28, in consistorio Polthoviensi.

134. (Acta offic. IV). Discretus Michael de Gostinino substitutus dni doctoris fecit relacionem, quia circumspectum Venceslaum oppidanum Poltoviensem citavit ad presentem diem ad instantiam discreti Laurencii de Byelsko. Et idem proposuit contra Venceslaum pro eo, quia una die certo tempore dum voluit defluere in Gnansk cum *skutha* cum frumentis, extunc ipsum convenit pro XCV gr., qui debuit gerere et se summisit adimplere officium aquaticum, scilicet exploracionis aque, scilicet *rothmanycz*, et gerere officium navis alias *sternykyem bycz*, extunc dum defluxit in Vislam, non potuit adimplere officium exploracionis aque, et sic post alios exploratores fluxit, quos convenerat, Zawol et Dobeslaus, et sic *skutam*, quam rexit, postergavit et post ipsos fluere permisit et retardavit, ipsum dampnificavit in marca videlicet XX gr. Item pro eo, quia non recepit *masth* de domo, et sic proposuit, quod pro *masth* in via dedit mediam marcam [cum] ipsius dampno, quia debuit et promittebat excidisse in via, petens ipsum compelli ad solucionem. Item pro eo, quia ipsum infamavit turpibus verbis, extimavit ad XX gr. infamiam. Ex adverso Venceslaus reconveniendo proposuit pro XVI gr. accommodatis: fertone et IV [gr.] solarii, petens compelli ad solucionem. Ex adverso Laurencius confessus est se teneri eosdem grossos, sed voluit defalcare ex eadem pecunia, in qua ipsum dampnificavit, ut in proposicione deduxit. Venceslaus autem.. negavit narrata; Laurencius iurabit in quindena super dampnis sibi illatis, de infamatoriis verbis obtulit se probaturum..

A. 1479, Octobris 1, in consistorio Polthoviensi.

135. (Acta offic. IV). In causa nobilium Beate et Margarethe de Cobylino cum nobilibus Nicolao et Helena sua uxore de Cobylino, Beata et Margaretha proposuerunt pro eo, quia dum [Beata] filiam suam [Margaretham] ordinavit ad serviendum sibi, extunc ipse Nicolaus promittebat sibi, quod ipsam debuit servare cum honestate, et sic apud eum serviens impregnata est, extimavit infamiam ad C flor. Item Margaretha proposuit pro XVIII gr. servicii promeriti, camisia, cingulo, ove, tergistro *rabek*, petens compelli ad solucionem..

A. 1483, Maii 28, in Poltowsk in curia episcopali.

136. (Acta episc. III).. Constituti personaliter apud acta nobilis Adam de Radzimino et Iacobus plebanus de ibidem fassi sunt et confitebantur palam et publice se inter se talem fecisse composicionem, quod scilicet Iacobus plebanus omnes et singulos redditus ecclesie sue in dicta Radzimino disposicioni et ordinacioni ipsius dni Ade commisit et committit, qui Adam habebit apud ecclesiam presbiteros idoneos ponere et locare et illos ipse plebanus non debet neque poterit alienare aut quoquomodo evadere, nec unquam aliquem presbiterum vel ministrum apud ecclesiam ponere ipse plebanus poterit vitam vivente dicto Adam, nisi de consilio ipsius Adam genitoris sui, prefatus autem Adam tenebitur honestis expensis dictum Iacobum plebanum, interim quod in studio generali Cracoviensi steterit, providere et aliis necessariis, utputa vestibus conpetentibus statui clericali, et de residuo ecclesiam ipsam in Radzimino reedificare et reficere; obtulit se eciam ipse Adam dicto Iacobo providere de pecuniis, si et in quantum postea dimisso studio vellet se ad Curiam Romanam transferre aut si vellet in curia ducali stare insequendo curiam principum Mazovie; ipse autem plebanus submisit se et obligavit nunquam prefatum Adam patrem suum aliquibus citacionibus vexari et in causas trahere, quoad viveret, sed in omnibus sibi ut patri deferre; postquam autem prefatus plebanus studium dimiserit et ad propriam ecclesiam redierit, tunc de fructibus ecclesie sue, ut placebit, disponet communicato nichilominus consilio patris sui Adam, et ita concorditer vivere ambo promiserunt..

A. 1483, Novembris 4, in Wyszkow in curia episcopali.

137. (Acta episc. III).. Constituti personaliter coram Rmo.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi honestus et honeste Laurencius Zorkovicz ac Margaretha et Anna ipsius germane unacum aliis suis amicis suo et iunioris fratris sui nominibus lamentose questi sunt proponentes contra honor. Nicolaum plebanum in Wischkowo, quod scilicet ipsorum matrem Barbaram coniugem Nicolai Zork ipsorum patris anno currenti de certo mense dure verberavit, de et a qua verberacione dicta Barbara infirmata fuit et decumbens prefatum Nicolaum plebanum de morte sibi imminenti culpabat et inclamabat his vel similibus verbis: A manibus Nicolai plebani morior sive moritura sum; et tandem in eadem infirmitate mortua fuit ac diem clausit extremum. Ex adverso plebanus fassus est eandem Barbaram verberasse uti suam subditam corrigendi causa et percussione modesta, quia resti. Ex adverso Laurencius suo et sororum suarum ac fratris iunioris nominibus replicando [proposuit], quod non resti eam verberavit, sed ulmo vulgariter *tyczą*, quam ulmum ipsa Barbara fractam in domum suam attulit, ex qua percussione ipsa Barbara medebatur ope cirurgicorum, petens eum ad solvendum penam capitis pro matre occisa compelli, offerens se negata probaturum; et Rmus dnus Episcopus decrevit probaciones per conquirentes fieri..

A. 1484, Martii 31, in Poltowsk in curia episcopali.

138. (Acta episc. III). In causa vener. dni Petri Pomnichowsky canonici Plocensis, contra honestum Ieronimum Jaroch, oppidanum de Zacroczim, dnus canonicus . proposuit, quod ipse ad olim honestum Martinum Mroczek de Cassova credidit et tradidit centum minus una cutes vulpinas causa faciendi pelliceas et

elaboratis II pelliceis residuo pellium restante idem Ieronimus post mortem dicti Martini Mroczek unam pelliceam et pociorem e domo dicti Mroczek cum residuitate pellium ad se in Zacroczim tulit et ipsam pelliceam induebat et ambulabat et eam, ambulans et portans indutam, commaculavit et vilem veteremque ex nova fecit, extimans damnum pellicee et pellium ad XL flor. petens eum in eisdem condemnari. Exadverso Ieronimus fassus est, quod scilicet dictam pelliceam induebat et indutam portabat, offerens se soluturum eandem, quatenus est depeiorata et vilis facta, residuitatem autem pellium fassus fuit se habere et servare fideliter, offerens se restituturum easdem pellium residuitates. Et dnus Rmus episcopus decrevit, quod magistri fraternitatis pellificum revideant easdem residuitates et pelliceam taxent; qui huiusmodi residuitates revidentes retulerunt, quod nichil damni in eisdem factum est, preter defectum trium cutium; pelliceam vero estimaverunt valuisse et valere XVI aureos, et si per magistrum peritum bene fuisset laborata, valeret et valere posset XX aureos et ultra. Et dnus Rmus decrevit, quod prefatus Ieronimus pelliceam sibi capiat et ipsius valorem dno Petro canonico solvat aut alias interim et feriam terciam prox. cum dno canonico componat, et si non composuerit, eandem feriam III^am^ ipsis ad audiendum sentenciam prefixit..

A. 1484, Aprilis 21, in Plock in curia episcopali.

139. (Acta episc. III).. Rmus.. dnus Petrus D. g. episcopus Plocensis auditis altricacionibus et differenciis inter honor. Iohannem plebanum ad s. Bartholomeum ultra muros Plocenses, ex una, et consules Plocenses, partibus ab altera, de et super sepulturis post consules decedentes et eleccione vitricorum ac racione per ipsos vitricos facienda, innitendo consuetudini antique, quam debet plebanus coram dno officiali Plocensi probare, decrevit et sentenciavit in hunc, qui sequitur, modum, quod ipsi consules, ipsorum uxores et pueri eo tempore, quo in consulatu existunt et per deposicionem cuiuslibet eorum de consulatu per annum integrum post deposicionem, sepulturas ipsas solvere non tenebuntur, nec aliquis eorum tenebitur, ymmo erunt exempti a solucione et liberi ipsarum sepulturarum, post lapsum vero unius anni post deposicionem cuiuscunque ipsorum de consulatu, ut ceteri cives et vicini tenebuntur ad solucionem earundem sepulturarum. Item idem Rmus dnus Episcopus eciam decrevit.. quod dni consules, quando deberent eligere et ordinare vitricos ecclesie ibidem ad s. Bartholomeum, debent vocare dnum plebanum ad ipsam eleccionem et cum consensu et unanimi voluntate omnium videlicet consulum et plebani ipsos vitricos statuere, ordinare et ponere omnesque simul, quociens ipsos vitricos racionem facere contigerit, racionem audire tenebuntur et omnium consensu accedente, videlicet plebani et consulum, pecunias ecclesiasticas pro reparacione aut necessariis ecclesie convertere debebunt, prefatusque plebanus abrenunciavit probacioni super consuetudine antiqua, ipsam approbans..

A. 1485, Ianuarii 14, in consistorio Poltoviensi.

140. (Acta offic. V). In causa nobilis Mathie Carwarsky cum discreto Iohanne de Iedwabne, dnus Mathias proposuit petens bovem, quem ipse presbiter recepit sibi datum post mortem Iohannis Rek sui kmethonis pro elaborandis tricesimis.. sibi restitui pro locacione medii mansi iuxta l a u d u m t e r r e pro locando

medio manso, ex quo non sunt alia derelicta pro locacione medii mansi; presbiter allegavit, quia adhuc est alius bos cum vacca pro locacione medii mansi et cum hoc laboravit et complevit tricesimam pro anima defuncti; nobilis allegavit, quod ista non sufficiunt pro locacione. Et dominus sentenciavit presbitero bovem pro labore et prefato Mathie super eodem silencium imposuit, a qua [sentencia] Mathias appellavit ad dnum Episcopum..

A. 1485, Februarii 25, in Poltowsk.

141. (Acta offic. V). In causa nobilis Nicolai de Olsewo contra honor. dnum Stephanum, plebanum in Drozdowo, idem.. proposuit pro eo, quia recepit post kmethones mortuos in Olsyny: post Petrum Czestnyk duos boves et equum, qui resedit in manso, et post Iohannem Glysk, qui eciam sedit in manso, unum bovem, et post Mathiam Zabek vaccam, petens restitui pro locacione mansorum, ex quo non habet, quo collocet mansos kmethonum mortuorum. Ex adverso plebanus respondendo allegavit, quia dederunt sibi pro serviciis et propter Deum et pro istis laboravit, quia vigilias cantavit, missas legit; insuper allegavit, quia sunt plura derelicta, quibus potest locare mansos desertatos post mortem hominum mortuorum et quod ipsi homines, qui dederunt, dixerunt, quod sufficit pro locacione, et hoc plebanus obtulit se probaturum.. Ex composicione nobilis stabit contentus, dummodo plebanus restituet II boves et modium frumenti et 4 gr. pro curru.

A. 1485, Iunii 9, in Poltowsk in curia episcopali.

142. (Acta episc. III).. Nobilis Nicolaus Wolensky coram.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi.. accusavit contumaciam honor. Nicolai plebani in Lelowo et eo comparente petivit se per dnum Episcopum ad causam absolvi. Quiquidem.. dnus Petrus episcopus Plocensis in presencia prefati Nicolai ipsum Volensky ad causam absolvit.. Quo absoluto idem Nicolaus plebanus in Lelowo tanquam principalis contra dictum Nicolaum Volensky verbo proposuit, quomodo dum ipse certa die de mense Mayo currum proprium et equos eciam proprios cum suis certis garcionibus ad forum in Przasnysch misisset, qui redeuntes post forum in domum ipsius Nicolai plebani per viam ducalem liberam per villam Wisoka, ipse Wolensky convocando violenciam recepit currum ipsius plebani et II redarios in valore VII sexagenarum, quos idem Wolensky confessus est se recepisse iuxta consuetudinem terre circa violenciam et ad caucionem fideiussoriam dedisse. Item plebanus proposuit, quod apud famulum suum seniorem garcionem idem Volensky II sexagenas pecuniarum recepit, et quod eidem plebano faciendo ius in sua villa Wola coram eodem iudicio verba infamatoria intulit et irrogavit, asserens eum latronem, non bonum presbiterum sed malum hominem, iniuriam verbalem extimans ad CC flor. Hungar. Nobili negante.. plebanus probabit intencionem, in quantum partes non concordabuntur..

A. 1485, Iunii 17, in consistorio Poltoviensi.

143. (Acta offic. V). In causa generosi dni Zemak castellani Wysegradiensis cum discreto Marco de Uluczewo, honor. Thomas procurator Zemak.. excepit contra personam ipsius Marci allegans, quod licet sit constitutus in minoribus

ordinibus, tamen adhuc est inabilis et non habet locum standi in consistorio et ad agendum pro eo, quia est inculpatus in iure seculari pro homicidio facto, proclamatus, infamatus propter occisionem sui servi et de terra et sua provincia absentatur iuxta laudum terre, et per hoc dicit, quod amisit ius clericale et ordinum minorum, petens ipsum semoveri a iure spirituali et accionem non habere neque posse [pronunciari] Ex adverso Nicolaus baccalarius procurator Marci.. obtinuit terminum ad quindenam ponendis replicacionibus..

A. 1485, Iunii 30, in Poltowsk in curia episcopali.

144. (Acta episc. III).. Coram.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi providus Mathias Poczadze, ex iure per prefatum Rmum dnum Episcopum deputatus ad emensurandum agros et mansos kmethonales et advocatorum in villa Cankowo, in presencia honestorum Nicolai Wronk, Stiborii Mathie Mrocz, Stanislai Robak scabinorum dicte ville Cankowo recognovit, quia postquam per memoratum Rmum dnum Episcopum fuit destinatus ad prefatam emensuracionem, extunc dum iam incipiebat mensurare agros kmethonales et mansos, tunc unus ex advocatis, Bartholomeus nomine, dixit expresse: si alicui ager cesserit meus extirpatus, illum ego, quamprimum transibit arare, eum interficiam et iste ager perfundetur sanguine; quod et scabini ita deposuerunt coram prefato dno Episcopo. Et ibidem Rmus dnus Episcopus interposuit vadium omnibus tam kmethonibus quam advocatis L sexagenorum, quod si aliquis kmethonum aut advocatorum circa emensuracionem, quam ipse dnus Episcopus decrevit denuo faciendam, modo iniurioso contra quemcunque officialem, kmethonem et advocatum excesserit, extunc vadium luet; eciam ipse Rmus dnus Episcopus advocatis pro capitulo generali pro festo Nativitatis Marie in Ploczko celebrando cum iuribus super advocaciam, si que habent, statuit terminum comparendi..

A. 1485, Iulii 29, in Poltowsk in curia episcopali.

145. (Acta episc. III).. Discretus Petrus plebanus in Semonowo in Poltowsk monitus comparuit, et quia penas, in quibus extitit pro eo, quod in synodo dyocesana per suam Ptem in Poltowsk celebrata non comparuit, et pro aliis excessibus ipsius ac demeritis [condemnatus], dixit non habere se soluturum, dnus Episcopus preficit eidem terminum, ut compareat in Polthowszk coram sua Pte infra hinc et II septimanas ad deputandum sibi locum penitendi.

A. 1486, Maii 25, in Poltowsk in curia episcopali.

146. (Acta episc. III).. Coram.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi, Mazovie cancellario, nobilis Zemyak Gosthkowsky advocatus in Pszary villa mense episcopalis oblata citacione.. contra honor. Stanislaum plebanum in Obrite.. petivit suos homines in dicta advocatia residentes et locatos ad instanciam ipsius dni Stanislai ob non solucionem *sep* absolvi; dicto Stanislao allegante et contradicente, quod non venient de iure absolvendi, quia se non conformant in ipsa solucione *sep* cum aliis villanis et incolis dicte ville Pszary, petente eosdem compelli ad similem solucionem et equalem, sicut alii incole, ac ipsum Zemak advocatum ad decimacionem similem, sicut alii advocati in villis episcopalibus decimant. Et Rmus dnus Episcopus decrevit, ut ipse Zemak advocatus solvat decimam manipularem et

decimet, sicut alii advocati et more aliorum in episcopatu, dictos[que] homines ipsius advocati ad solucionem *sep* compulit, excepta decima lini, super qua dnus Episcopus vult plenius edoceri..

A. 1486, Iunii 21, in Poltowsk in curia episcopali.

147. (Acta episc. III).. Coram Rmo.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi contractus inter.. dnos Paulum de Lyczky archidiaconum Poltoviensem cancellarium episcopalem, Iohannem plebanum et Iohannem Coszel de Lampycze vitricum ecclesie in Vinycza, ex una, et providum Petrum filium mgri Iohannis muratoris de Przasnysch, ex altera partibus, super muranda ecclesia in dicta Vinycza in hunc modum factus videlicet, quod ipse Petrus murator pro suo salario seu precio debet habere CXX sexagenas in mediis gr., qui debet laborem incipere ab antiquo muro et reformare murum antiquum intus et extra, ubi opus erit; item debet facere chorum cum testitudine et dealbare; item sacristiam utramque cum testitudinibus; item in utroque latere debet facere testitudines et eas solum dealbare; item porticum pro pauperibus ante maius hostium absque testitudine et murum sursum erigere et murare, sicut bonis hominibus videbitur; item parietem vulgariter *scyth* supra hostium maius honestum et compendiosum [tenebitur] murare et decorare; item quinque altaria murare, et debent sibi..... IV tunne cervisie Poltoviensis; item omnia et singula suprascripta debet adimplere, dummodo non negligatur in materia, sub censuris ecclesiasticis; similiter sibi pecunias sub censuris ad laborem debent solvere et extradere..

A. 1486, Septembris 29, in Czerwinsk in curia episcopali.

148. (Acta episc. III).. Coram.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi, Mazovie cancellario.. in causa nobilis dni Nicolai de Borovycze, comparens nobilis Iohannes Koszyel Lampyczsky procurator.. ipsius Nicolai, ex una, ius sive privilegium consensus advocacie sive lemanie IV mansorum mensure Culmensis in Sczuthowo per honestum Paulum de Grambky patruum dicti Nicolai empte exhibuit et reposuit, vigore cuius asseruit Nicolaum verum esse heredem dicte lemanie per successionem, petens sibi adiudicari et mandare restitui eandem, petens eciam partem adversam cogi ad exhibendum.. privilegia, si que habet, quibus doceret se verum esse possessorem dicte lemanie. Provido Petro nomine Mathie patris sui tanquam coniuncte persone, partibus ab altera, advocati in dicto Sczuthowo conparente et exhibente privilegium ducale sue prime donacionis dicte lemanie alleganteque, quod ipsius lemanie pater suus a XIV annis.. est possessor eamque iusto titulo empcionis tenet et possidet, quodque agros in ipsa consistentes post bellum, quod Srmus princeps.. dnus Kazimirus D. g. rex Polonie cum Cruciferis habuit, fere et quasi de novo extirparet et ad culturam redigeret domusque in ipsa consistentes repararet, petens suum genitorem pacificari in dicta advocatia. Dnus autem Rmus.. cognicionem huiusmodi negocii.. ad adventum suum felicem proximum in Gorzno distulit et suspendit..

A. 1486, Novembris 28, in Poltowsk in curia episcopali.

149. (Acta episc. III).. Ego Paulus de Clukowo canonicus Poltoviensis profiteor presenti scripto, quod si exnunc et in antea repertus fuero obloqui personam

Rmi patris dni Petri episcopi Plocensis aut contra ipsius personam facere conspiraciones, colligaciones vel quascunque confabulaciones facere aut alique crimina, de quibus in processu inquisicionis contra me facto fit mencio, patrasse, extunc me presentibus obligo et inscribo cedere et renunciare prebende et canonicatui, quos optineo in ecclesia prefata Poltoviensi, quibus volo privari sine omni indagine iudicii, nec ab ipsa privacione appellare volo nec aliquod iuris remedium invocare..

A. 1488, Martii 21, in consistorio Polthoviensi.

150. (Acta offic. V). Stanislaus de Czarnoczino, parochia in Pyathnycza, dicam cere. Falislaus de Poltowsk obligatur dare dicam cere pro festo s. Elizabeth pro filio suo, qui moratur in Vasosse sive Gaywy.

Albertus de Poltowsk dicam cere.

Stephanus de Prasznysz dicam cere pro festo s. Marie Magdalene.

Albertus de Vasosse dicam cere pro festo s. Elizabeth.

Paulus de Swske [dicam cere], parochia in Rzekunye.

Paulus de Gorgole duas [dicas cere], parochia in Paluky.

Albertus de Wyzna dicam cere pro festo s. Marie Magdalene.

Petrus Goray de Lomza dicam cere.

Iohannes de Przerowy, parochia in Maluzino, dicam cere pro futuro anno.

Petrus de Dubrovka, parochia Makowo, dicam cere pro futuro anno.

Stanislaus de Rogowo, parochia Podosse, dicam cere pro futuro anno

Iohannes, Martinus de Carwacz quilibet per dicam cere pro futuro anno.

Stanislaus de Wythvycza Przyskowycz, parochia in Pysky; Nicolaus de Proskowo, parochia in Paluky; Stanislaus de Mazenino, parochia Rutky; Stanislaus de Przybowo, parochia Rutky; Iohannes de Laskowo, parochia in Dabrowka; Mathias de Popowo, parochia in Bransko; Martinus de Godlewo, parochia in Vronye; Mathias de Smogorzewo; Albertus de Zalechy; Iohannes, Laurencius, Iacobus de Lyppa, parochia in Prasznysz; Paulus Rbythek de Prasznysz; Paulus de Reky, parochia Ploczko; Stanislaus de Kaczycze duas; Nicolaus de Wronska: quilibet per dicam cere pro futuro anno [1]).

Iohannes Stankonycze de Iadwane III dicas cere pro temporibus iam elapsis.

Stanislaus Shyska de Slubowo I dicam cere, parochia Clukow.

Mathias de Pomorze dicam cere, parochia in Czechonowo.

Andreas filius molendinatoris, parochia Ostrowya, I dicam cere.

Stanislaus Marci de Karwacz II dicas cere pro temporibus iam elapsis.

Michael frater suus unam pro tempore iam elapso.

Iacobus Mylewsky I [dicam]; Iohannes Slaby de Czarnowo I dicam; Mathias de Gzy I dicam; Stephanus, Stanislaus de Stansky II dicas; Stephanus Snyerzycz II dicas; Andreas de Skyerdy II dicas; Michael de Brozowo I dicam cere; Albertus et Michael de Brodowo per dicam cere; Marcus de Moczylasz dicam cere; Marsalek de Glodowo I dicam cere; Paulus de Mylewo I dicam cere; Stank. Petrus de Syroczecz per II dicas cere quilibet seorsum; filius molendinatoris de

[1]) Dopisek ten, zamieszczony na marginesie, odnosi się do wszystkich osób, w powyższym ustępie wymienionych, z wyjątkiem oczywiście Stanisława z Kaczycz.

Prassnysz I dicam cere; Iohannes et Mathias de Grodek per dicam cere; Iohannes Begyensky II dicas cere; Iohannes de Kolaczkowo I dicam cere; Tan... de Ostrovya I dicam cere; Opath de Kurzeglowy dicam cere; Albertus de Modzele I dicam cere; Nicolaus de Osyek I dicam cere; Pauli molendinatoris uxor de Grabowo dicam cere et filius eiusdem Bartek dicam cere; Martinus de Raczka I dicam cere; Andreas Gargol de Gaiwon dicam cere: isti omnes ad tempora iam elapsa.

Gregorius de Grzymaly, parochia Paluky, dicam cere pro feria quinta magna.
Martinus de Prasznysz dicam cere pro feria quinta magna.

A. 1488, Martii 29, in Gorzno in curia episcopali.

151. (Acta episc. III).. Coram.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi.. in causa nobilis Petri heredis de Coszyrok contra discretum Nicolaum, plebanum in Sczuka, idem Petrus.. petivit vim et effectum processus monitorii contra ipsum ad instanciam dicti plebani lati et vigore cuius iam monitum se dixit, in toto tolli et removeri. Ex adverso prefatus plebanus dixit processum non esse tollendum nec suspendendum ex eo, quod prefatus Petrus de Koszyrok a multis annis non dat et dare negligit *thaczam* de mansis sui predii et de eis, quos desertatos colit in prefata villa Cozirok, quam tamen alii vicini nobiles et terrigene tam de agris predialibus quam eciam desertatis, quos arant et excolunt, dant et exsolvunt singulis annis de antiqua consuetudine; prefatus autem Petrus negavit, quod vicini nobiles et terrigene et omnes alii terrigene in terra Michalowska consistentes *thaczam* aliquando solverent, dictus autem plebanus petivit se ad probacionem admitti allegatorum suorum; et dominus admisit..

A 1488, Aprilis 21, in Iunyecz in curia episcopali.

152. (Acta episc. III).. Rmo.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi pro tribunali sedente.· constitutus personaliter discretus dnus Iohannes presbiter vicarius in Lanthovo reproducta citacione.. nobilis Pauli Nyemyerzycz de Rudolthovo, contumaciam accusavit et contra nobiles Nicolaum Nyemyerzycz de dicta Rudolthovo, Albertum Ianuschevycz de alia Rudolthovo, Petrum Mross, Iohannem Dlugy, Abraham et Albertum de Chawloszy.. verbo proposuit, quia minus iuste per ipsos inculpatus est de homicidio in eo, quod prestaret subsidium interfectoribus occisi fratris ipsorum ad sepulturamque interfecti et in iudicio seculari seu terrestri proclamatus et declamatus per eosdem per mediumque ipsorum ad librum terrestrem Vischegradiensem talis declamacio et proclamacio est inscripta, cuius tamen homicidii minus culpabilem dixit se esse, petens ipsis super hoc silencium imponi et sibi purgacionem canonicam decerni et indici. Ex adverso predictis nobilibus dicentibus, quod presbiter dedisset occasionem morti et interfeccioni fratris eorum et quod interfectores suasu et mandato ipsius homicidium dictum perpetrarent; quia tamen contra ipsum agere noluerunt neque de hiis, que sibi obiciunt, eundem convincere, dnus Rmus presbitero purgacionem canonicam indixit et decrevit, quam facere debet infra XV dies metseptimus pro prima dilacione cum VI compurgatoribus sui ordinis, cui purgacioni predicti nobiles interesse poterint, si volunt..[1]).

---

[1]) Nakazana w tym akcie »purgatio canonica« odbyła się istotnie d. 5 maja 1488 r.

A. 1488, Maii 22, in Iunyecz in curia episcopali.

153. (Acta episc. III).. Rmo.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi.. causas.. iudicante, constitutus personaliter honor. dnus Lucas plebanus in Novemyastho contra honor. dnum Clementem Srme principis dne Barbare D. g. ducisse Mazovie, Russie etc. notarium.. proposuit proposicionemque in scriptis michi notario infrascripto tradidit, petens ipsam inscribi et inseri, cuius tenor sequitur et est talis: Rme.. pater, propono gravi cum querela contra Clementem hic presentem, quia ipse pridie in domo mea nulla lacessitus iniuria, suffusus et inhoneste se habens in eadem domo mea videlicet urinam, salva reverencia Ptis Vestre, proiciendo seu mittendo ac laxatis habenis, dyabolo sibi suggerente, in verba vituperiosa et iniuriosa ac diffamatoria prorupit clamorose me latronem, bestiam, scrofam appellando et diffamando michique per hoc et honori meo ac statui non parum.. derogando; quasquidem iniurias ad animam illico revocavi illasque ad C aureos Hungar. extimavi.. petens per V. R. Ptem ipsum ad emendam dictarum iniuriarum et solucionem dictorum C aureorum condempnari..

A. 1488, Augusti 27, in castro Poltoviensi.

154. (Acta episc. III).. In causa discreti Iohannis vicarii in Crzinovloga contra nobilem Martinum de Crzinowloga.. Iohannes in presencia Martini verbo proposuit, quia ipse anno die certis ipsum Iohannem presbiterum cum suis kmethonibus mancipavit et vestibus exuens, tunica videlicet et pellicio, manibus post tergum ligatis, per villam ibidem in Crzinovloga duxit et cultro taliter ducendo percuciebat post tergum et ad alia membra et signanter, quod ipsum ad caput et manus vulneravit enormiter ad sanguinis effusionem, quem ad curiam suam inducens sic ut premittitur ligatum vinxit comminatusque est eidem, quod sibi vellet aures abscidere, dicens: des cultellum, quod sibi aures abscidam, ne postmodum facultatem haberet citandi, ut si me citaverit, excepcionem legitimam sibi non respondendi in iure habeam, eo quod non habeat aures. Et nichilominus ut eadem proposicio subiungebat, quod vestimenta, de quibus presbiterum exuerat, pro se usurpavit et [ad] usus suos convertit. Quiquidem presbiter iniurias predictas, percussiones et vulnera et dehonestacionem ad animum revocat, ad CCC florenos Hungar. extimans.. petens ipsum in petitis condempnari..

A. 1488, Septembris 12, in Płock in curia episcopali.

155. (Acta episc. III).. Rmus dnus in presencia honor. dni Mathie Dąmbrowka, plebani in Trzepowo, legitime citati iudicialiter decrevit, quod si idem plebanus clericum interfectorem cuiusdam religiosi interfecti de monasterio s. Trinitatis in Ploczka post interempcionem habuit in manibus suis et submisit se illum representare, uti maleficum dno Episcopo vel sue Rme Ptis officiali Plocensi et super hiis legitimis documentis convincetur, extunc tenebitur ipsum representare coram sua Rma Pte; sin autem, soluturus est penam capitis monasterio religiosorum, de quo monachus interfectus fuit.

156. (Ibidem).. Constituti personaliter generosi dni Felix et Procopius germani de Syeprcz et ibidem heredes in presencia discreti et nobilium dnorum Pauli plebani in Luschyno, Iohannis, Iacobi, Nicolai, Iacobi, Ambrosii, Andree heredum de Bobrovo produxerunt.. concordiam et amicabilem composicionem per arbitros

inter ipsos, ex una, et predictos nobiles, ab altera partibus, factam in scriptis, petentes ipsam confirmari, ratificari et ad acta sue Rme Ptis presencia ingrossari et prout stabat de verbo ad verbum inscribi. Et dnus Rmus audita huiusmodi concordia.. ipsam ad acta ingrossari.. mandavit.. Cuiusquidem concordie tenor.. est talis:

Magnificus Nicolaus, heres de Dzyalyn, palatinus Iunowladislaviensis et capitaneus in Brodnycza, Iacobus de Dzyrdzycze, subiudex Zawkrzensis, Wlodek de Craszowo, Nyemyerza de Skoczkovo tanquam arbitri inter generosos Felicem et Procopium heredes de Golczevo et nobiles Paulum curatum in Luschyno, Iohannem, Iacobum, Nicolaum, Iacobum, Ambrosium, Andream, fratrem ipsius Iohannem, Stanislaum heredes, tot quot sunt omnes in Bobrovo, de consensu ambarum parcium vocati et rogati in hunc modum recognoverunt, prout dicti nobiles Bobrowsczy generosos Felicem et Procopium citaverunt tali condicione pro eo, quia vos edificastis capellam seu ecclesiam noviter erectam super ipsorum bonis Bobrovo et volunt videre, quo iure ipsam edificastis ecclesiam, qua edificacione dampnificastis ipsos ad duo millia sexagenarum in solidis. Extunc omnes controversias et suprascriptam citacionem mortificamus.. et annichilamus; et iam prefati dni Felix et Procopius debent pacem habere in dicta ecclesia b. Marie virginis noviter erecta perpetue et in evum; et suprascripti nobiles Bobrowsczy iam debent habere perpetuum silencium, ita, quod iam dnos Felicem et Procopium non debent vexare et ipsorum legitimos successores, et iam exnunc omnes nobiles domini de Bobrovo tot quot sunt et ipsorum legitimi successores debent libere sepeliri in ecclesiis videlicet in civitate ad s. Vitum et ad b. V Mariam extra civitatem sine omni pecuniarum exactione et contradictione dnorum Felicis et Procopii tanquam heredum et plebani, qui protunc fuerit. Item eciam scabella alias *ląwky* in dictis ecclesiis et suprascriptis debent suprafati dni Bobrowsczy habere perpetue et in evum et sui legitimi successores. Et honor. dnus Iohannes heres de Prznyevo protunc curatus in Syeprcz ad dictam inscripcionem consensit, admisit. Et hec suprascripte partes sub vadio CC sexagenarum debent tenere et observare inviolabiliter, perpetue et in evum. Idem dni Felix et Procopius debent super primis terminis in Byelsk inscribere supradictis nobilibus Bobrowskym XL sexagenas gr. in solidis, videlicet super festum s. Iohannis Baptiste prox. venturum XX sexagenas et alias XX sexagenas super aliud festum s. Iohannis Bapt. in uno anno et ambas ratas debent inscribere iudicio sub Quinquaginta et episcopo sub totidem dampni. Item omnes granicies, quas habent inter bona Syeprcz et Bobrovo, debent inter se tenere secundum iura antiqua sub eodem vadio subscripto. Item omnes suprascripti nobiles Bobrowsczy debent omnes equitare in Ploczkam, dum fuerit capitulum primum per dnum Episcopum celebratum, cum eodem rescripto, et illa[m concordiam] ratificari petere sub eodem vadio. Datum in Syeprcz die dominico Reminiscere a. D. M. etc. LXXXVIII..

A. 1489, Ianuarii 26, in consistorio Polthoviensi.

157. (Acta offic. V). In causa discreti Luce de Ponyathy contra generosum dnum Iacobum de Blothna, discretus Mathias de Myeczyno nomine procuratorio Luce.. petivit vener. viros scilicet Stanislaum de Naquasyno prepositum, mgrum Vscheborium decanum Polthovienses pronunciari iudices competentes partibus et

cause. Ex adverso honor. Bartholomeus de Caczyno procurator prefati Luce excipiendo dixit, quia comparuit tanquam coram personis venerandis non autem tanquam coram iudicibus, allegavit excipiendo contra commissionem, quod sit impetrata contra consuetudinem et laudum episcopatus Vilnensis, Luceoriensis, qui laudaverunt, quod nullus debuit evocari de prefatis episcopatibus, nisi prius fuerit expertus iure apud prefatos episcopos, qui contra prefatam constitucionem fecit, dixit lacius dare alias excepciones in scripto per totam diem hodie..

A. 1489, Martii 2, in consistorio Polthoviensi.

158. (Acta offic. II). In causa discreti Mathie Vyekyel contra providum Iohannem Thabor, oppidanum Polthoviensem, idem proposuit pro eo, quia accommodavit eidem cum uxore sua Anna sexagenam minus II grossis in solidis per IV solidos in grossum computando, petens compelli ad restitucionem; item pro eo, quia dedit per eundem litteram sigillatam ad portandum honor. dno Derslao, plebano in Vaschosze; qui Thabor antequam litteram presentavit, apperuit et dedit apertam cuidam nobili Iacobo Cosyebroczky, procurando eidem persecucionem et comminacionem ab ipso Cosyebroczky, in qua littera continebatur, quomodo ipse Mathias vidisset circa eundem Cosyebroczky mitrellam mardurеam subtractam prefato dno Derslao tempore sinodi celebrati in Polthowsko, ex qua apparicione littere prefatus Cosyebroczky eundem Mathiam persequebatur, percussiones comminatur et nisi fugisset, ipsum familia die dominica in ipsius domo percussisset, dehonestasset ex procuracione et subordinacione prefati Iohannis Thabor; extimavit iniuriam, dehonestacionem ad C florenos. Ex adverso Thabor obtinuit terminum deliberatorium ad quindenam..

A. 1489, Aprilis 27, in consistorio Polthoviensi.

159. (Acta offic. II). In causa nobilium Stiborii, Iohannis, Nicolai, Mroczeslai de Skarzyno contra nobilem Sigismundum de Vysocz, nobilis Sigismundus allegavit comparens, quomodo illustris princeps dnus Conradus omnes causas quoquomodo spectantes ad forum spirituale iudicare prohibuit et sub X sexagenis, vallata pena, trahi prohibuit; qui territus pena respondere noluit proposicioni facte et hoc debebit docere constitucione pro feria VI^ta infra octavas Corporis Christi..

A. 1489, Augusti 26, in Poltowsk in curia episcopali.

160. (Acta episc. III). Rmus.. dnus Petrus D. g. episcopus Plocensis, Mazovie cancellarius, unacum vener. viris dnis Paulo Sulislai de Lyczky Wladislaviensi et Polthoviensi archidiacono, Petro Pomnychowsky, Bolestha de Zalesye canonicis Plocensibus, Stanislao de Naquasino preposito, mgro Wscheborio decano, Martino de Smyyewo, Martino Roschansky, Thoma Sokolowsky, Cudone de Phalądzyno prelatis et canonicis Poltoviensibus, assessoribus, attento quod honor. dnus Iohannes Pnyenyaschek canonicus Poltoviensis in sinodo in Poltowsk proximo celebrata propter multos, varios et scandalosos excessus suos condempnatus fuit sinodaliter ad permutandum prebendam et canonicatum Polthoviensem suos, cui Rma Ptas sua ob spem melioris vite graciam super non permutando beneficio fecerat, quia tum inventus est malis prioribus post peiora accumulacius pa-

trasse, sua Rma Ptas una cum prefatis dnis assessoribus decrevit et mandavit, quatinus beneficium suum infra II menses extra diocesim Plocensem permutaret sub privacione eiusdem beneficii..

A. 1489, Decembris 24, in consistorio Polthoviensi.

161. (Acta offic. V). In causa honor. dni Martini de Smyegewo, arcium liberalium baccalarii canonici Polthoviensis, cum honor. Iohanne Pyenyaszek canonico Polthoviensi, idem proposuit pro eo, quia ex quo cum consensu capituli ipse recepit villam dictam Comorowo in prestimonium, qua ipse Iohannes Pyenyaszek privatus est ex mandato.. dni Petri episcopi Plocensis tempore sinodi celebrate ex certis causis, quas ipse dnus Episcopus recepit, tum eciam per capitulum propter destruccionem prefate ville et deteriorem condicionem, dum ipse dnus Martinus fecit laborare cmetonibus labores diurnos iuxta consuetudinem terre, ipse dnus Iohannes labores diurnos eidem usurpavit et in usum suum convertit, cogens cmethones ad conducendum ligna sibi et ad triturandum, usurpavit dies XXXI a tempore opcionis, distrahens kmethones ab obediencia prefati dni Martini in preiudicium ipsius, petens compelli ad solvendum grossum pro qualibet die et ad prohibendum ipsum ab ulteriori nocumento. Exadverso prefatus Iohannes negavit..

A. 1490, Maii 18, in Poltowsk in curia episcopali.

162. (Acta episc. III). In causa honeste Dorothee filie aurifabri de Czechonow honor. Mathias presbiter curie procurator.. verbo proposuit, quod dum quidam mercator seu venditor librorum hospitatus esset in domo patris predicte Dorothee in Czechonow et non valuit nec habuit, quo solvere expensas seu provisiones in predicto hospicio per ipsum consumptas, sed tandem vendito libro quodam mgro Iacobo de Gosthkowo ordinavit ipsum magistrum pro dictis expensis seu provisionibus solvere ipsi Dorothee videlicet mediam sexagenam gr. in mediis gr. ad racionem pecuniarum suarum pro dicto libro debitarum; qui mgr. Iacobus in domo ipsius Dorothee patris et in presencia bonorum virorum pro dicto mercatore et dictum debitum videlicet $^1/_2$ sexagenam.. ad racionem pecuniarum pro libro predicto, quem emit, solvere dicte Dorothee promisit et usquemodo non solvit nec solvere curat, petens ipsum ad solucionem dicti debiti cogi et compelli..

A. 1490, Octobris 6, in Iunyecz in curia episcopali.

163. (Acta episc. III).. Adam de Radzimino pater Iacobi.. ple[bani in Radzimino] accusavit iudicialiter prefatum plebanum, quomodo ipse plebanus...... ausus est conviciare et diffamare dnum Episcopum coram certis [hominibus] se in hoc turpiter iactando, dicens hec verba et his similia..... et ipsum circumveni, quia mandaveram focarie mee, ut me ..... et peteret sibi coram eo solvere salarium precii pro suo servicio...... Et tandem me citato petivit iudicialiter salarium predictum, et...... nondum finivit servicium suum et distuli solvere. Et tandem ipse Episcopus mandavit [solvere] servicium suum et manere, licet eam michi evadere in sinodo mand[avit sub] penis certis. Et ultra hec diffamando ibidem dnum Episcopum dixit.... ego habeo racionem in calce pedis mei, quam Episscopus in capite, cum [ipsum] taliter circumveni. Et dnus Rmus auditis predictis

verbis diffamatoriis ipsius plebani et conviciatoriis, mandavit notario Strozewo cum plebano Iuniczensi sub iuramento examinari testes ibidem citatos et ipsorum dicta veraciter in scriptis redigi, ipsis hoc ipsum vive vocis oraculo commitendo.. [1]).

A. 1490, Octobris 13, in Iunyecz in curia episcopali.

164. (Acta episc III).. Dnus Rmus ex gracia speciali et ad [peticionem personarum] ibidem presencium spiritualium et secularium, videlicet... venerabilium Michaelis Praszmowsky, [Pauli] Sulislai Wladislaviensis et Poltoviensis archidiaconi, [Michaelis] de Buncza canonicorum Plocensium, generosorumque..... Nadarzynsky succamerarii Zacroczimiensis, Pauli..... Czechonoviensis succamerarii et aliis quampluribus (s) [discreto] Iacobo plebano in Radzymyno excessus quoslibet..... diffamacionis contra Rmum dnum Episcopum in personam suam et convicii eciam hic in actis superius..... eum receptis et actitatis indulsit, attento eo quod de..... coram ipsis dominis ab omnibus excessibus de cetero.... contra Rmum dnum promisit et se presentibus obligavit, subiciens se correctionibus quibusvis corrigi eciam carcerum mancipacione ex eo maxime, quod ex predicta causa permutacionis de diocesi sue Ptis se obtulit recessurum, eciam propter casum fortuitum inter ipsum et patrem suum occurrentem, ut suspicatur, malum; ipsum eciam a termino quinta die post ingressum felicem sibi in Polthowsk per suam Ptem prefixo absolvendo, presentibus ut supra. Si vero ipse plebanus ex diocesi prefata exire non curaverit, extunc omnes penas tam sinodales quam carcerum contra ipsum ob ipsius excessus per Rmum dnum Episcopum decretas et in actis presentibus contentas repetere vult [1]).

A. 1491, Novembris 4, in Poltowsk in curia episcopali.

165. (Acta episc. VI).. Rmus.. dnus Petrus D. g. episcopus Plocensis Mazovie cancellarius misericordia permotus ac ad peticionem nonnullorum prelatorum ac aliorum proborum hominum honor. Nicolaum ecclesie parochialis in Visskowo rectorem de carceribus, ad quos per sacram sinodum novissime in Plothowsk pro festo s. Hedwigis in Spiritu s. celebratam atque tentam ob certa vicia et scandala per annum in pane doloris ac aqua tristicie sedere fuit deputatus, tali videlicet modo relaxavit, quod ipse Nicolaus plebanus in Visskowo tactis sacrosanctis Ewangeliis iuramentum prestitit corporale residuum subire pene: per prefatum Rmum.. dnum Episcopum litteris sue R. Ptis aut nuncio requisitus et vocatus veniet ecclesiasticis sub censuris..

A. 1494, Ianuarii 25, in Poltowsk in curia episcopali.

166. (Acta episc. VI).. Coram Rmo.. dno Petro.. episcopo Plocensi.. discretus Stanislaus Modzel scolaris de Lomza.. proposuit verbo contra nobilem Derslaum Czalowanski proconsulem Lomzensem, quod eundem infamasset in pretorio, faciens eum de scola violenter rapere et adducere. Ex adverso honor. Leonardus curie notarius procurator legitimus prefati Czalowanski contra proposicionem huiusmodi allegavit sic: Rme domine, Ptas V. ipsis civibus et proconsuli suis patentibus litteris mandavit scolares excessivos rapere et sue Rme Pti diri-

[1]) Luki w tekscie pochodzą ze zniszczenia karty rękopisu.

gere, et ipse scolaris solitus est multos patrare excessus, videlicet violenciam in civitate, Iudeos mercatores spoliare et percutere ipsique proconsuli obrobriose vituperavit; ipse stans decreto Rmi dni voluit eundem ad suam Ptem dirigere, misit pro eo, ut sponte venisset, ipse venire noluit, quem ipse proconsul servis civitatis fecit illum arripere et in pretorium ducere sine quavis infamacione ibique eum verbis correxit et ei compaciens libere de pretorio fecit redire et recedere, et petivit Ptem V. Rmam, ut dignaretur eum ab instancia prefati scolaris absolvere, et quia ipse scolaris non est iurisdiccionis Ptis V., quia est simplex et non ordinatus, utatur iure cum eo seculari; et petivit eum condempnari in expensis; qui Rmus visa iusta peticione et racioni consona ipsum Derslaum ab instancia dicti scolaris absolvit et propter indebitum tractum eum in expensis condempnavit, quas aduc pro taxacione reservavit. Et nichilominus visis deposicionibus testium ipsum scolarem propter ipsius et suorum consociorum insolencias et exorbitancias, ne aliis de cetero prodeant in exemplum, in carceres poni mandavit..

A. 1494, Martii 24, in Iunyecz in curia episcopali.

167. (Acta episc. VI).. Coram Rmo.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi.. iudicante.. honor. Martinus de Wanssy arcium liberalium baccalarius, nobilis K. relicte olim nobilis Iohannis Harnuk de Obramb legitimus procurator.. in presencia honor. Leonardi de Skromowo, honor. Mathie plebani de Wangri.. procuratoris.. proposuit, quomodo de anno nunc currenti tempore Quadragesime.. ipse Mathias plebanus de Wangri hora vesperorum veniens in domum ac curiam prefate domine in Obramb.. ausus est eam infamare coram certis probis hominibus tunc ibidem astantibus.. tam personis masculis, tam femineis, [dicens] videlicet: »meretrix pessima et notabilis, acceleres ad actum venereum hic in presencia astancium cum cane, qui tecum est, — subintelligendo dnum Sigismundum palatini olim de Czyebnyewo, — ut videamus omnes te caniculam et meretricem cum cane simul«, iniuriose et infamatorie, quam infamiam et iniuriam extimat ad CC flor. Hungaricales.. petens in petitis condemnari; quem eciam pluries eadem domina per certos homines avisabat et monebat agnoscens, ut daret pacem sibi et domui sue, qui nec inhactenus cessavit.. infamare ipsam, prout dudum consuevit..

Item ex alio idem baccalarius nomine generosi dni Sigismundi filii olim palatini de Czyebnyewo contra eundem Mathiam plebanum in Vangra in presencia Leonardi proposuit verbo, quomodo anno, die et loco quibus supra, ipso dno Sigismundo cum certis hominibus bonis et notabilibus ad collacionem factam per dnam K. Harnuk in Obramb veniente, qui petitus non tantum pro collacione sed pro defensione iniuriarum sibi inflictarum tanquam sue sororis venit, ibidem in stuba sedens invasit ipsum verbis inhonestis et diffamatoriis cum certis suis complicibus stans in curia penes fenestram stube, istis videlicet: »tu latro, inique homo et meretricarie, — tangendo se per gladium in medium evaginatum, — si est in te aliqua vena nobilitatis et es natus bene, exeàs dè domo ad me mecumque contendas armis«, hoc ipsum aliquociens faciendo, et nisi fuisset paciencia ipsius Sigismundi et reverencia erga statum suum presbiteralem ac Rmi dni Episcopi, subsecutum esset aliquid mali, extimans iniuriam et diffamacionem ad CCC flor. Hungaricales..

Eodem die statim et incontinenti ipse Leonardus procurator plebani recon-

veniendo verbo contra prefatum dnum Sigismundum Czebnyewsky proposuit, quia dnus Sigismundus Czyebnyewsky anno presenti 1494 f. III d. (?) mensis Novembris veniens in domum et curiam prefati dni Mathie plebani in Wangra. ipsum dnum Mathiam.. publice diffamavit.. et vilificavit dicens et asserens manu elevata et extensa: pessime et non bone presbiter alias *popye*, fraudator, te omnino interficiam aut submergam propter tuam nequiciam, nam es fur, latro, fraudator, malus homo, nec es dignus ordine clericali; premissaque immo maiora et deteriora dicendo et repetendo, se in ipsum multociens irruendo et iniciendo, extimans iniuriam ac dehonestacionem manuumque violentarum extensionem ac domus sue invasionem.. ad CCC flor. Hungar. puri auri..

A. 1494, Aprilis 28, in Iunyecz in curia episcopali.

168. (Acta episc. VI).. Rmo.. dno Petro episcopo Plocensi.. iudicante.. honor. Iohannes de Ponyathi, generose dne Katherine relicte olim generosi Pauli de Obramp procurator legitimus.. accusavit contumaciam honor. dni Mathie plebani in Vangra.. Et ibidem honor. Leonardus impugnavit pronunciacionem contumacie asserens se esse procuratorem dicti plebani de Vangra.. Et ibidem in continenti honor. Iohannes prefatus nomine dicte Katherine contra dictum Mathiam plebanum proposuit verbo, quomodo ab uno anno die et mense certis ipse plebanus existens immemor sui status presbiteralis veniens cum suis familiaribus in villam Obramp et in curiam dicte dne Katherine nocte irruit in domum suam violenter et excussit tria hostia et ipsorum vectes et intrando in cameram, in qua dicta dna Katherina cum honestis ancillis et matronis in quiete cubiculi tunc fuit et audiens tantam violenciam timore territa consurrexit, volens tueri ostium, quibus ostiis repercussis ipsam lesit, ita quod semiviva in terram cecidit, qui timens mortem fuge presidio aufugit de camera in villam clamando ad violatorem, qui plebanus timens, ne convenirent homines ville, recepta cisticula de dicta camera nocte exivit, in qua cisticula fuerunt res, videlicet: pectorale argenteum deauratum valoris XX florenorum cum reliquiis sanctorum, margarite valoris L flor. et velamina plura valoris XXX flor., petens ad restitucionem compelli alias valorem solvi et racione lesionis et violencie illate in C flor. condempnari. Item contra eundem proposuit, quomodo ab anno citra vel ultra impignoravit ipsi plebano textam margariteam valoris C flor. in X flor. ad tempus, quos X flor. sibi restituit, petens cogi ad restituendum pignus. Ex adverso Leonardus procurator plebani petivit terminum ad deliberandum..

A. 1495, Maii 27, in Mankolino in curia episcopali.

169. (Acta episc. VI). In causa providorum consulum oppidi Vischegrad in et contra religiosum Stanislaum Pirzina prepositum in Vischegrad, consules et vitrici de ibidem.. contra eundem verbo proposuerunt, quia quamvis dicti consules seu vitrici in Vischegrad existentes ex consuetudine diucius tenta et ex certa causa legitima servata ministrum et campanatorem prefate ecclesie in Vischegrad sine aliqua contradiccione prepositi pro tempore tunc existentis dabant, assignabant et statuebant, preposito confirmante et consenciente, nichilominus dictus Stanislaus prepositus modernus suorum predecessorum non sequens consuetudinem citra voluntatem consulum et vitricorum ministrum et campanatorem suum ad

placitum ponit et statuit, petens iuxta consuetudinem in premissis observatam conservari. Ex adverso prepositus respondit, [quod] licet sine consensu dictorum consulum et vitricorum ministrum et campanatorem ponit, ponit viros bonos et idoneos. Et Rmus dominus audita per certas personas sufficienti informacione decrevit antiquam consuetudinem in premissis servari solitam teneri et observari. Item ex alio contra eundem prepositum proposuerunt, quia ipse prepositus compellit eosdem ad solucionem sepulture. Ex adverso prepositus respondit, dicens se ab eisdem vitricis, quantum ad personas illorum non recepisse, quo vero ad uxores et pueros illorum, ut iuris est, solvere astrinxisse. Rmus dominus decrevit, quod vitrici existentes in officio habeant liberam sepulturam, quantum vero ad uxores et pueros illorum propter meliorem sue R. Ptis animi informacionem dictam solucionem sepulture fiendam suspendit..

A. 1495, Iulii 15, in Visskowo in curia episcopali.

170. (Acta episc. VI).. Coram Rmo dno Petro episcopo Plocensi honor. Iacobus de Cossyno plebanus in Orssymowo et Iohannes de Ponyathi vicarius perpetuus Plocensis ibidem ad mensam sedentes, premissis inter se super constructione ecclesie prefate in Orssymowo quibusdam altricacionibus, dictus Iacobus Cossynski summisit se sub pena X flor. Hungar. per ipsum expressa, suscepta et emologata, edificaturum denuo ecclesiam ligneam in dicta Orssymowo cum omnibus attinenciis, videlicet XVIII angulorum latitudinis, longitudinis et summitatis maioris antique ecclesie, altaria ipsorumque cooperimenta, sacristegium, membranas omnes et tecturam, scabella, formas aliaque omnia ad ipsam ecclesiam concernencia perficere debiteque disponere et terminare ac prefatum Rmum dnum Petrum episcopum ad consecrandum conducere et consecrare infra hinc ad festum Nativitatis Christi prox. sub pena suprascripta, quam se iam exnunc obligat eidem Iohanni Poniathowski solvere sub censuris ecclesiasticis, si et in quantum omnia supradicta et quodlibet premissorum seorsum non compleverit. Si vero ipse Iacobus Kossynsky, prout se obligavit, omnia edificaverit et debite terminaverit, extunc ipse Iohannes Ponyathowski penam suprascriptam eidem Iacobo se soluturum summisit et obligavit sub eisdem censuris..

A. 1496, Iulii 8, in Poltowsk in curia episcopali.

171. (Acta episc. VI).. Honor. Iohannes de Ponyathi instigator officii accusata contumacia honor. Blasii, mansionarii in Syeprcz, nomine officii contra discretum Blasium mansionarium s. Marie in Syeprcz verbo proposuit, quomodo ab annis II citra vel ultra usque in hactenus, timore Dei postposito ac verecundia presbiterali, mulieres suspectas in domo sua tenere ausus est scandalose, ex quibus unam nomine Annam impregnaverat et nuper peperit prolem ex eodem susceptam, que novissime est introducta, que eciam mulier per dnos consules oppidi Syerpcz bannita se ad prefatum Blasium contulit, cui vestimenta plura comparavit et servire apud homines eidem inhibuit; item aliam, que ad ipsum ingredi videbatur, in qua iam signa apparent concepcionis, nunc impregnavit, ex quo scandalum inter vulgares oritur. Item idem Blasius mulieribus ad se publice intrare mandat, promittens eis securitatem per hec verba: Videbo, si quis michi faciat aliquid; ad cuius assecuracionem mulieres plures suspecte ad eum intrant.

Item rarus in missa in ecclesia in vesperis fere nunquam apparet, precium tollit, quod non meruit et aliud iam sibi solvere mandat. Item consumit pecunias ecclesie inutiliter a nobili Nyemyerza de Scoczkowo XI sexagenas recipiendo in solidis.. Item corrigere se presbiteris aliis non permittit, asserens se esse seniorem; continuus in taberna inebriatur, de qua veniendo in domum cum sua muliere suspecta ludit, pecunias de ecclesia recipiendo inhoneste expendit, pro quibus tunicas, palia, pelliceas mulieribus comparat, camisias et lintiamina ad ecclesiam per homines oblata distrahit, presbiteris, si et in quantum fuerit per dnum Episcopum correctus pro huiusmodi excessibus, cremacionem minatur; petens procurator prefatus iuxta sanctiones canonum, quo ad cohabitacionem mulierum et procreacionem puerorum puniri, quo ad pecunias expositas et ad alia omnia in proposicione contenta responderi. Ex adverso prefatus Blasius quo ad pecunias confessus est eas recepisse, quas solvet infra unum mensem, quo vero ad alia Rmus dnus indidit sibi canonicam purgacionem, quam faciet metseptimus..

A. 1497, Maii 31, in Poltowsk in curia episcopali.

172.* (Acta episc. VI).. Nobilis Nicolaus de Mlodzyanowo executor testamenti honor. olim Pauli de Nussewo, plebani in Crasne, coram Rmo dno Petro D. g. episcopo Plocensi in arce Polthoviensi asseruit se certam summam pecuniarum tum in auro tum in moneta communi per prefatum Paulum plebanum sibi ad conservandum datam habere et tenere; nolens dictam pecuniam amplius apud se propter pericula et dampna retinere petivit se ex earundem pecuniarum custodia et reservacione exonerari, eliberari et absolvi. Et prefatus dnus Rmus consensit et mandavit pecuniam dictam in castrum Poltoviense afferri et numerari et numeratam ad locum certum servandam dari et deputari. Quiquidem Nicolaus Mlodzyanowsky duas cisticulas cum pecunia prenominata in prefatum castrum attulit et coram magnificis, generosis, venerabili et nobilibus dnis Iacobo Golynynsky palatino Mazovie, Nicolao Komorowsky iudice Czyechonoviensi, Paulo Golynynsky subiudice Czyechonoviensi, Iohanne Payewsky canonico Poltoviensi dicti testamenti coexecutoribus, Iohanne Bogaczky, Andrea Chadzynsky capitaneo Poltoviensi reposuit ac representavit; quam pecuniam dicti domini numeraverunt ex consensu prefati Rmi dni Episcopi Plocensis, quarum summa erat C floreni cum medio minus II flor., C sexagene cum media tercia gr. in mediis gr., et eam sic numeratam et bene per prefatos dominos revisam nobiles Sigismundus germanus de Nussewo, Iohannes de ibidem et Sigismundus Iohannis de Rosskowo nepotes prefati plebani ibidem circa talem numeracionem personaliter constituti ad custodiendum et servandum dictam pecuniam uti propinquiores receperunt et realiter cum effectu a prefatis dominis tulerunt; quam pecuniam tenebuntur et debent tenere et fideliter conservare ad informacionem et decretum prefati Rmi dni Episcopi Plocensis..

A. 1497, Iunii 13, in Poltowsk in curia episcopali.

173. (Acta episc. VI).. Comparens personaliter nobilis Allexius de Guttowo, procurator legitimus nobilis Anne Iohannis de Maloklaky, contra nobilem Nicolaum de ibidem citatum.. proposuit, quod ipse data sibi promissione de ducendo recipiendoque eam in uxorem cum ea concubuit devirginavitque et humiliavit ac

impregnavit eandem et cum ea matrimonium solennisare in facie ecclesie commanereque ac affectu maritali tractare recusat, denegat et contradicit, petens eum cogi ad solennisandum matrimonium publice in facie ecclesie et ad commanendum invicem maritalique affectione tractare compelli, iudiciali diffinicione mediante. Ex adverso prefatus Nicolaus principalis.. confessus est eam promisisse et recipere debuisse in uxorem et post huiusmodi promissionem impregnasse. Et Rdus dnus Paulus Sulislai de Lyczky Wladislaviensis et Poltoviensis archidiaconus locumtenens ex confessatis ipsius Nicolai decrevit, ut eam de opibus suis dotet ad tantum. quantum et magis dotata fuisset de paternis, maternisve bonis aut alias, in quantum inter eosdem nullum intervenit canonicum impedimentum, eam accipiet in uxorem. Et ibidem a sentenciis excommunicacionum, quibus ad instanciam ipsius Anne racione contumacie fuit innodatus, infra hinc usque ad reditum ex bello sub reincidencia [in] purgacionis processus et vialibus illo pro tempore reservatis absolvit. Presentibus honorabilibus et discretis Andrea Popowski notario prefati dni Pauli archidiaconi..

Tandem probata est cognacio spiritualis sufficiens, propter quam nequit eam habere in uxorem, sed dotet eam ut supra, pro qua dote X solvet sexagenas in mediis gr. infra biennium: quinque pro festo Nativitatis Dni prox. et pro alio festo Nativitatis quinque, et prolem educandam fovere debet vel nutrire procuret sub censuris ecclesiasticis.

A. 1497, Iunii 16, in Poltowsk in curia episcopali.

174. (Acta episc. VI).. Coram Rmo.. dno Petro D. g. episcopo Plocensi.. Nicolaus presbiter de Ostralanka legitimus procurator.. honor. Iohannis plebani de ibidem.. contra nobilem Stanislaum de Omulyew verbo proposuit, quomodo ipse tempore messis adveniente decimam post predium suum in horreum ipsius Iohannis plebani conducere recusat.. petens ipsum cogi.. ad conducendum. Ex adverso Stanislaus.. allegavit, quod cum sit et est nobilis huiusmodique bona Omulew communiter appellata ex successione paterna sub iuribus et privilegiis, sigillis maioribus seu alias maiestatis ducatus Mazovie sigillatis et consignatis, habet.. et possidet, propter quod ad conductionem huiusmodi decimarum minime tenetur, sed iuxta consuetudinem ducatus Mazovie et more aliorum nobilium plebanum aut suos vicarios pro tempore existentes, ut decimas provenientes more solito conducant, avisat, prout ipse Stanislaus eundem Iohannem plebanum tempore conduccionis decimarum adveniente solito modo et tempore avisat et requirit avisareque et requirere ac decimas ex predio suo provenientes, prout et ceteri nobiles in ducatu Mazovie faciunt et remanent, remanere consuevit, petens se in consuetudine in ducatu Mazovie tenta et approbata remaneri et conservari, et eundem Iohannem plebanum in expensis in causa huiusmodi propterea factis ob indebitum tractum condemnari et ad earum solucionem cogi . Et dnus Rmus Petrus episcopus prefatus auditis hincinde parcium propositis et responsis decrevit, ut ipse Stanislaus more aliorum nobilium ducatus Mazovie decimas det et plebanum modo et tempore consuetis aviset et requirat, ut illas, ubi eidem placuerit, proprio curru conducat et statuat eundemque Iohannem plebanum prefato Stanislao in expensis condempnavit, quarum taxacionem sibi in posterum reservavit. Presentibus, quibus supra.

A. 1497, Augusti 21, in Płock sede vacante.

175. (Acta episc. VI). Acta presencia et olim Pauli et Kazimiri episcoporum Plocensium in duobus voluminibus cum tertio attestacionum sunt transportata ad Rdum patrem dnum Nicolaum de Barthnyki cantorem, administratorem sede vacante ecclesie Plocensis, per honor. dnum Nicolaum Martini de Strozewo notarium olim Rdi.. dni Petri D. g. episcopi Plocensis..

A. 1499. Iulii 5, in Iuniecz in curia episcopali.

176. (Acta episc. VII).. Honor. Zavyssha plebanus in Sanchoczino.. coram.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi contra honor. dnum Abraham plebanum in Iunecz factoremque clavis Iunyeczensis conquestus est.. quomodo licet decima agrorum desertorum V mansorum in villa Sanchoczka Vola pro predio conversorum a XX vel citra annis cito post tempora locacionis ville predicte iure parochiali et laudo communi in diocesi Plocensi dudum statuto et observato ad ecclesiam predictam suam in Sanchoczino et rectores eiusdem pro tempore existentes pertinebat et pertinet, ipsi rectores eandem percipiebant, prout ipse exponens a tempore assecucionis ipsius ecclesie percipiebat, percepit ad presens; tamen prefatus dnus Abraham anno currenti pro dictis decimis ipsum plebanum moveri et inquietari procuravit.. quominus illam possideat, petens per Rmum.. dnum pontificem.. ad probandum admitti.. Et dominus admisit..

A. 1499, Iulii 8, in Iuniecz in curia episcopali.

177. (Acta episc. VII). Coram vobis Rmo.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi etc. ego Nicolaus plebanus in Vronyska propono, pono et allego contra nobilem Fredrych de Vronyska, quod ipse denegat michi, ne mea pecora et pecudes pascerentur cum ipsius pecoribus in agris predialibus non solum ipsius, sed et alterius heredis, ut est modernis temporibus possessionem habens in his prediis nobilis Petrus de Kuchary, qui non contravenit in pascuis, ubi mei antecessores plebani in eisdem agris predii habuerunt libertatem pascendi ipsorum pecora et tu solus sine consensu nominati Petri Kucharsky suffocare vis consuetudinem diu tentam, quare rogo R. Ptem V., ut eum compellat, ne michi denegaret libertatem pascendi in talibus prediis, quod si negatum fuerit, probare intendo.

Item contra eundem Fredrych propono, quod ipse inhibet omnibus parochianis, signanter ville Vronyska, liberum transitum ad ecclesiam circum sepes semita communi, que est ex antiquo data et tradita per predecessores heredes a C vel citra annis, et hoc ex eo, quia suis temporibus sepenumero fit via per villam lutosa, periculosa et permaxime difficilis, quam tradicionem semite omnes alii moderni heredes in dicta Vronyska approbant et pro laudabili consuetudine tenent et habent, excepto ipso qui conatur suffocare, destruere et perdere diu tentam consuetudinem et non solum parochianis, sed et michi soli similiter inhibet habere liberum transitum dicta semita, faciens contra libertatem cleri, qui eciam sum heres, sicut et ipse in Vronyska, que semita transit non solum per ipsius agrum sed eciam per aliorum heredum agros et fuit semper liber transitus per eam, eciam non obstante, quod aliqua frumenta sive hiemalia, sive estivalia sint seminata ibidem circum sepes, licet anno presenti est ager vacuus alias *ugor*. Quare peto eum compelli per R. Ptem V, ne talis observatissima

utilisque consuetudo destrueretur per eum. Si hoc negatum fuerit, probare intendo.

Item pro eo, quia pater ipsius olim nobilis Andreas de Vroniska recepit ortum plebanalem et adiunxit eum ad suum pomerium simul sepiens in unam septuram, prout et nunc est idem ortus adiunctus simul cum pomerio ipsius, et ipse remanens in bonis post patrem suum et sciens, quod idem ortus fuit plebanalis, non vult dimittere libere michi eundem ortum, quare peto etc., quod eciam probare intendo.

Item pro eo, quia ipse seminans triticum et avenam in bonis Vroniska super agro vulgariter *ugor* non decimavit ab eisdem, et dum misi ad eum nobilem Andream de Vronyska, ut michi traderet sive decimaret a dictis frumentis, videlicet a XVII cassulis tritici estivalis et a II cassulis avene minus XV manipulis, sine strepitu iuris, respondit, quod aliqui prelati dicunt michi, quod non deberem dare, aliqui vero dicunt, quod deberem dare, quare si est iuris dare, tunc dabo de acervo, hoc paratus sum probare.

Item propono contra eundem Fredrych, quod non sum securus in sanitate mea, quia ut ab hominibus probis audio, minatur michi mortem, si hoc negaverit, probare intendo.

A. 1499, Iulii 29, in Poltowsk in curia episcopali.

178. (Acta episc. VII).. In arce Polthoviensi Rmo.. dno Vincencio episcopo Plocensi iudicio pro tribunali sedente.. honor. dnus Sebastianus de Olesnyky procurator legitimus vener. dni Iohannis Myskowski prepositi Leopoliensis.. in presencia.. [nobilis] Mathie [Dobeslai de Rzasnyk] produxit libellum convencionalem.. cuius libelli tenor sequitur et est talis:

Coram vobis.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi procurator et eo nomine procuratorio vener. dni Iohannis Myskowski prepositi Leopoliensis et capitanei Iunicensis in et contra providum Mathiam advocati in Rzasnyk laicum Plocensis diocesis Rme Ptis V. et quamcunque personam pro eo in iudicio quomodolibet intervenientem per modum et viam libelli summarii convencionalis gravi in querela proponit.. quod quamvis prefatus dnus Iohannes Myskowski ex utroque parente nobilis homoque senex et decrepitus, annorum LX citra vel ultra ac a XX citra annis actu presbiter et prelatus ecclesie metropolitane Leopoliensis et notarius Srmi principis dni Iohannis Alberti regis Polonie ab ineunte sua etate honeste et laudabilis vite et condicionis sit et fuerit, tonsuram et habitum presbiteralem deferens, prout sue condicioni competebat et competit, continue pro talique.. ab omnibus habitus et reputatus; nichilominus tamen anno currenti 1499 certa die ante Conversionis s. Pauli in domo providi Iurga pellificis civis Polthoviensis in Polthowsk Plocensis predicte diocesis sita in presencia plurimorum hominum predictus Mathias advocati in Rzasnyk laicus existens, persona levissime condicionis et impossessionata, malo inductus spiritu animo iniurandi manus suas sacrilegas et violentas iniecit in prefatum dnum Myskowski.. actu presbiterum et prelatum ac protunc tonsuram et habitum presbiterales deferentem, ac non dubius nec ignarus de condicione sua notoria huiusmodi ipsum gladio evaginato in caput, collum, manus et alias partes corporis sui enormiter ac sanguinolenter vulneravit ac iam semivivum occidere voluit et conabatur humi prostratum, nisi

per homines astantes, qui protunc ex violencia huiusmodi irritati concurrerant, fuisset de manibus ipsius ereptus, propter quam violentam manuum inieccionem et vulneracionem prefatus Mathias procul dubio sentenciam excommunicacionis a canone: Si quis suadente etc. latam incurrit. Ipse vero dnus Iohannes Myskowski iniuriam suam predictam in animum revocando bona fide extimat ad summam D flor. Hungaricalium..

Petit igitur dictus procurator.. per vos.. dnum Vincencium episcopum memoratum vestramque sentenciam diffinitivam.. declarari prefatum Mathiam advocati.. sentenciam excommunicacionis.. ipso facto incidisse..

Ex adverso generosus Georgius de Nyeczeczya, subiudex terre Drohiciensis, procurator legitimus prefati Mathie Dobeslai de Rzasnyk.. negavit contenta in libello, subiungens, quod si aliqua vulnera prefato dno Myskowski intulit, opera ipsius factum est, ita videlicet, quod veniens ad hospicium et ad lectum sibi ad dormiendum dispositum in medio noctis ipse dnus Myskowski stans in medio palacii dixit ad ipsum Mathiam et suos complices: quales vos estis homines; Mathia respondente: sum servitor dni capitanei Drohiciensis; quod audiens dnus Myskowski eosdem verbis inhonestis in primis affecit et ex hospicio discedere mandavit, Mathia nolente et se ad benivolenciam offerente, quo non contentus ipse dnus Myskowski prefato Mathie manus intulit in maxilla, percuciendo et demum per guttur et crines apprehendendo et subsequenter dnus Myskowski per cultrum eum arripuit, Mathia timente periculum ac eidem resistente, et ibidem si quid contigit, ex inicio ipsius factum est. Ibidem procuratore dni Myskowski dicente, quod contenta in litiscontestacione et allegacione suprascripta in quantum pro parte sua et contra partem adversam et non alias acceptat et pro parte sua repetit, in quantum negata fuerint, petivit se ad probandum admitti; et dominus admisit..

A. 1499, Augusti 26, in Poltowsk in curia episcopali.

179. (Acta episc. VII).. Nobilis Iacobus de Nyczko contra honor. Nicolaum plebanum de ibidem proposuit, quomodo anno currenti, mense et die certis ipse plebanus prefatum nobilem infamasset, asserens sibi vaccam furatam fuisse et provocando eundem ad iram ac levipendendo cum motione capitis sui expuit in terram succlamans: »Pi pi collatores«, extimans iniuriam ad C ducatos, in quibus eundem condempnari petivit. Ex adverso plebano negante probabit nobilis; et incontinenti plebanus confessus est sibi satisfactum fuisse pro vacca, quam eciam reconveniendo petebat. Rmus dnus nobilem ab impeticione absolvit.

A. 1499. Septembris 4, in Czyrwyensko in curia episcopali.

180. (Acta episc. Ia).. Testes.. pro parte honor. Andree plebani in Camyenycza occasione decimarum predialium in villa Dlothowo Lyczkowsky.. examinati et primo, eciam et [in] Naborowo de uno manso:

Primus testis laboriosus Nicolaus Phabian de Dlothowo Stroschewski.. interrogatus, quid sibi constaret de decimis excrescentibus in agris parvi Dlothowo, quam modo possidet dna Liczkowska, cuius fuit aut fuerunt, respondit, quod a prima sui memoria fuerunt mansus cum medio locati kmethonibus, videlicet Stanislao Cholewa, Martino Bethlka, unus in manso videlicet Martinus et in medio

Stanislaus Cholewa, ex quorum agricultura decima pro dno Episcopo pro tempore existenti recipiebatur et conducebatur ad decimatorem in Dlothowo villam Strozewska. Item testis interrogatus, a quo tempore dicti kmethones esse ceperant, dixit testis, quod ultra memoriam sui non esse ibi aliquos nobiles in eisdem agris. Item interrogatus de reliqua residuitate sortis Dlothowo, quis coluisset, respondit, quod nobiles Laskarius et Andreas germani predia eorum habuerunt et coluerunt a L annis, alias a tempore sue memorie dicti agri prediales fuerunt, salvo eo, quod a XX vel infra annis, postquam dicta predia successores supradictorum heredum Laskarii et Andree, videlicet Paulus, Adam et Sassinus, dictum predium dno Iacobo Lyczkowski de Naborowo vendiderunt, extunc idem emptor dictum predium sive predia kmethonibus locavit, videlicet Stanislao Rinda, Andree Durka, Nicolao Dimyna, Mathie Phabian, Andree Dimynycz, Petro Fabianovycz, post quorum agriculturam, desientibus prediis et dictis kmethonibus locatis in predicta sorte predictorum nobilium, episcopi recipiebant, decimabant, videlicet dnus Petrus episcopus; de Kazimiro duce nescivit declarare, si pro eo recepte et decimate fuerunt; causam sue sciencie de premissis reddens, quia novit nobiles supradictos et successive kmethones, quos superius nominavit. Item idem testis interrogatus, an mansus, in quo locati sunt Andreas Skerka in medio et Mathias Musznycz, sit ex predio emensuratus in villa Naborowo, aut ipse mansus kmethonalis ante ea extitisset a XL et ultra annis, respondit, quod ab eo tempore, a quo memoriam habet, sit ipse mansus predialis et ex predio emensuratus, de quo ante locacionem kmethonum plebanus decimam percipiebat, post locacionem vero pro dno Episcopo; interrogatus a quo tempore dictus mansus locatus sit, respondit, quod infra XX annos, et dixit, quod medius mansus eiusdem, quem colebat Musznycz, in predium rediit viceversa per exitum dicti Musznycz in villam Croczewo..

A. 1499, Septembris 23, in Mankolyno in curia episcopali.

181. (Acta episc. VII). Nobilis dnus Iohannes Gorka de Coczicze contra honor. dnum Iacobum plebanum in Radzimino proposuit, quomodo anno currenti ipse plebanus veniens in bona ipsius proponentis nuncupata Carboschewo excidit violenter VI quercus valoris extimacionis communis secundum statutum et consuetudinem terre, petens etc. Ex adverso honor. plebanus posuit evictorem videlicet nobilem Iohannem Carboschewsky, qui eum ibidem evicit et se inmisisse ad excidendum quercus huiusmodi confessus est; et cum agitur inter personas seculares occasione rei secularis, petivit dominum causam huiusmodi ad iudicium seculare remitti. Et dnus Rmus remisit..

A. 1499, Octobris 3, in Mankolyno in curia episcopali.

182. (Acta episc. VII).. Coram Rmo.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi, R. Mtis in causa infrascripta commissario, dum nobilis Iacobus Czayka de Szyky terrigena districtus Plonensis cum citacionibus R. Mtis contra nobiles Helenam relictam olim nobilis Andree Banbol et Iohannem privignum Helene dictique Andree filium petivit Rmum.. dnum Vincencium episcopum Plocensem ut commissarium predictum, uti iuxta astaciones terminorum ad citaciones primam et secundam bona predictorum Helene et Iohannis in Comunyno iuxta tenorem

prime citacionis, ut continebat, racione non expedicionis bellice versus Moldaviam institute adiudicaret; extunc nobilis Helena cum Iohanne privigno per suum procuratorem ibidem constitutum dixit primam citacionem ad eorum noticiam non pervenisse, secundam citacionem in pariete laboriosi Stanislai advocati in Comunyno positam; et post termini designacionem per filiam advocati ipsius Helene et Iohanni allatam fuisse, et quia extradicionem huiusmodi citacionum prefatus nobilis Iacobus Czayka coram Rmo dno non verificavit per preconem, propterea dicti Helena et Iohannes per suum procuratorem predictum astaciones huiusmodi terminorum nullas pronunciari ac eosdem secundum decretum priorem Rmi dni Episcopi prefati et dnorum palatini ceterorumque castellanorum in convencione Plonensi feria V[ta] ante festum s. Viti celebrata satisfecisse bellice expedicioni pronunciari et ab instancia confirmato decreto absolvi [petiverunt]. Et Rmus dnus Episcopus commissarius prefatus ad instantem peticionem prefati nobilis Iacobi Czayka causam ipsam non diffiniendo cum citacionibus et diligenciis re integra stante ad R. Mtem iudicandam remisit. Presentibus.. nobilibus Dămyano de Nyesdzyno subiudice, Stanislao de Szawlowo vicesuccamerario Vyschegradyensibus.. [1]).

A. 1499, Novembris 6, in Poltowsk in curia episcopali.

183. (Acta episc. VII).. Coram Rmo dno etc. constituti personaliter laboriosi Iohannes Ostrosch et Marcus et alii oppidani de Sgyerz ceterique villani dicto oppido adiacencium villarum in presencia honor. dni Nicolai Strorzewski curati in Barczice procuratorisque vener dni Nicolai prepositi sanctimonialium b. Marie Magdalene extra muros Plocenses exposuerunt allegando, quomodo ipse Iohannes Ostrosch de Orzechowo, condam kmetho prefati dni prepositi, missus libere ad caucionem fideiussoriam iuxta consuetudinem terre, satisfaciens agro, quem possidebat, ac liber existens bona sua de Orzechowo in Sgyerz cum oppidanis oppidi Sgyerz et villanis villarum adiacencium dicti oppidi, mandato dni Cleophe ad id accedente, recepit et conduxit libere. Vener. dnus prepositus tacita veritate de premissis et suggerens minus iuste prefatos oppidanos et villanos vim in bonis Orzechovo intulisse et dictum Iohannem Ostrosch cum bonis eius receptum et raptum fuisse et propter id processus excommunicacionis et interdicti surrepticie contra prefatos conductores bonorum Iohannis Ostrosch a domino optinuisse et in vim eorum eosdem excommunicatos declaratos denunciare procuravisse, eo non attento, quod prefatus ordini et consuetudini terrestri satisfecisset agrumque, in quo manebat et quem colebat, superlocasset alias *zasadzyl*, petiveruntque Rmum dominum, quatinus ex causis predictis eosdem ad cautelam alias ad causam absolvent allegataque admittent probare. Et dominus.. ad probandum admisit, eosdem ad cautelam.. absolvit et processus decrevit..

184. (Ibidem).. Rmus.. dnus Vincencius D. g. Episcopus Plocensis ad preces magnificorum dnorum Ninognevy de Crisco palatini Plocensis et Zavisii de Conradzecz similiter castellani Plocensis, Iohannis de Zamyenye Cernensis, Andree de Radzeyevicze Sochaczoviensis, Nicolai de Obori Czyechonoviensis et aliorum prelatorum spiritualium et secularium dignitariorum interventum honor. dnum Iacobum de Radzimino plebanum e carcere mittendum decrevit, qui per suam

[1]) Niniejszy akt znajduje się na luźnej kartce zamieszczonej w księdze sądów biskupich.

Rmam Ptem et sue Rme Ptis capitulum in sinodo diocesana ultimo celebrata exigentibus excessibus et scandalis enormibus publicis in carcere huiusmodi deputatus erat ac paterne per unam diem dumtaxat punitus. Et idem honor. dnus Iacobus correctioni se subiciendo obligavit se sub privacione beneficii sui, quod in predicta scandala et excessus non recidivabit et se debite custodiet, statim vitam suam reformabit. Quod si in ipsis scandalis repertus fuerit, ad primam requisicionem Rmi domini cedere debet de suo beneficio, videlicet ecclesia parochiali in Radzimino..

A. 1499, Decembris 13, in Poltowsk in curia episcopali.

185. (Acta episc. VII).. Coram.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi.. comparuit in iudicio nobilis Margaretha relicta nobilis Iacobi de Noszewo.. testamentum[que] olim prefati Iacobi mariti sui.. ad acta sue Paternitatis inscribi propter tuciorem conservacionem.. petivit. Et dnus Rmus prefatus.. in presencia nobilis Stanislai nepotis olim Iacobi testatoris contradicentis et impugnantis robur et decretum eiusdem testamenti, allegantis illud inofficiosum et nullum fuisse, non obstantibus eiusdem impugnacionibus et allegationibus, illud testamentum.. ratificavit.. citra preiudicium uniuscuiusque partis et salvo iure earundem illudque testamentum ad acta sue Ptis inscribi.. mandavit litterasque monicionis contra omnes huiusmodi testamentum infringentes decrevit..

Eadem Margaretha ibidem allegavit se non esse securam in vita sua huiusmodi legata repetere propter comminaciones dicti Stanislai et amicorum ipsius ac fratrum aliorum ipsius Stanislai germanorum, petens de securitate provideri. Et dominus Rmus prefatus inter dictas partes et amicos earundem penam apposuit XL sexagenas tenendam et observandam et quod ipse partes neque per se neque per alias submissas personas machinabunt eis in mortem..

Tenor testamenti prefati: In nomine s. Trinitatis et individue unitatis amen. Cum iuxta sentenciam Salvatoris incertum est hominibus penitus, quando Dominus venerit, sero an media nocte etc., idcirco est preceptum vulgare (s). Quapropter noverint universi tam presentes quam futuri, quod ego nobilis Iacobus de Noszewo, auctore Domino sanus mente compos bone racionis, diem extreme peregrinacionis providens sollicite, nolens decedere intestatus meum condo et facio ac ordino testamentum seu ultimam voluntatem meam in modum, qui sequitur: In primis de [1]) bonis michi a Deo concessis coram testibus: nobilibus Martino et Laszkarz de Noszewo, primo et principaliter lego equum et equam cum II bobus ecclesie in Ostrałąka plebano et eius presbiteris, quibus venditis medium detur in manus vitricorum pro reformacione aut perpetua necessitate ecclesie mediumque presbiteris ibidem pro commemoracione anime non tantum mee, quam etiam meorum predecessorum. Item Margarethe condam uxori mee divortiate lego cum pueris, quos cum ea habui nondum divortiatus, omnia mobilia et immobilia etiam totam hereditatem terre mee possessionis, quam teneat pacifice; sique filius, quem repartiaveram, velit se inicere propinquitate in bona hereditatis terre, hoc non recuso, nisi prius det Margarethe predicte XX sexagenas in mediis gr. racione dotalicii; postea faciat divisionem cum pueris meis, quos habuimus cum predicta

[1]) Cod. que.

Margaretha; divisio tamen sit tantum terre, sed omnia mobilia et suppellectilia domus Margarethe prescripte lego. Ad exequendum cum ea, petens causa Astripotentis, instituo in executores istos videlicet: honor. dnum Iohannem plebanum in Ostralaka, nobilesque Iohannem et Stanislaum de Dobrolaka et Martinum Godzebą de Noszewo. Acta sunt hec f. III Pentecosten coram dno Nicolao vicario in Ostralaka in domo mea ibidem in Noszewo. A. D. MCCCCXCVI.

A. 1499, Decembris 23, in Poltowsk in curia episcopali.

186. (Acta episc. VII).. Rmus.. dnus Vincencius D. g. episcopus Plocensis.. considerata certa discordia ac controversia inter advocatum, preconsulem, consules ac totam communitatem Polthoviensem super contribucionibus civilibus prefati oppidi Poltoviensis, articulos infrascriptos in presencia eorundem statuit, fecit et ordinavit, decernens eosdem.. observandos inviolabiliter:

Et primo sua Rma Ptas statuit et ordinat, quod contribuciones civiles amodo et inantea imponi, constitui et exigi non debent, nisi cum prefati Rmi dni Episcopi aut aliorum pro tempore existendorum dnorum Episcoporum Plocensium ac advocati totiusque communitatis Polthoviensis scitu.

Item statuit et ordinat, quod omnes exactiones civiles quomodolibet spectantes et pertinentes, quando colliguntur ad thezaurum, imponantur in registrum conscripte.

Item pene maiores, si que sint, eciam conscribantur, ut tempore suo tam de censibus quam de penis debita racio fieret.

Item pene minores exigantur per consules secundum consuetudinem antiquam cum gracia tamen et nonnisi de forma iuris.

Item de istis omnibus, que exiguntur, fiat racio sufficiens coram capitaneo arcis Poltoviensis ac coram advocato et in presencia ipsorum communitatum (s).

Item eciam consules eligantur cum capitanei et tocius communitatis consensu et sub eorum presencia. — Presentibus ibidem venerabili, nobilibus Iohanne Parznyewski canonico Leopoliensi, Martino Mrokowski capitaneo Poltoviensi, Iohanne Pyeczkowski ac providis Nicolao Pothdambek advocato, Mathia Custosz preconsule, Petro Raczanski, Iacobo Naroszny, Iacobo Sczepanovycz, Fabiano, Thoma pellifice et aliis multis consulibus et communitate oppidi Poltoviensis et me Stroschewski notario.

A. 1500, Ianuarii 10, in Iunyecz in curia episcopali.

187. (Acta episc. Ia).. Testes infrascripti pro parte honor. Nicolai plepani in Lachowo contra honor. Iohannem plebanum in Colno.. super iure parochiali et percepcione decimarum per agriculturas ville Vikowo excrescencium et percepcione sacramentorum.. inducti, iurati et examinati:

Primus testis nobilis Stanislaus de Okurowo parochianus ecclesie parochialis in Lachowo annorum LXX.. habens in bonis ad CCC sexagenas.. interrogatus, ad quam parochialem villa Vikowo a primaria sui existencia pertinebat et in qua ecclesia recipiebat sacramenta, respondit, quod ad parochialem in Lachowo; quam principaliorem crederet ecclesiam de dictis duabus, nescivit deponere; interrogatus, a quoto tempore nobiles inhabitant et colunt, respondit, quod a sui prima memoria et ultra. Interrogatus, an dicta villa fuisset aliquando pos-

sessa per kmethones, respondit, quod fuit, sed fluxerunt XL vel citra anni, quia olim dux Boleslaus pater moderni dni ducis Cunradi cuidam nobili, qui de Drogyczyn propter seviciam ducis Lithwanie aufugerat ad principem Mazovie olim Boleslaum, dictis bonis Vikowo ipsum donaverat, qui postmodum per sortes vendebat, cuius nepotes duo in certa quotta illic resident, decimam ex agriculturis nobilium plebani pro tempore existentes in Lachowo recipiebant, sed prefatus nobilis, qui fuit vexillifer, respondebat de decima ad parochialem in Colno et divina percipiebat sacramenta, pauperes vero kmethones visitabant in Lachowo et sacramenta percipiebant; dixit villam Vikowo propinquiorem esse ad Lachowo quam ad Colno; de erectione nichil sibi constare dixit.

Secundus testis nobilis Iohannes de Okurowo frater germanus primi testis annorum LXX aut citra.. interrogatus, cuius decima sit in villa Vikowo, respondit: episcopalem per agriculturas kmethonum. Interrogatus, an dicta villa fuerat kmethonibus locata et possessa, respondit, quod dudum fuit villa ducalis kmethonibus possessa, quam olim dux Boleslaus cuidam, ut credit, ex nomine Boruthe, qui propter hoc, quod terras Drogyczyn et Bransko consulebat et favebat et persuadebat pro duce Mazovie olim Boleslao, exilium a duce Lithwanie ferebat, donaverat sub limitibus et fundo bonorum dictorum Vikowo. Interrogatus de Vikowo.. respondit, quod est villa filiorum olim Vyetrzych: Nicolai et Iohannis, qui Vyetrzych fuit filius olim Boruthe ac dignitate appellatus vexillifer. Interrogatus, an aliqui nobiles possident agros aliquos kmethonales dicte ville, respondit, quod quidam nobiles Rupyensczy certas sortes agrorum kmethonalium adiacencium locacionis eorum ville Rupino in crudo extirpate possident et colunt. Interrogatus, quantum de crudo habeant, [respondit, quod] X mansos in bonis Vikowo circumadiacentibus emensuratis habent, colunt tamen et possident aliquas pecias de agris kmethonalibus et alii ex eis in eadem villa resident. Interrogatus, quantus circuitus sit bonorum Vikowo, respondit: unum miliare largum ad omnes hincinde partes circumferencialiter, in quibus bonis nuncupatis et appellatis hoc vocabulo Vikowo nobiles de Broszowo, Gorski, Rupye [resident], item advocati filius, quem nominare nescivit, residet in II mansis ultra citra ville Vikowo. Interrogatus, an Brzoszowo in crudo vel extirpato possessa per nobiles, respondit, quod in crudo. Interrogatus de Ruppye respondit, quod Ruppye in extirpato nobiles esse ceperunt et postea in crudo bona eorum agrorum augmentarunt; scit, quod X mansi sunt crudorum et extirpatorum. Item Gorski possidet, et possident plus de extirpatis quam de crudis. Item interrogatus, ad quam ecclesiam dicta villa Vikowo ex antiquo pertinuisset iure parochiali adiuncta, respondit, quod a prima sui memoria ad ecclesiam in Lachowo et in eadem villani percipiebant omnia et singula sacramenta.

Tercius testis nobilis Stanislaus Cumyrsky parochianus ecclesie in Lachowo annorum LX.. interrogatus de villa Vikowo, novit eam. Interrogatus, cuius fuit ante ea, respondit: ducalis, quam villam dux Boleslaus pater moderni ducis Conradi donavit Boruthe avo modernorum nepotum [1]), quorum nomina ignoravit. Interrogatus, ad quam ecclesiam dicta villa ex antiquo pertinuisset, respondit, quod ad ecclesiam in Lachowo. Interrogatus, cuius decima sit in eadem, respondit,

[1]) Cod. modernis nepotibus.

esse episcopalem. Interrogatus, an nobiles aliquid habeant in dicta villa, respondit, quod Gorski habet certa bona in bonis Vikowo, non tamen villam, sed in crudo extirpata et empta. Item Rupyenski eciam habent in cruda radice. Item Okurowski eciam in cruda emerunt et possident eadem; alia nescit.

A. 1500, Aprilis 6, in Gorzno in curia episcopali.

188. (Acta episc. I a).. Testes infrascripti occasione *stolove* et *sakowe* inter plebanum in Sczuky et Gothartowo et parochianos ecclesiarum predictarum inducti et primo:

Discretus Nicolaus plebanus in Sczuky affirmando suam intencionem medio iuramento deposuit interrogatus, quod a XIX annis, a quibus ipsam ecclesiam in Sczuky et Gotharthowo nactus est, pro mensa alias *stolowe* I¹/₂ gr. pro festo s. Michaelis et similiter I¹/₂ gr. pro festo Pasche singulis annis recipiebat et tollebat et nunquam impediebatur a parochianis, quod pro mensa tollebat, solum modo per dnum Cuczborski; causam sciencie reddens, quod audivit dicentem quendam Mathiam scultetum antiquum de Sobyesyrnya, in quo loco hodie prefatus Cuczborski moratur: Dne plebane habetis ex antiquo *stolowe* III gr., non fuerunt III gr. solum II¹/₂ gr. Et dnus Episcopus Gizyczki videns, quod plebanus contentus esse non potuerat, apposuerat medientem, ad scolarem autem, alias *sakowe*, nunquam pertinebant isti grossi, alia nescit.

Secundus testis laboriosus Mathias Desczka de Gotharthowo per parochianos de Gotharthowo inductus.. deposuit, quod parochiani de villis Gothartowo, Sobyeszyrna et Dzeszno ex antiquo soliti erant componere pro scolare pro festo s. Michaelis medium quintum solidum et pro festo Pasche medium quintum similiter, et nunquam fuerant pro mensa alias *stolowye*. Interrogatus, quomodo hoc sciret, respondit: se scire ex patre suo, quod ita fuit, quod deposuit; deposuit eciam, quod ex antiquo solvebatur per IV solidos ad festa superius descripta, sed plebanus post bella videns, quod contentus esse non potuit per IV solidos pro scolare, parochiani apposuerunt sibi singulis festis per solidum; alia nescit.

A. 1500, Iunii 22, in Mankolyno in curia episcopali.

189. (Acta episc. VII). Nobilis Dorothea de Rzeschewo contra nobilem Nicolaum Mathie de Wangrzinowo.. proposuit verbo, quomodo de anno Dni nuper transacto mense et diebus certis sepius ac sepius eam accedens expetebat, ut ei in coniunctionem carnalem consentiret, promittens, si id fecerit, eam recipere sibi in uxorem, propter quas promissiones tunc ac iterum per eum repetitas eadem Dorothea, que tunc temporis se pro virgine gerebat et virgo erat, precibus ipsius Nicolai annuit, illi adhesit in effectum matrimonii promissi, illeque eam in domum propriam publice recepit ac per unum annum vel citra tenuit commanendo, quam sic seductam et illusam in condicione nobili ac statu virginali deterioratam repudiavit repudiatque, alia sibi muliere superducta, petens constito de premissis compelli ad consumati matrimonii per carnalem copulam sollennisacionem in facie ecclesie, si opus est, alias obstante secunda uxore ad dandum ei dotem iuxta condicionem status nobilis videlicet L sexagenas. Ex adverso nobilis Nicolaus deliberavit ad XV. Et dnus Rmus propter locorum variacionem causam huiusmodi ad consistorium Plocense remisit audiendam..

A. 1501, Martii 24, in Mankolino in curia episcopali.

190. (Acta episc. VII).. Rmo.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi pro tribunali sedente.. honor. Andreas capellanus curie episcopalis et procurator legitimus vener. dni Nicolai de Lyczky canonici et procuratoris vener. capituli Plocensis et tocius communitatis patronorum oraculi s. Katherine.. accusavit contumaciam nobilium Grabya de Mlicze et Andree Burnak de Lang non producencium omnia et singula iura, privilegia et munimenta, si que occasione iuris patronatus oraculi prefati s. Katherine extra muros Plocenses habere pretendunt, et in contumaciam ipsorum petivit senten[c]iam diffinitivam ferri et pronunciari. Ex adverso comparentes prefati nobiles certa privilegia sub titulis Illmorum principum Conradi, Boleslai, Kazimiri et Iohannis ducum Mazovie [produxerunt], petentes sibi iusticiam fieri. Et Rmus dominus prefatis privilegiis.. diligenter revisis et comperto certo errore in litteris erectionis dicti oraculi, pro meliori informacione.. et iurium revisione ad f. II[dam] prox. post Conductum Pasce ad sinodum et capitulum in Ploczkam sentenciam pronunciare suspendit et terminum coram sua Rma Pte pro prefata f. II[da] post dominicam Conductus Pasche partibus prefixit, ubi sua Rma Ptas habita consultacione cum dnis prelatis et canonicis ecclesie et capituli sui id, quod iusticia dictaverit, faciet..

A. 1501, Martii 28, in Mankolino in curia episcopali.

191. (Acta episc. Ia).. Testes infrascripti ex commissione Rmi.. dni Vincencii D. g. episcopi Plocensis super vita, moribus et scandalis Iacobi plebani in Blichowo medio iuramento recepti et examinati, et primo:

Primus testis discretus Nicolaus vicarius in Blichowo.. interrogatus.. utrum incurabilitate plebani in Blichowo aliquis parochianorum in Blichowo sine sacramentis et confessione, et parvuli sine baptismate, decesserit, respondit, quod eo presente nullus sine confessione, sacramentis, necnon puer sine baptismo decessit, preter unum Andream Kansyk kmethonem in Blichowo, qui perierat circa festa Nativitatis Dni et repertus est circa festa Pasce mortuus, dubium fuit de eo, an interemptus aut ex inebrietate mortuus est, quem plebanus extra cimiterium sepelire mandavit. Deposuit eciam, quod unus puer Simonis tabernatoris de Blichowo fuit baptisatus, non tamen unctus sacro crismate et mortuus est sine unctione crismatis; item alius puer in Sanchoczino baptisatus est et eciam crismate non est unctus, et iam adultus est. Deposuit eciam, quod plebanus nunquam imponit crisma in fontem baptismalem, nec eciam renovat sacramenta et testi inhibet, quociens ipsum in hoc redarguit, dicens: Quid hic tibi ad hec. Item eciam sunt in parochia multi excessivi et aliqui a VII annis, aliqui a VI, qui non sunt confessi, quos plebanus non excommunicat neque dno Episcopo aut suo officiali de nunciat. Deposuit testis interrogatus, quod ecclesia est ruinosa, non tecta, sere non habentur, plebanus non curat reformare, curiam eciam plebanalem destruxit, solum unica stuba nigra satis mala, in qua plebanus solet sedere et dormire. Item interrogatus, an servat concubinam, respondit, quod sic; cum qua habet multos pueros, tres pueros servat in domo et alios in villis servat; deposuit eciam testis, quod quedam mulier venit cum puero ante Carnisprivium, quam eciam plebanus in domo servat, nescit, si sibi commanet carnaliter. Deposuit eciam testis, quod sunt tres anni elapsi, quando ipse plebanus ab Octava Corporis Christi hostiam

in monstrancia stare permisit usque citra Carnisprivium vel ultra, quod testi quidam Petrus vicarius tunc in Blichowo, qui nunc moratur in Lupky, ostendit dicens: Vides, quid noster plebanus facit. Et dum visitatores visitabant, nescitur, quo illam hostiam fecit. Deposuit eciam testis, quod plebanus visitat tabernas, sed raro, percuttit se cum nobilibus et kmethonibus, ita duo anni sunt, quando quendam Ioseph laicum de Chlebowo in ecclesia percussit, dum ad eum venit ad confessionem. Item eciam deposuit, quod raro in ecclesia audit confessiones, sed in domo sua. Item interrogatus, si sentit ipsum in aliqua heresi, nescit testis; alia nescit..

Quintus testis discretus Petrus vicarius in Lupky.. interrogatus, si quid sibi constaret de incontinencia plebani in Blichowo, respondit, quod a pluribus annis servat concubinam, cum qua prolificat, dixit eciam eccclesiam destructam per omnia, canes intrant sub parietes eiusdem in ecclesiam. Deposuit, quod sunt tres aut quatuor pueri, qui non sunt uncti oleo in baptismo, quousque in Lupky; per omnia testis dixit esse plebanum scandalosum et per omnia vite enormis et bestialis incorrigibilis. Deposuit eciam testis, quod ipse plebanus ab Octava Corporis Christi usque ad vigiliam alterius festi Corporis Christi, hostiam in monstrancia stare permisit, nescit, an ipsam consumavit aut non, quem testis super hoc corripiebat, ipso dicente: Tu existens novellus presbiter, me arguis, scio ego, quid facio. Deposuit eciam testis, quod postquam dnus Praschmowsky archidiaconus equitabat per Blichowo in Slup, ipse timens visitacionem currens ad sacrarium deposuit illam hostiam et imposuit in corporale vacuum in altari; deposuit tandem testis, quod nescit, quo fecit illam hostiam. Deposuit eciam testis, quod nunquam renovat sacramenta et semper conservat a festo Pasce ad aliud festum. Deposuit eciam testis, quod nobilis Maquoth moratur cum sorore propinqua incestuose vivendo, plebanus ipsum non corrigit nec excommunicat.

A. 1501, Martii 30, in Poltowsk in curia episcopali.

192. (Acta episc. VII). Pene substitutorum Polthoviensium — Item Stanislaus Osszel substitutus ecclesie Polthoviensis condemnatus est in pena sinodali III marcarum, quam pro primo solvet, si de cetero repertus fuerit, prout delatus est in sinodo. — Iohannes Corczak, substitutus Polthoviensis, si de cetero repertus fuerit in ludo taxilorum seu cartarum aut in incontinencia in taberna contencioneque, pro primo solvet penam sinodalem. — Nicolaus Czirzasthi substitutus solvet penam III marcarum, si de cetero repertus fuerit, iuxta dilacionem in sinodo. — Nicolaus Solsza substitutus pro primo solvet penam sinodalem, si similiter repertus fuerit, prout in sinodo delatus. — Bartholomeus Zenik substitutus solvet penam sinodalem pro primo, si de cetero repertus fuerit in hospiciis de nocte in ludo taxillorum in incontinencia, et sub eadem pena sinodali primicias celebrabit infra hinc et festum Pentecostes. — Mathias Varchol substitutus solvet pro primo penam sinodalem, si repertus fuerit in rixis, ludo taxillorum in hospiciis de nocte sedens. — Iozeph altarista solvet penam sinodalem pro primo, si decetero visus fuerit apud Florian etc. — Allexius Miska presbiter de Polthowsk si de cetero repertus fuerit in rixis, percussionibus et aliis quibuscunque excessibus, incarceretur. — Discretus Derslaus, vicarius in Gzy, solvet penam sinodalem pro primo, si decetero repertus fuerit, prout in sinodo pronunciatus est. — Petrus, minister

in Gzy, solvet penam sinodalem pro primo, si repertus fuerit, prout in sinodo pronunciatus est.

193. (Ibidem). Ex decreto Rmi dni episcopi Plocensis discretus Nicolaus plebanus in Smogorzewo pro f. IV prox. statim post festa solennis Pasce in Polthowsko constituetur in arce ad puniendum ipsum pro excessibus, prout in sinodo novissime in Polthowsko transacto pronunciatus est; quem ego Nicolaus Strozewski, plebanus in Barczicze, citavi et terminum prefatum f. IV[tam] in Polthowsko peremptorium assignavi.

194. (Ibidem). Rmus.. dnus Vincencius D. g. episcopus Plocensis vener. dno Stanislao Passer, canonico Polthoviensi, pro certis excessibus et prolis suffocacione, prout in sinodo Polthoviensi pronunciatus est, purgacionem canonicam indixit, quam faciet coram dnis Stanislao Makowski et Iohanne Sokolowsky infra hinc et festum s. Philippi et Iacobi apostolorum.

A. 1501, Aprilis 19, in Płock in curia episcopali.

195. (Acta episc. VII). Rmus.. dnus Vincencius D. g. episcopus Plocensis.. honor. Zavischam plebanum in Sanchoczino a divinis et officio altaris infra I annum suspendit, et interim ipse plebanus studeat et teneat unum presbiterum idoneum et scientificum, qui ipsum doceat Canonem intelligere et exponere ac baptisare parvulos, alias lapso anno, si in premissis defecerit, privabitur sua ecclesia.

196. (Ibidem). Rmus.. dnus Vincencius.. episcopus Plocensis ex gracia sua speciali honor. Iohanni, plebano in Clukowo, ulteriorem terminum suam ecclesiam iuxta decretum sinodalem ad permutandum festum s. Iohannis Baptiste prefixit et limitavit, qui si negligens fuerit, dominus [secundum] id, quod iusticia dictaverit, contra ipsum procedet.

197. (Ibidem). Ex decreto Rmi.. dni Vincencii.. episcopi Plocensis discretus Thomas presbiter de Czechonowo infra hinc et unius mensis decursum coram vener. dno Nicolao de Lyczki, canonico Plocensi, faciet canonicam purgacionem, quod non est suspectus ad mulierem, de qua in sinodo delatus est.

A. 1501, Maii 6, in Płock in curia episcopali.

198. (Acta episc. VII).. Coram Rmo.. dno Vincencio.. episcopo Plocensi.. honor. Iacobus plebanus in Radzimino.. certas deposiciones contra ipsum in sinodo diocesana Plocensi exhibitas et pronunciatas in toto negavit omnia, quod videlicet quandam mulierem in Parkoczewo et alibi non tenuit ac cum ea duos pueros non prolificavit nec repertus est nudus iacere solus cum sola. Rmus dominus iterum testes hos, qui in visitacione examinati sunt, et alios examinare decrevit..

A. 1501, Maii 7, in Płock in curia episcopali.

199. (Acta episc. VII). Coram Rmo.. dno Vincencio.. episcopo Plocensi nomine sanctuariorum ecclesie cathedralis Plocensis hominum de Radziwye contra universitatem vicariorum perpetuorum ecclesie Plocensis in querela expositum est, quomodo ipsi vicarii ipsis sanctuariis decimam partem oblacionum et offertorii dare recusant, que decima pars ipsarum oblacionum dudum et ex antiqua consuetudine ipsis sanctuariis per vicarios sine quavis denegacione dabatur et solve-

batur usque in hactenus, petens ipsis cum eisdem vicariis iusticiam ministrare. Ex adverso vicedecanus nomine tocius universitatis vicariorum Plocensium comparens dixit se et suos confratres vicarios perpetuos Plocenses huiusmodi decimam partem oblacionum quarumcunque ad solvendum teneri non debere iuxta privilegia ipsorum, que in vim probacionis produxit, petens iuxta tenorem eorundem ipsos vicarios in iusticia conservari; sanctuariis eciam dicentibus et allegantibus ipsam decimam partem oblacionum, offertoriorum et spoliorum dudum et ex antiqua consuetudine ad ipsos spectare et pertinere, prout et ipsis et suis posteris dabatur et solvebatur, offerentes se probaturos. Rmus dnus ipsis probare intencionem suam mandavit, qui incontinenti duos testes citatos induxerunt in presencia vicariorum petentes ab ipsis iuramenta recipi et ipsos tandem examinari..

200. (Acta episc. I a).. Testes pro parte sanctuariorum ecclesie Plocensis hominum de Radzyewye et contra vicarios Plocenses occasione offertoriorum et oblacionum:

Primus testis providus Iohannes Lysszy, magister artis sutorie, civis Plocensis.. nativus de Radzywye.. interrogatus summarie, quid sibi constaret, an ex antiqua consuetudine dudum in ecclesia kathedrali Plocensi servata sanctuariis aliqua pars oblacionum et offertorii a vicariis cederet, respondit, quod semper omnium oblacionum offertorii et spoliorum vicarii perpetui sanctuariis decimam partem solvebant, causam sciencie reddens, quia testis eciam serviebat ecclesie cum aliis sanctuariis et tollebat partem decimam omnium oblacionum et eciam similiter post mortem ducum et episcoporum et aliorum prelatorum. Interrogatus, an aliqua fuit controversia inter vicarios et sanctuarios occasione huiusmodi oblacionum, respondit, quod post mortem ducis Wladislai circa sepulturam fuerunt multe oblaciones, et ita vicarii attendentes copiositatem ipsarum sanctuariis de ipsis respondere recusabant, qui postquam ad presenciam dni Episcopi seu capituli vicarios vocarent et peterent solucionem omnium, mandatum et decretum est ipsis omnium et singulorum oblacionum decimam partem dare, qui et dederunt et postmodum dabant, usque in hactenus. Alia nescit.

Secundus testis laboriosus Nicolaus Sdbyk, kmetho de Radzywye, etatis annorum citra nonaginta, serviebat iam ecclesie, quando dnus Iacobus episcopus Plocensis mortuus est et sepultus in ecclesia Plocensi.. Interrogatus summarie, an sanctuariis aliquas pars oblacionum, spoliorum et offertoriorum ex antiqua consuetudine a vicariis solvebatur, respondit testis, quod semper sanctuariis solvebatur decima pars per vicarios sine aliquali recusacione, causam sciencie reddens, quia testis ut alii sanctuarii serviebat ecclesie cathedrali Plocensi et semper decimam partem cum aliis tollebat. Interrogatus de controversia inter vicarios et sanctuarios pro dictis oblacionibus, offertorio et spoliis, respondit, quod uno semel post sepulturam ducis Wladislai, videntes copiositatem exequiarum, vicarii recusabant ipsis partem solvere, prout moris erat, tandem ex decreto dni Episcopi seu capituli, ut testis credit, facto decimam partem omnium oblacionum ipsis solverunt et semper solvebant usque in hactenus. Alia nescit.

A. 1501, Iulii 9, in Wisskowo in curia episcopali.

201. (Acta episc. VII).. Providus Nicolaus Colano, sartor de Polthowsk, contra hono.. Iohannem plebanum de Clukowo presentem verbo proposuit, quo-

modo ipse plebanus in sensum reprobum datus uxorem suam sibi recepit receptamque in domo sua plebanali tenet, et pro qua per dnum officialem Poltoviensem censuratus exequias celebravit; proposuit eciam contra ipsum, quod anno presenti, ipso in domum suam petito et vocato, inculpato super furticinio, iusticiario de domo sua tradidit, petens sibi iusticiam fieri. Ex adverso plebanus negavit, Nicolaus Colano obtulit se probaturum..

A. 1501, Iulii 25, in Visskowo in curia episcopali.

202. (Acta episc. I a).. Testes infrascripti super vita, moribus et continencia plebani in Visskowo ex officio.. examinati.. et primo:

Primus testis nobilis Iohannes de Ribno.. interrogatus de vita, moribus et conversacione honor. Nicolai plebani in Visskowo et primo de incontinencia cum sua focaria dixit sibi nichil constare preter id, quod viderit ipsum insimul, dum ibi testis fuit, in collacione sedere. Preterea dixit quantum ad focariam, quod eam incantatricem et divinatricem prout pluries audivit, causam sciencie reddens, quia audivit a Iacobo Slubyczki et Martino Wansowski capitaneis dicte clavis Visskoviensis, qui sunt conquesti sepius, quod ipsa vaccas incantacionibus suis coegisset currisse de curia episcopali ad curiam plebanalem. Interrogatus de sobrietate plebani, dixit, quod inebriatur excessive, ita [quod] ex tali ebrietate prorumpit in verbera.. causam sciencie reddens, quia ipse.. in domo germani sui dni Andree ipsum capillavit ebrius factus, et veniens ad domum testis veniam postulavit sui excessus, qui dixit rancorem se dimissurum, non autem iniuriam, et addidit testis, quod non semel hoc sibi contigit, sed sepe sepius, et quod factus ebrius non tantum in verbera secum consedencium pronus est, verum eciam in verba inhonesta citissimus, nulla personarum cuiusvis status aut condicionis habita racione; et audivit testis a prefato germano suo Andrea, quod in Granki vestibus depositis in una camisia coram nonnullis personis feminei sexus ascendens equum hincinde currebat, tanquam expers racionis. Postremo interrogatus, si incestuose cum aliqua prolificasset, respondit sibi nichil certi constare, preter id, quod audiverit a dno capitaneo moderno Visskoviensi venisse quandam Agnetam sororinam, ut ipse ait, Margarethe Bladna focarie plebani, nescit testis, sive sororem, in curiam episcopalem anno preterito [et] querulasse contra plebanum, qualiter secum procreasset contra licitum et ius naturale; alia nichil scit.

Secundus testis nobilis Petrus de Ribno germanus primi testis.. interrogatus de vita, moribus et conversacione plebani in Visskowo.. respondit, quod audivit, quomodo anno preterito quedam mulier apportasset unum puerum in suberta plebano, et dum obviasset sibi quidam sacerdos et credidisset, quod pisces portaret, invenit puerum; et audivit ex fama plurimorum famari, fuisse puerum plebani procreatum ex Agneta sororina moderne focarie plebani. Interrogatus de Blanthna focaria plebani dixit se audivisse, quomodo quedam ancilla plebani considerasset plebanum cum prefata Blanthna solum cum sola et quod mandavisset plebanus, ut illa exuatur et id ipsum ipse fecit, et tandem in lectum sub pulvinar seu plumaticam ipsam introeuntem plebanus secutus est, non scit testis ex certa sciencia, sed ex rumore. Interrogatus, an esset incantatrix dicta Blandna focaria plebani, respondit esse publicam vocem et famam, quod ea esset incantatrix et quod ipsa recedendo et licenciata per plebanum pecora post ipsam mugiebant.

Item interrogatus de sobrietate plebani, dixit, quod excessive inebriatur et ex tali inebriacione provocat homines ad pugnam et ad duellum; causam sciencie reddens, quia quodam tempore cum secum fuisset in Polthowsko in hospicio Andree sartoris, provocavit hospitem ebrius ad secum concertandum, et ex tali concertacione irritatus hospes voluit ipsum percussisse et percussisset, nisi fuisset testis adiutorio munitus. Alia nescit, solum hoc audivit, quod dum fuisset plebanus in domo germani sui Andree in Granky invitatus, ascendebat equum, ut testis primus deposuit, ad cuius dictum se testis retulit, quia affirmavit ipsum fuisse tunc temporis presentem; alia non deposuit..

A. 1501, Augusti 30, in curia episcopali.

203. (Acta episc. Ia).. Testes.. ex officio Rmi dni episcopi Plocensis contra Iohannem, plebanum in Clukow, super incontinencia ac observacione inhonestarum mulierum etc. inducti:

Primus testis Iohannes Dzyerskovycz de Clukow.. interrogatus de vita, moribus et conversacione plebani Iohannis in Clukow et primo de incontinencia plebani respondit.. ipsum in omnibus incontinentem, immo totam parochiam suam scandalizantem, nam ipse plebanus........ unam mulierem Annam, filiam nobilis Stefani Clukowski neptem suam........ vel paulo remocioribus, cum qua cohabitavit, et postea cuidam Nicolao [civi de] Polthowsk eam in uxorem tradidit, et postremo eam a marito recipie[ndo eidem], ut presumitur, salvo tamen pudore concubuit, et hoc in maiorem evidenciam........[1]) quia dum cum alia muliere Hedvigi eciam nepti sua, ita ut et predicta Anna remota, in domo sua plebanali superiori iam in crepusculo f. VIta post festum s. Margarethe [se] clausisset et, ut presumitur, cohabitasset, prefata Anna de tali facto rescita invidia ac furore tacta clauso utroque in domo prefata superiori publice proclamabat contra plebanum tanquam super violatorem, ita quod exinde magnus concursus hominum erat, sed ipse testis a sepibus domus plebanalis intellecta posicione rei reversus erat in domum propriam. Item idem testis dixit, quod ex fama audivit, quia ipse plebanus conveniebat aliquos ad interficiendum maritum predicte Anne; et fuerat presens, quando predictum maritum ipsius Anne tradiderat iusticionario, alias *oprawczy*, inculpando eum pro furto, ut speratur, quod habeat liberam nominatam Annam etc.

Secundus testis nobilis Albertus Falco de Clukow.. interrogatus.. de consanguineitate Anne cum plebano respondit sibi esse neptem in secundo vel tercio gradu etc., interrogatus de inhonesta mansione plebani cum Anna predicta respondit testis se oculis propriis non vidisse, sed ex communi fama hominum sepissime audivit, nam antequam tradiderat eam nuptui, secum publice cohabitavit, et alia ut primus retulit etc. Item interrogatus de Hedvigi eciam nepti ipsius plebani, respondit testis sibi ipsi esse eciam germanam neptim, cum [qua] eciam plebanus manebat et in domo plebanali fovebat, cuius causa ipsa Hedvigis cum predicta Anna dissensiones inter se faciebant, et clauserat Anna Hedvigim f. VIta etc. post festum s. Margarethe faciendo clamores etc. Interrogatus tandem, si N. Colano maritum Anne reddidisset iusticionario, respondit protunc non fuisse presens, sed alii fratres sui fuerunt, qui personaliter viderunt..

[1]) Luki pochodzą z uszkodzenia rękopisu.

A. 1502, Februarii 4, in Iunyecz in curia episcopali.

204. (Acta episc. VII).. Coram Rmo.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi comparens nobilis Pelka de Wronska contra nobilem Fredrich de ibidem germanum suum presentem verbo proposuit, quomodo ipse Fredrich in domus sue et familie minorationem ac uxoris sue dehonestacionem, depressionem et iacturam concubinam suam, pro qua multociens excommunicatus extiterat, in scabello matris eorum poneret, uxorem suam legitimam inde pellens et cum dehonestacione eiciens, prout certo die pepulit, amovit et eiecit unacum filia eiusdem in dedecus uxoris et filie sue, petens sibi cum eodem complementum iusticie ministrare. Ex adverso nobilis Fredrich respondendo proposicioni dixit, quod ex quo ego sum patronus ecclesie, prout claret ex litteris donacionis michi per patrem factis, licitum est michi quem volo in scabello meo ponere et locare. Et Rmus dnus.. decrevit et mandavit, quod quamdiu ipse Fredrich uxorem legitimam non duxerit, tamdiu licitum erit uxori Pelka et filiabus eiusdem post dictum scabellum flectere; postquam autem uxorem legitimam duxerit, extunc ius suum, si quod habet, salvum quoad dictum scabellum erit. Presentibus Clemente, canonico Poltoviensi, et me notario curie.

A. 1502, Februarii 22, in curia episcopali.

205. (Acta episc. I a). Testes infrascripti pro parte nobilis Bernardi de Bylino et contra honor. Stanislaum plebanum in Sochowo super percussione et execracione cimiterii in Sochowo.. examinati, et primo:

Primus testis nobilis Albertus de Plone.. de armis *Prussy*.. interrogatus super percussione Bernardi de Bylino per plebanum de Sochowo, quid sibi constaret, respondit, quod anno presenti sabbato sacro solennis Pasche circa consecracionem ignis in cimiterio homines de parochia, plebano predictum ignem benedicente, impetuose volebant rapere ignem, et tandem plebanus dicebat: rogo vos pro Deo, sinite, ut finiam consecracionem predicti ignis; dicente eciam: si aliquis hic bonus adesset, quod aliquem in manus percussisset fuste aut baculo, vel ego solus hoc faciam; et tandem plebanus arripiens corulum, spineam, aliquociens illo corulo in ignem percussit, volens repellere eos ab impetuosa ignis recepcione, et sic illo corulo plebanus ipsum Bernardum eciam ignem recipere volentem in digitum magnum dextre manus ad effusionem sanguinis percussit, prefato Bernardo dicente ad plebanum: dne plebane, nonne ego hic fui culpabilior, quod me percussistis; ipso replicante, quod sic; nobili eciam dicente: utique me percuttere non debuistis; et tandem plebanus respondit: sepe malus percuttitur; et ipse nobilis dixit: si in alio loco quam in cimiterio me sic percussisses, scirem, quid tecum ob hoc facerem; plebano dicente: ivissem tecum per crines. Et tandem prefatus Bernardus versus terram in cimiterio ex illo digito vulnerato demittebat sanguinem; et tandem recesserunt: plebanus in ecclesiam ad continuandum divina. Interrogatus testis, an animo iniurandi aut intencione vulnerandi ipse plebanus hoc fecerit, respondit, quod credit, quod non ea intencione, sed ex casu hoc credit factum esse. Interrogatus super alia proposicione videlicet infamacionis prefati Bernardi per plebanum, respondit sibi nichil constare. Et de aliis testi non constat.

A. 1502, Aprilis 13, in Gorzno in curia episcopali.

206. (Acta episc. I a). Limitaciones et erectiones ecclesiarum infrascriptarum in terra Dobrinensi consistendarum propter illarum desertacionem et fructuum annichilacionem secuntur et primo:

Rmus.. dnus Vincencius D. g. episcopus Plocensis attendendo, quomodo quedam ecclesie parochiales in terra Dobrinensi sinistro bellorum eventu ac hostium incursu annichilate et devastate sunt in suisque proventibus et fructibus adeo tenues existunt, quod rectores earundem propter paucitatem et nullitatem proventuum et obventuum earundem ecclesiarum commode sustentari et onus ipsis tam in Spiritualibus quam temporalibus impositum ferre non valebant nonnulleque ipsarum desertate sunt, ita quod multe negligencie et pericula animarum in clero et populo proch dolor committebantur, sua Rma Ptas huiusmodi negligenciis et periculis animarum obviare volens, ne gregem dominicum lupus rapax invadat, de consensu et consilio dominorum prelatorum et canonicorum ecclesie sue Plocensis factaque de premissis sufficienti informacione et ea vera esse comperto vocatisque rectoribus ecclesiarum infrascriptarum seu illarum commendariis et presbiteris ac patronis aliisque parochianis merito vocandis coramque sua Rma Pte comparentibus ecclesias ipsas devastatas et desertatas, binas aut trinas in unam limitavit et denuo erexit infrascriptas, que secuntur; presentibus ibidem vener. dnis Nicolao Brolynsky licenciato in decretis, Zawischa in Calisch et Zavischa de Clukowo ecclesie collegiatarum in Ploczka canonicis et mgro Alberto de Lowycz capellano curie episcopalis, testibus ad premissa, et me Nicolao Strozewsky notario.

In decanatu Rippinensi:

Praczkowy ecclesia desertata, tantum una villa duos mansos sanctuarii habet. In eadem villa columbacio per II solidos et non plus; quam prefatus Rmus dominus ecclesie parochiali in Rippin perpetue limitavit et incorporavit, prout lacius in litteris ereccionum ecclesie prefate in Rippin continetur..

Rogowo — Rogowo tituli s. Bartholomei desertata, solum commendarium habet; habet eciam ex fundo [I mansum] cum medio, X villas possessas et IV desertatas iure parochiali eidem ascriptas, videlicet: Borowo, Sosnowo, Brzesko duplex, Rogewo, Cobrzynyecz, Charschowo, Rogowo minor, Rogowo maior, Sweschewo; item deserte ville: Corzenyewo, Szweschewy, Sarnowo, Cobrzynyecz, Rzeczechowo; decimam habet plebanus per istas villas ex prediis nobilium more patrie solvi solitam; preterea habet ab uno quoque nobili predictarum villarum II mensuras alias *czewrthne:* siliginis unam et avene aliam, dicuntur esse nobilium domus triginta predia, kmethones colandam seu denarium s. Petri per II solidos solvunt; patronus seu collator ecclesie predicte nobilis Petrus Rogowsky et sui successores, prout lacius in erectione noviter facta continetur.

Zale — Zale, ecclesia parochialis tituli s. Adalberti, ex fundo habet tres mansos sanctuarii et VII villas iure parochiali ascriptas inferius contentas: et primo generosus Adam de Balino vexillifer Dobrzinensis et sui successores plebano respondebunt et solvent singulis annis X mensuras alias *czwerthne* siliginis et V avene. Et similiter nobilis Petrus Sokolowsky de Zale similiter ad tempora tenute dicte ville totidem solvet ultra decimam per ipsos ex antiquo solvi solitam; item nobilis Iacobus de Brzorze de predio suo tres mensuras siliginis et

duas avene; item alter Iacobus de ibidem unacum consorte sua similiter; nobilis Iohannes Zalewski de ibidem solvet cum aliis nobilibus de predicta Brzorze, qui sunt obligatorii; item nobilis Mathias Ligowski de Nadruwski similiter cum aliis nobilibus de ibidem et successores illorum; item nobilis Iohannes de Piskorzino, Kossyroski Abraham cum aliis nobilibus de ibidem et successores illorum totidem; item nobiles de Borzemyno omnes eciam cum nobilibus omnibus de Pynyno similiter per III mensuras siliginis et II avene plebano perpetue respondebunt, aliaque ipse plebanus, et alii pro tempore existentes, tenebit et habebit, prout dudum et ex antiquo oblaciones, offertoria, colandam et alios quoscunque proventus ipsi plebani habebant et utebantur; item Zale ecclesia prefata villas iure parochiali ascriptas habet, videlicet: Zale, Brzorze, Piskorzyno, Balyno, Borzymyno, Nadrosch, Pynyno; patronus dominus possessor ville et sui successores.

Choyno, ad prefatam ecclesiam dnus Episcopus limitavit Chrosthkowo — Ecclesia in Choyno tituli s. Stanislai, cuius collator seu patronus est magnificus dnus Nicolaus de Radzikowo, castellanus Rippinensis, cum suis successoribus: primo ipse obligavit se agros sanctuarii libertare; item prefatus dnus Nicolaus pro ipsa ecclesia in Choyno unum pratum dedit; item ville iure parochiali ascripte hec sunt: Choyno, Nowawyesch, Clamboczek, Radinek, Stanyemyrz, Obori; item nobiles ex eisdem villis coram domino comparentes obligarunt se cum suis successoribus pro sustentacione plebani in ibidem ac pro animabus suis et successorum suorum: primo nobilis Iohannes de Nowawyesch de agris suis II mensuras siliginis et terciam avene; nobilis Simon Lochoczky de Clamboczek V mensuras siliginis et V avene de agris suis; item nobiles de Radynek per II mensuras, unam siliginis et alteram avene cum decimis per supranominatos nobiles ex antiquo plebano ac colanda, oblacionibus solvi solitis et consuetis solvent et respondebunt. Item Rmus dnus Episcopus ecclesiam parochialem in Chrosthkowo cum villis ipsi iure parochiali ascriptis limitavit et incorporavit ecclesie parochiali in Choyno perpetue et in evum cum villis videlicet prefatis, videlicet: Chrosthkowo, Vythlno, Lubowcz, ac eiusdem ecclesie sanctuario, qui homines ex eisdem villis pro audiendis divinis et ecclesiasticis percipiendis sacramentis ad prefatam ecclesiam in Choyno accedent et suorum illic tumulent corpora defunctorum; item nobiles Waskones duo germani per III mensuras siliginis et alteram avene preter nobilem Sassinum, qui II mensuras siliginis et unam avene solvet cum suis successoribus. Item nobilis dna M. de Chrosthkowo III mensuras siliginis et unam avene plebano perpetue cum successoribus suis solvent. Item nobilis Iohannes de Lubowcz cum aliis nobilibus de ibidem quilibet illorum per se ex agris suis, solvent I mensuram siliginis et alteram avene preter decimas per ipsos plebano ex antiquo solvi solitas et aliis proventibus, colenda et oblacionibus, quod solvere erunt astricti.

Dolsko — Dolsko ecclesia desertata, ex fundo IV mansos sanctuarii habet, tituli Nativitatis B. Virginis Marie. Item nobilis dnus Iohannes Dolsky patronus ecclesie prefate in ibidem causa erectionis noviter fiende per totam villam suam Dolsko kmethonesque ibidem residentes *sep* suam sibi per kmethones solvi solitam, medietatem siliginis et medietatem avene, numeri Pruthenicalis plebano [et] ecclesie parochiali in Dolsko perpetue dedit; et similiter in Sokolowo per totam villam per kmethones a quolibet illorum cum colanda et aliis oblacionibus ac

decimis dudum per ipsos et ante predecessores suos ex antiquo solvi solitis respondebunt effectuose; et statim facta ipsa dotacione quali tali prefatus dnus Episcopus ecclesiam ipsam erexit denuo et discretum Mathiam de Pomszyno ad presentacionem prefati dni Iohannis Dolski venatoris terre Dobrinensis ad prefatam ecclesiam instituit et investivit; presentibus ut supra [1]).

A. 1502, Aprilis 28, in Sgliczyno in curia episcopali.

207. (Acta episc. Ia). Testes infrascripti [super decimis recepti et examinati]:

Primus testis nobilis Nicolaus de Stawysino.. interrogatus de decima in Stawyssyno, an isti agri dudum et ex antiquo a L, XL, XXX et XX et ultra annis spectabant pro mensa episcopali vel pro plebano.. [deposuit, quod] semper spectabant.. ad plebanum, quia iste decime sunt de puro predio ex radice fundato et extirpato, que decime eciam recipiebantur ante bella Prutenicalia per plebanum. Interrogatus, si aliquando scit aut audivit kmethones in istis agris esse locatos, respondit, quod nunquam, sed dixit pure prediales ante bella et post. Item interrogatus super decimis in villa Byelawy [respondit, quod] nichil sibi constat. Item super decimis in Glynky similiter ad effectum nichil deponere scivit. Item super decimis in Slawanczyno interrogatus [deposuit], quod dudum et ex antiquo ante et post bella Prutenicalia fuerunt decime prediales, excepto uno manso, in quo unus kmetho residebat, et nunc eciam kmetho residet, post quem dnus Episcopus olim dnus Gizicki et successores sive alii decimam tollebant; addidit tamen testis, quod iam cessante bello Prutenicali ortulani et alii kmethones per nobiles olim Petrum, Mathiam ac Paulum heredes ex predio puro locati sunt, post quos kmethones et ortulanos dni Episcopi decimam tollebant. Interrogatus, quo iure, ex quo fuerunt prediales, credit, quod ex laudo, quia ubi kmetho arabat, illic Episcopi tollebant decimam..

Quintus testis laboriosus Andreas Dura de Byelawy.. interrogatus de decimis in Slawaczyno et Stawysino, respondit agros prediales ex antiquo ante et post bella Prutenicalia, excepto uno kmethone in villa Slawaczyno, post quem factores episcopales decimam tollebant. Item interrogatus de sciencia respondit: a suo patre et ab aliis senioribus se audivisse et ita esse mansos et agros prediales ex radice. Similiter interrogatus de ortulanis in Stawiszino, ex quibus agris locati sint et dotati, respondit: ex agris pure predialibus, post quos factores episcopales decimam tollebant. Interrogatus, quo iure, credit virtute laudi, nam ubi nobiles colebant, plebanus recipiebat, et ubi kmetho, pro Episcopo recipiebatur. Item in Byelawy interrogatus de decima respondit, quod ex antiquo fuerunt et modo sunt VII mansi kmethonales ante et post bella kmethonibus locati, ex quibus decima est decimata et ultra hec antiqua predia; causam sciencie reddens, quod a patre audivit dictos agros fuisse kmethonales possessionatos ultra predia. Item de decima in Glynky interrogatus respondit: ex antiquo fuisse prediales, qui modo locati sunt ortulanis, nescit, quis tollebat decimam post ipsos ortulanos..

Septimus testis laboriosus Paulus Dzeczewny de Glynky.. super decimis in Slawaczyno, Sthawyszyno et Byelawy interrogatus, nichil scire deposuit. Item

[1]) Wymieniona jeszcze jest wieś: »Sweczebna«, ale bez dalszego tekstu.

de decima in Glynky interrogatus, respondit: unum mansum locatum de predio, in quo resident IV kmethones in quartis, videlicet Paulus Lida, Iohannes Szosthek, Marcus et Allexius Smyczek et ortulani, qui eciam sunt locati ab antiquo ante et post bella Prutenicalia ex predio; preter hec alios dixit omnes kmethonales..

A. 1502, Aprilis 29, in Zyelona in curia episcopali.

208. (Acta episc. I a) Testes super decimis in Srensko recepti medio iuramento:

Primus testis nobilis Iohannes de Panczkowo de armis Bolestharum.. interrogatus de antiquitate locacionis et extirpacionis prediorum in villa Panczkowo respondit, quod fuerunt duo fratres: unus Veloborius et alter Albertus, quos dixit habere predium in Panczkowo ex antiquo ante et post bella Prutenicalia preter alios agros kmèthonales, de quibus illis prediis per nobiles cultis plebanus in Srzensko decimam tollebat, et dnus Episcopus post kmethones in medio tercio manso locatos, et tandem nobilis Iacobus, frater germanus testis, locavit unum kmethonem in una quarta de agro suo prediali; interrogatus, a quot annis prefatus kmetho in huiusmodi quarta locatus sit, respondit: a decem vel ultra annis. Interrogatus eciam de locacione eiusdem ville Panczkowo et de agris, quos dicebat prediales, testis non meminit annos, dixit tamen: et avum suum hec predia possidere et colere preter mansos kmethonales, quos dixit esse quinque in medio tercio manso locatos..

209. (Ibidem). Item testes super decimis in Zyelona recepti, et primo:

Nobilis Iohannes de Cuczbork etatis annorum XC aut citra, ut apparebat.. interrogatus de prediis ex nova radice in villa Zyelona locatis respondit, quod sunt tria predia ex antiquo, que predia nobiles tenebant, videlicet nobiles Nicolaus unum, secundum Lodwicus et tercium Iacobus, fratres germani, patrui germani prefati plebani in Zyelona, post que predia plebanus in Zyelona semper decimabat, tandem modernus plebanus post mortem Lodwici patris sui locavit sex mansos de predio predicti genitoris sui kmethonibus, qui et modo resident ab annis XV et ultra; post kmethones de prefatis agris predialibus locatis factores dni Episcopi decimabant, ut testis credit, virtute laudi. Item interrogatus de predio dni Petri, unde sit, respondit, quod de agris kmethonalibus in toto et post quod predium plebanum dixit tollere decimam. Item interrogatus de predio dne Iacobowa Zyelonska, dixit, quod habet quosdam agros prediales pure ex antiquo et ultra hec expulsis kmethonibus sola colit agros kmethonales, quos in predium adiecit, et plebanum post eosdem, testis deposuit, tollere decimam. Item testis deposuit, quod supranominati nobiles paria habuerunt predia, mansos tamen specificare nescivit. Item interrogatus de Gosczyska respondit, quod fuerunt decem mansi predii ex antiquo, in quibus residet hodie dnus Petrus heres ville prefate et ultra predictum predium sunt agri kmethonales omnes, post quos pro dno Episcopo decima tollitur. Interrogatus de Cossowo respondit, quod ex antiquo fuerunt nobiles et post bella Prutenicalia fuerunt locati duo kmethones, post quos testis ignorat, quis tollebat decimam; hodie tamen, ut testis deposuit, dictos agros in Cossowo colunt iterum nobiles, post quos deposuit tollere decimam plebanum, alia nescit.

Secundus [testis] nobilis Wlodzymirus de Clyczewo.. interrogatus medio

iuramento de prediis antiquis, respondit, quod in tota villa Zyelona sunt CXXXIII mansos, ex quibus fuerunt tria predia, in quibus prediis fuerunt XXXIII mansi, post quos plebanus ex antiquo tollebat decimam, ex C vero mansis pro dno Episcopo pro tempore existente decimabatur. Item interrogatus testis de prediis dnorum Petri et glotis sue Iacobi consortis, an sint antiqua predia vel agri kmethonales, dixit se nescire. Item interrogatus de locacione kmethonum, quos plebanus locavit, ut dicitur, in agris predialibus sibi paterno iure derelictis, testis respondit, quod audivit ab antiquis kmethonibus in Zyelona, quod agri sint pure prediales. Item de Cossczyska interrogatus nescit. Item interrogatus de decima in Cossowo respondit, quod fuerunt ab inicio ville nobiles, tandem post eos VII kmethones, post quos, ut testis deposuit, decimabatur pro dno Episcopo, tandem durantibus bellis Pruthenicalibus kmethones sedere in illis mansis desierunt, heredes vero ville predicte vendebant agros kmethonibus aliarum villarum, post quos pro dno Episcopo decimabatur, nunc vero agros predicte ville nobiles colunt, post quorum culturas plebanus tollit decimam. Et testis eosdem agros prefate ville Cossowo ab antiquo dixit fuisse prediales..

210. (Ibidem). Item super decimis [in] Lyppowyecz testes medio iuramento examinati, et primo:

Primus testis nobilis Nicolaus de Thurza de armis Nalanczov.. respondit, quod sunt XIII mansi per ipsum testem et alium suum fratrem a L^ta^ annis aut ultra kmethonibus locati, per quos dno Episcopo solvitur decima. Interrogatus, si qui sint agri prediales, testis respondit, quod sunt agri speciales, numerum tamen mansorum ignorat, in quibus nunquam kmethones residebant, adiungens insuper, quod meliores agri inculti iacerent ob crescenciam in eis roborum, quos tamen agros dixit se extirpandos et iam in parte extirpatos. Interrogatus de manso, in quo suus residet filius, respondit, quod ex predio puro illi condiviserit et nunquam dictus mansus a sua extirpacione ex radice fuit kmethonalis et de isto manso dnus Slubowsky, factor dni Episcopi, decimam expetebat. Interrogatus, a quot annis filio condiviserit dictum mansum, respondit, quod a II annis. Item interrogatus de ortis, in quibus in Lyppowyecz ortulani resident, respondit, quod domini et heredes in ibidem eisdem de propriis agris predialibus ortos et agros emensurarunt et in eisdem eosdem locaverunt. Interrogatus, a quot annis dicti ortulani in eisdem agris locati sunt, respondit, quod a XX citra vel ultra. Super decima in Kanczewo deponere nescivit..

Tercius testis nobilis Iacobus Kanczewski de Kanczewo de armis Cholewy.. interrogatus.. de manso, de quo res agitur, si aliquando mansus fuerit kmethonalis, testis respondit, quod sic, quem tamen dicebat desertatum a XVIII annis. Interrogatus, si qui sint mansi certi kmethonales locati et possessionati kmethonibus, respondit, quod sunt XI, et hunc mansum, si se offerret kmetho, locarem. Item interrogatus de ortis locatis in Lippowyecz ortulanis, si aliquid ei constaret, unde erecti accreverunt, respondit, quod domini ex agris suis pure predialibus propter laborem et utilitatem eisdem condiviserunt, et tantum deposuit.

211. (Ibidem). Testes super decimis in Lubowycz examinati:

Secundus testis nobilis Mathias de Lubowycz.. interrogatus, si aliqui sunt agri kmethonales in Ossowka, respondit, quod ante bella Prutenicalia fuerunt VII kmethones locati in VII mansis post quorum culturas dnus Episcopus pro

tempore existens tollebat decimam, ubi vero arabant domini, plebanus. Interrogatus, quot in eadem Ossowka sint mansi, respondit, quod fuerunt XL[ta], sed modo sunt extirpati propter crescenciam in eisdem roborum, ita quod vix sunt octo mansi ad colendum apti. Item interrogatus de Vyedrowo, si aliquando fuerint ibi agri kmethonales, testis respondit, quod ante bella Prutenicalia fuerunt kmethones, post quorum culturam decima pro episcopo tollebatur, sed modo nobiles dicta bona emerunt et per se ipsos colunt, post quorum culturas plebanus tollit decimam. Interrogatus, quo iure, respondit, quod iuxta antiquam consuetudinem. Interrogatus, a quot annis, respondit, quod sicut memoror a tempore cessacionis bellorum Pruthenicalium plebanus tollit decimam, sicut nobiles ceperunt per se colere prefatos agros. Item interrogatus de Banczemyno, si aliquando fuerint agri aliqui prediales, respondit, quod sic, causam sciencie reddens, quod ante bella Pruthenicalia residebat quidam nobilis nomine Paulus, certos agros habens prediales, quem testis bene novit, post cuius culturam ad plebanum decimam spectare et pertinere testificatus est. Interrogatus, si aliqui sint ibidem agri kmethonales, respondit, quod sic, numerum tamen mansorum kmethonalium testis ignorat. Item interrogatus de Brudnycza respondit, quod sicut memoror, fuerunt ibi et sunt modo duo predia ex antiquo et de nova radice extirpata et exculta: unum predium possidet hodie nobilis Mathias Brudnyczki et per se colit, post cuius culturam, decimam plebanus tollit; aliud predium est dni Sandek Coszmaczowski pincerne Plocensis, quod per se non colit, sed kmethonibus locat et iam certis locavit, post quorum culturas, testis deposuit, quod decima pro dno Episcopo tollitur. Interrogatus, si ibi sunt alii mansi kmethonales, respondit, quod fuerunt et sunt IV, ut testis credit, mansi ab antiquo kmethonales, post quos decima pro dno Episcopo tollebatur et tollitur, alia nescit.

A. 1502, Aprilis 30, in Champsko in curia episcopali.

212. (Acta episc. I a). Testes super decimis in Champsko infrascripti citati et medio iuramento examinati et primo:

Tercius testis nobilis Andreas de Mislyno.. interrogatus.. de agris in Miszlyno, post quos ad quem spectat decima, respondit, quod agri in Miszlyno sunt pure prediales ex antiquo et extirpacione nove radicis per nobiles, in quibus testis deposuit nunquam ab extirpacione et ereccione ville residere kmethones ante bella Pruthenicalia, nunc vero deposuit, residere in prefatis agris predialibus ut ipse asseruit, kmethones in mediis mansis novem locatos, videlicet: Bąssz, Andreas Rzancz, Nicolaus Pyeczonka, Stanislaus Kleynoth, Iohannes Warda, Dobeslaus, Nicolaus Madzey et Stanislaus Kopacz, medium mansum dicit esse desertatum; causam sciencie reddens, quod audivit a patre suo, quia prefati agri fuerunt de nova radice extirpati per nobiles pro predio illorum. Interrogatus.. quis fuerit heres legitimus prefatorum bonorum in Mislyno, respondit, quod fuit quidam nobilis Stanislaus, qui equitans de Olschewo, cadens de equo, subito mortuus est, post quem bona prefata sortis sue recepit plebanus modernus in Champsko, qui plebanus eadem bona ad eum propinquitate devoluta fratribus patruelibus germanis vendidit. Et tandem eandem sortem apud plebanum emptam locaverunt supranominatis kmethonibus a XV vel ultra annis, et testis deposuit, et hoc ideo fecerunt, ut predictos agros in Mislyno kmethonibus locarent, quia habent bona alia in Prze-

racz et Malewo, in quibus habent predia sufficiencia pro necessitate eorum. Item interrogatus, in villa Dzwyrszno si aliquid ei constaret de decima dni Episcopi et plebani, respondit, quod sunt IV kmethones in IV mansis ex antiquo et ab extirpacione ville locati, post quorum culturam testis deposuit, decima pro dno Episcopo tollitur. Addidit tamen, quod sunt in eadem villa Dzwyrsno IV mansi pure prediales, duos testis tenet cum fratre et per se ipsum colit, et duos prefatus plebanus cum aliis bonis in Mislyno fratribus patruelibus superius nominatis vendidit, qui illos duos mansos de predio locaverunt kmethonibus. Interrogatus, a quot annis isti duo kmethones, videlicet Stanislaus Lysek et Iohannes Dlukony, locati sunt in predictis agris predialibus, respondit, quod, ut credit, a X annis..

Nonus testis laboriosus Nicolaus Nyewswoth, kmetho de Carnyszyno.. interrogatus de agris kmethonalibus, quot sint mansi in villa Carnyszyno, post quos dnus Episcopus tollit decimam, respondit, quod sunt XV mansi ex antiquo cum medio et ante bella Prutenicalia kmethonibus locati. Interrogatus, si sint plures, respondit, quod non. Interrogatus de agris predialibus, quot sunt mansi, respondit, quod medius quintus, de quibus dnus heres per se tres colit et medium alterum locat kmethonibus, videlicet Stephano Konyeczk in manso et M. fabro in medio. Interrogatus de sciencia, [respondit], quod a XXVII annis tunc fuit presens, quando dnus Cristinus Carnyski castellanus Rawensis kmethonem, qui venit ad eum de Chamsko, volens conservare ipsum, emensuravit sibi de agris pure predialibus I mansum, et tandem in medio manso prediali precise eodem anno fabrum locavit; et testis deposuit, quod ipsum dominus prefatus de locacione dictorum kmethonum in predictis agris predialibus consulit, dicens: Licet iam non habeo agros kmethonales, in quibus eosdem locare debeam, tamen scio, quid faciam, habeo plura alia predia pro cultura mea, condividam eis de agris predialibus: uni mansum et alteri medium. Interrogatus de aliis decimis in Champsko, Mislyno et Dampsko et Olsewo, testis nichil scivit.

A. 1502, Maii 6, in Mankolino in curia episcopali.

213. (Acta episc. VII).. Rmo.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi.. causas.. iudicante comparens.. nobilis Bernardus de Byelino citato honor. Stanislao plebano in Sochowo.. proposuit, quia ipse Stanislaus plebanus in Sochowo.. anno nuper currenti sabbato sacre solennis Pasce circa benedictionem ignis in cimiterio ecclesie in Zochowo ad pollicem dextre manus ad effusionem sanguinis notabilem fuste seu corulo percussit et vulneravit, extimans iniuriam ad C flor. Hungar. etc. petens.. ad solucionem.. compelli.. Item ex alio contra eundem plebanum proposuit, quia ipse plebanus.. eodem tempore [ipsum Bernardum] publice infamavit, asserens ipsum malum hominem.. Ex adverso plebanus nomine suo percussionem et infamiam negavit, allegavit tamen, quod eo consecrante et benedicente ignem sabbato magno solennis Pasce, nondum peracta ignis benediccione, parochiani cum tumultu ignem recipere nitebantur; plebano petente eosdem, ne eundem impedirent, donec finiret benediccionem predicti ignis, quibus nolentibus ipse recepto corulo in ignem percuciebat, ut discederent et benediccionem ignis non impedirent, et ita recipiendo impetuose ignem se lesit. Presentibus ibidem vener. patre dno Michaele episcopo Margarithensi et suffraganeo Plocensi etc, Nicolao de Brolyno licenciato in decretis..

A. 1502, Maii 11, in Iunyecz in curia episcopali.

214. (Acta episc. Ia).. Testes super insolencia et excessibus discreti Mathie vicarii in Crisko.. examinati ac violencia ecclesie et cimiterio per ipsum facta ecclesie in Grodzecz et primo:

Discretus Iohannes vicarius in Grodzecz.. respondit, quod predictus Mathias vicarius in Crisko per integrum fere annum est continuus in Grodzecz et frequentat ad dnam Copczowa, quem testis aliquociens ibidem in curiam suam divertisse vidit. Interrogatus, si est suspectus de eadem, testi nichil constat. Interrogatus de excessibus et insolencia prefati Mathie, testi non constat ex eo, quia cum eo non consuevit residere. Interrogatus, si aliquando contra ipsum super violencia pulsatum fuerit, respondit, quod bis: una vice presens non fuit, quia fuit in patria, alia vice vidit et audivit pulsari campanam in unam partem et homines ville in Grodzecz ad violenciam concurrentes iam nocte, testis audito pulsu campane e lecto surrexit et vicinos interrogavit, quare pulsarent et quare convenerunt; respondit, quia Mathias Roman presbiter percuttit et facit violenciam. Item interrogatus de invasione Nicolai, ministri scole in Grodzecz, respondit, quod f. VI^ta prox. ante Philippi et Iacobi apost. minister scole in Grodzecz misit propter clawos duos scolares in Crisko, quibus scolaribus Mathias presbiter dedit librum sermocionalem, ut deferrent in Grodzecz, crastina die Mathias presbiter sabbato venit in Grodzecz et sedebat in thaberna cum discreto Stanislao vicario et Nicolao ministro in Grodzecz bibentes et ante pulsum vesperorum Mathias presbiter ivit in domum Stanislai vicarii, cui sermonem resumebat, et in illo libro non reperit certum sexternum; qui venit ad testem ad inquirendum sexternum, et tandem similiter ivit ad scolam ad lectorem inquirendo, si sciret de eo. Quo non invento pulsatum est ad vesperas et peractis vesperis in cimiterio cepit Mathias presbiter a ministro repetere sexternum et tandem in illum cum cultro invasit in cimiterio, ministro similiter cultrum habente evaginatum, hincinde in se irruentes, et tandem testis timens, ne quis se illorum lesisset, posuit se medium inter ipsos et defendebat ministrum; ministro dicente et petente pro Deo, ut Mathias presbiter daret sibi pacem, quem ministrum testis iussit intrare ecclesiam, ne eum lesisset, et postquam intravit ecclesiam, cepit Mathias presbiter dicere: Pessime fur, non tandem de ecclesia te eruerem, sed de fornace in Prziborowicze; et tantum testi constat..

A. 1502, Iunii 3, in Poltowsk in curia episcopali.

215. (Acta episc. VII). Nobilis Adam Komorowski contra.. dnum archidiaconum.. lamentose proposuit, quomodo ipse dnus archidiaconus.. ipsum pro C sexagenis, inculpato ad ius seculare, citavit et testibus de se purgando facta comminacione censurarum inhibuit, et his non contentus convento iusticiario alias *oprawcza* pro media sexagena ipsum in turrim mancipari et captivari procuravit, in qua capcione et in turrim mancipacione in sanitate et oculis lesus sit, extimans iniuriam, infamiam, dampnum et lesionem ad CCCC flor. Hungaricales.. Ex adverso dnus archidiaconus.. responsiones in scripto produxit..

A. 1502, Septembris 19, in Plock in curia episcopali.

216. (Acta episc. VII).. Coram Rmo.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi.. dnus Mathias Rokicze, instigator officii.. accusavit contumaciam mgri Iacobi

prepositi in Vynnycza et.. petivit sentenciam diffinitivam.. pronunciari. Et Rmus dnus.. pronunciavit ut sequitur:

Christi nomine invocato.. in hac causa ex officio nostro ordinario honor. mgro Iacobo de Gosthkowo preposito mansionariorum in Vynycza mota, quia ex deposicionibus testium coram nobis inductorum.. super articulis ex officio nostro contra dictum mgrum Iacobum productis.. evidenter comperimus adeo fuisse et esse viciis resparsum et scandalosum et incorrigibilem, quod ex eo fere tota parochia scandalisatur; et propterea ad submovendum ipsa scandala decernimus.. ut dictus mgr. Iacobus interim infra hinc et tempus semestre ipsam prepposituram suam in Vynycza extra diocesim nostram commutet.. alioquin expost ad privacionem ipsius et ad alia, que iuris fuerint facienda, contra eundem dante Domino precedemus..

217. (Ibidem).. Coram Rmo dno presule Plocensi.. honor. mgr. Albertus de Lowycz instigator officii.. contra providum Stanislaum Soth oppidanum de Gosthinyn.. proposuit, quia ipse.. ausus est blasfemare, dicens non esse verum Corpus Christi per sacerdotem consecratum, sed quandam cistam, petens ipsum secundum sanctiones canonicas.. ut blasfemum puniri et condempnari..

218. (Ibidem).. Honor. mgr. Albertus de Lowycz, instigator officii.. contra discretum Mathiam Sthucznyk presbiterum de Banthkowo.. proposuit, quia ipse Dei timore et dignitate presbiterali postpositis ad quandam mulierem maritatam molendinatricem est continuus cum eadem adulterando, petens ipsum secundum sancciones canonicas penis puniri..

A. 1502, Octobris 7, in Iablona in curia episcopali.

219. (Acta episc. VII).. Rmus.. dnus Vincencius D. g. episcopus Plocensis ad peticionem generosi dni Iohannis de Podosie capitanei Warschoviensis, alias ad instanciam dne Cleofe Sgyerska excommunicati, de consensu eiusdem prefatum dnum capitaneum ob causam expedicionis bellice nunc imminentis, in quantum eandem personaliter prosequetur, duxit absolvendum et absolucionem alias sibi datam ex causa predicta infra hinc et III septimanas.. ob spem concordie inter prefatas partes habende.. eidem continuavit..

A. 1502, Octobris 31, in Zlothoria in curia episcopali.

220. (Acta episc. VII). Nicolaus Karmistowicz citavit Albertum de Zarambi suum germanum clericum et proposuit contra eundem verbo, quod idem Albertus clericus sexagenam pecuniarum sortis ad ipsum pertinentis recepit pro capite patris ipsorum interempti. Ex adverso Albertus predictus respondit, quod pauca sunt data pro capite patris nostri, et illa, que sunt data, sunt distributa per matrem nostram, ubi fuerunt debita per patrem nostrum. Replicando dictus Nicolaus dixit, quod non, sed quod tu eandem sexagenam sortis ad me pertinentis et alias pecunias ad fratres alios pertinentes pro se recepisti et easdem usurpasti, ad quod idem Nicolaus se probaturum obtulit..

A. 1502, Novembris 4, in Zlotoria in curia episcopali.

221. (Acta episc. VII). Rmus .. dnus Vincencius [episcopus Plocensis] recepta pleniori confirmacione de incontinencia Simonis plebani in Cizewo iuxta decretum

sinodale condempnavit [eundem] in penis VI marcarum, quas solvet infra I mensem ecclesiasticis sub censuris.

222. (Ibidem). Ex decreto sinodali Rmus dnus recepta pleniori informacione de incontinencia plebani in Nur moderni et comperto ita esse, ut in sinodo denunciatus fuit, ipsum in pena III marcarum condempnavit..

A. 1502, Novembris 7, in Zlotoria in curia episcopali.

223. (Acta episc. VII). Coram Rmo dno presule Plocensi honor. Petrus plebanus in Somowo contra nobilem Rathwan.. proposuit, quod ipse immemor salutis sue cum Iacobo de ibidem solet impedire verbum Dei publice in scandalum plurimorum Christifidelium, petens ipsum puniri mediante censura ecclesiastica..

224. (Ibidem).. Coram Rmo dno presule Plocensi prefatus nobilis Rathwan in audiencia publica honor. Petrum plebanum in Somowo denunciavit, quomodo incurabilitate ipsius plebani duo homines kmethones sui sine confessione mortui sunt. Item quod ipse plebanus ceram et candelas cereas, quam Christifideles offerunt, distrahit et vendit ipsaque ecclesia caret luminibus. Item quod nunquam in solennitatibus Nativitatis Dni, Pasce, Penthecostes ac aliis vespere peraguntur. Item ipse plebanus copulavit filium suum cum nepta sua. Item vendidit partem certam parochie pro L gr. preposito in Lubothyn, irrequisitis patronis et sine voluntate ipsorum. Item quod baptisavit puerum nondum natum.

A. 1502, Novembris 9, in Zlotoria in curia episcopali.

225. (Acta episc. VII). Discretus Bartholomeus de Swyrsche, procurator legitimus nobilis Margarethe de Czischewo contra nobilem Iacobum de Dmochi.. proposuit pro defloracione et impregnacione et quod promisit ipsam sibi ducere in uxorem, extimans defloracionem ad XV sexagenas iuxta laudum terre, petens etc. Ex adverso procurator Iacobi confessus est ipsam deflorasse et impregnasse, negavit tamen, quod promisisset sibi ducere ipsam in uxorem. Et Rmus dnus ex confessatis ipsius Iacobi.. decrevit, quatinus aut ipsam ducat vel petita solvet..

A. 1502, Decembris 19, in Poltowsk in curia episcopali.

226. (Acta episc. I a). Testes infrascripti ex speciali commissione Rmi.. dni Vincencii D. g. episcopi Plocensis et ex officio ordinario sue Rme Ptis recepti ac per me Arnoldum Nicolai de Cuchari notarium examinati, assidente michi et superintendente examini mgro Alberto de Lovicz penitenciario episcopali ac Derslao de Gostinin connotario et germano mgri Iacobi, contra quem, conscribente huiusmodi deposiciones infrascriptas:

Primus testis nobilis Iohannes de Lampicze, iudex castri Poltoviensis.. interrogatus summarie, si quid sibi constaret de vita, moribus et continencia dni magistri Iacobi, plebani in Vynycza, respondit, quod ut communiter famatur et audit a pluribus spiritualibus et secularibus eiusdem parochie, quod ipse Iacobus est incontinens et lubricus servans meretriculas in domo sua, nec aliquem ex parochianis in domum suam admittit, eciam nec scolares pro aqua ad ecclesiam, et noviter cum quadam Anna filia Bartholomei Drzewosz de Rampkowo prolificavit secundario; adiecit eciam testis, quod ex ore eiusdem mgri Iacobi audivit, quando

reprehendebat eundem super huiusmodi incontinencia, lubricitate, ita sibi respondisse: quid est hoc, nonne sum homo, solutis tribus marcis dno Episcopo non poterit me privare beneficio. Insuper adiecit testis, quod ut sepius intrat ecclesiam iam post divina illotus, impexus, inhoneste et ebrius et ut sepius post divina congregati catervatim parochiani conquerebantur super dnum Archidiaconum dicentes: Dne Archidiacone dedistis nobis erroneum hominem, clamabimus flentes contra te coram dno pontifice; et quando intrat in ambonam ad predicandum, tunc maior pars hominum exit de ecclesia. Item interrogatus super articulo de dispersione hostiarum consecratarum, quibus debebat parochianos communicare, respondit se tunc non interfuisse, sed audivit a parochianis ita fuisse; de virtutibus eius, si quas haberet bonas, interrogatus respondit, quod nullam bonam habet, et ut dnus Deus nos eo celerius privaret eodem, omnes postulamus. Item deposuit, quod veniens de Swyelicze huc adduxerat secum quandam Katherinam dictam *Kxyasna*, prout apparet in confessione sua, audivit eciam testis ab aliis parochianis, qui protunc interfuerunt, quando amissa hostia consecrata in calicem, statim aliam non consecratam recepit de pixide et elevavit..

Quartus testis honestus Stanislaus Zdbyl de Vinicza, vitricus ecclesie ibidem, expeditus super interrogatoriis eciam mgri Iacobi interrogatus de vita et moribus respondit, quod vivit disordinate et incontinenter et quod noviter in crastino s. Trinitatis exivit ab eo quedam mulier, quam receperat noviter de Obrithe, quam infestabat, et recessit ab eo et iterum noviter ante unam septimanam duxerat secum in curru quandam iuvenculam cum puero de Poltowsk, que veniens huc in Vinicza in sero recessit ab eo, dicens, quia voluit me opprimere in curru, et ita nolo apud eum manere; de Anna et de Katherina *Kssyasna* deposuit, ut sui contestes.

Quintus testis nobilis Stephanus de Skorosche.. respondit, quod [predictus mgr. Iacobus] tota nocte bibit in domo propria cum Kuss et Panek tabernatoribus et veniens ad ecclesiam non pexus.. aduc ebrius, indutus sacerdotalibus accessit ad altare celebraturus, quem videntes parochiani ebrium recesserunt de ecclesia. Et item deposuit nobilis Martinus de Ponyathy addiciens, quod est homo scandalosus, erroneus, nullius utilitatis pro parochia; ambo dixerunt: utinam dnus Deus eo celerius eum a nobis alienaret.. et ab ecclesia.

Item postea nobiles infrascripti successive.. examinati coniunctim et divisim interrogati, videlicet: Stiborius de Ponyathi advocatus in Vinicza, Abraam de Skorosche, Petrus de ibidem, Andreas de Ponyathy, Martinus de Skorosche, Albertus de Skorosche, Bronisius de Lampicze, Martinus de Minori Vinicza nniformiter deposuerunt non valentem pro regimine, plures scandalizantur ex eo, quam edificantur, quia est homo incontinens, non exemplaris, raro intrans ecclesiam et si aliquando intrat ecclesiam, tum cum scandalo mulieres ab eo exeunt indignate; alia per omnia, ut priores testes. Cmethones eciam de parochia eius una voce petunt eis dari alium pro regimine.

Examine predicto facto.. et comparente dicto mgro Iacobo ex adverso principali, postea missus fuit.. discretus Iacobus de Iableczny̆k mansionarius et protunc ebdomadarius ecclesie in Vynycza ad citandum eundem mgrum Iacobum ad audiendum pronunciari voluntatem Rmi dni nostri super processu et inquisicione sue Ptis factis etc. Quiquidem executor relacionem fecit, quia citavit eundem..

ad premissa audiendum. Adiecit eciam idem executor, quod dictus Iacobus dixit se non posse venire ad pretactum terminum, quia dicit sibi instare viam ad dnum Cardinalem pro litteris obtinendis. — A. notarius subscripsit.

A. 1503, Ianuarii 30, in Iunyecz in curia episcopali.

227. (Acta episc. VII).. Honesta Margaretha Iacobi Cuzno de Prziborowicze citato nobili Alberto Rothkowski peciit in causa inter ipsam et predictum Albertum in curia sue Rme Ptis introducta concludi et sentenciam pronunciari. Et Rmus dnus visis testium deposicionibus et audita confessione ipsius Alberti super impregnacione Margarethe decrevit, quatinus Albertus racione predicte impregnacionis Margarethe III sexagenas cum media pro prole educanda persolvat et a pena domini ville eam evincat et eliberet sub censuris ecclesiasticis..

228. (Acta episc. I a). Testes infrascripti ex commissione Rmi.. dni Vincencii.. episcopi Plocensis per vener. dnum Nicolaum de Brulino licenciatum in decretis, cancellarium sue Rme Ptis de vita et moribus Iohannis plebani in Clukowo.. recepti et examinati:

Primus testis discretus Nicolaus presbiter vicarius in Clukowo frater clenodialis.. interrogatus de vita plebani in Clukowo et utrum habeat commercium et commansionem cum Anna filiastra sua, prout alias in sinodo fuit delatus per archidiaconum, uxore Nicolai Colano oppidani de Polthowsk, respondit, quod visitat sepe plebanum manens apud patrem et vidit eam testis multociens in domo ipsius et commanere sibi sicut focaria, et est publica fama et suspicio, quod cohabitat cum ea. De aliis testis nichil scit.

Secundus testis discretus Stanislaus de Czechomicze, vicarius in Clukowo.. interrogatus.. utrum foveat in domo mulierem uxorem Colano neptam suam, respondit, quod interdum dum testis invitatur ad prandium per plebanum, invenit eandem circa mensam, de cohabitacione mutua nichil deponere scivit, quia non visitat plebanum, nisi ut premissum est, nescit tamen, an apud patrem, an apud plebanum moram trahat, est tamen suspicio sinistra de cohabitacione ipsius inhonesta, communiter inebriatur, sed non scandalose, alia nescit..

Quartus testis nobilis Iohannes heres et patronus in Clukowo, frater clenodialis plebani.. interrogatus de.. conversacione cum quadam Anna uxore Colano filiastra sua, respondit, quod vidit eam continuis diebus commorantem in domo sua et quod audivit testis a Bernardo affini suo alias *szurza* de Czarnoczino, qui servivit eidem anno transacto, quod continue cohabitat sibi.. Item fovet in taberna sua prope ecclesiam satis inhonestas mulieres et scandalis plenas; alia nescit..

A. 1503, Iunii 19, in Mankolyno in curia episcopali.

229. (Acta episc. VII).. Rmo.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi.. iudicante.. mgr. Stanislaus Dambrowka procurator legitimus.. vener. dni Nicolai de Brolyno, licenciati in decretis plebani in Scolathowo, contra discretos Stanislaum de Zyekluki, Iohannem de Wyeczwna et Iacobum de Gosthin, assertos clericos diocesis V. Rme Ptis, proposuit in querela, quomodo anno et mense currentibus videlicet ipso [die] sacratissimi Corporis Christi infra missarum solennia prefati clerici.. in scandalum Christifidelium ad divina congregatorum in ipsam ecclesiam irreverenter intrantes ibidem multas insolencias, rumores et divini cultus pertur-

baciones exercuerunt, librum ecclesie missalem ab altari vi abstraxerunt et claves ecclesie et offertorium altaris rapuerunt et sibi usurparunt, nec his contenti divinorum prophanacionibus seu perturbacionibus, sed eciam vi irruentes eodem instanti in domum plebanalem ibidem seras, quibus hostia clausa erant, repercusserunt et gallos et cappones mactaverunt et per premissa dicto dno Nicolao rectori iniuriati sunt perturbantes eum in possessione sua pacifica, extimans iniuriam [ad] C flor. Hungar. et petens ipsos in eisdem condempnari, alias ex oficio V. Rme Ptis racione perturbacionis divinorum extraordinarie puniri. Ex adverso honor. Iohannes de Wyeczwna dictorum suorum litisconsorcium procurator.. citra approbacionem iurisdiccionis sue Rme Ptis petivit copias et terminum dicendi contra.. Et Rmus dnus Episcopus copias decrevit et terminum.. in Ploczkam prefixit..

230. (Ibidem). Mgr. Stanislaus Dambrowka procurator officii.. contra discretos Stanislaum de Zyekluki presbiterum, Iohannem de Wyeczwna et Iacobum de Gostyn, pretensos notarios V. Ptis Rme diocesis, verbo proposuit, quomodo ipsi anno et mense currentibus in contemptum et levipendium V. Ptis Rme ac enervacionem iurisdiccionis eiusdem et contra disposicionem statutorum provincialium et diocesanorum ausu temerario, irrequisita V. Rma Pte, quosdam peregrinos extraneos et inconsuetos processus ausi sunt exequi in ecclesiis et presertim in ecclesia parochiali Scolathowo.. utique primo et principaliter intitulabantur et inscribebantur ac temere et de facto executi sunt, ipsos eciam vener. dno Nicolao Brolynski in dicta Scolathowo curato intimando, et ibidem in eadem ecclesia infra missarum solennia clamores et insolencias et divinorum perturbaciones exercendo, petens eosdem, ut temerarios prophanatores divinorum.. puniri..

A. 1503, Iulii 25, in Plock in curia episcopali.

231. (Acta episc. Ia).. Testes.. examinati super celebracione missarum in ecclesia Plone per Stanislaum Clonycza stante interdicto:

Primus testis honestus Nicolaus de Plone, minister ecclesie in ibidem.. interrogatus, quid sibi constaret de celebracione missarum per Stanislaum Clonycza durante interdicto ibidem in Plone, respondit, quod ipse Stanislaus dominico die festi Penthecostes prox. preterito divina officia peregit publice in presencia hominum utriusque sexus parochianorum de Plone, et eciam deposuit, quod ipse Stanislaus in die s. Trinitatis claudendo se unicus cum dno palatino in presencia ipsius divina celebravit; item deposuit, quod in vigilia Corporis Christi eciam clauso se cum dno palatino in ecclesia in presencia ipsius celebravit; item deposuit, quod ipso die Corporis Christi publice celebravit; item deposuit, quod f. VIta post Octavam Corporis Christi clauso se cum teste sibi ministrante celebravit..

232. (Ibidem).. Testes.. examinati super involucione panniculorum in reliquias et osculacione earundem.

Primus testis honestus Iacobus de Sznancz.. deposuit primo interrogatus de involucione pannorum pro reliquiis in ecclesia Radzykowo, quod fuit presens certo die festo, in absencia tamen dicti Stanislai Clonycza, quando dna Radzykowska rogavit ministrum scole ibidem, ut sibi monstraret et aperiret monstranciam possetque videre, quid intus pro reliquiis repositum esset; apperuit minister et vidit multas capecias panniculorum satis turpium et deformium nec dignorum ad pedes tergendos viditque cedulas parvulas ibidem cum illis panniculis in eis

reclusas; illas tamen non legit, sed audivit, quod essent descripte reliquie in eisdem. Item interrogatus, si Stanislaus claudebatur cum muliere Thorunska in ecclesia Radzykowo, deposuit, quod aperta ecclesia recludebatur solus cum sola in zacristia per longum intervallum, et semel hoc vidit testis..

Secundus testis laboriosus Nicolaus de Radzykowo Minori.. interrogatus.. de reliquiis per Stanislaum Clonycza in monstrancia repositis, respondit, quod fuit presens bis, quando revidebantur dicte reliquie: primum per dnam Radzykowska.. deinde per duos fratres Bernardinos de Skape ad peticionem dni Radzykowski, ibique nichil vidit, nisi panniculos lineos admodum turpes et deformes.. scripsitque cedulas manu sua, quas cognovit minister: hic sunt reliquie s. Katherine, s. Nicolai, s. Dorothee etc. Item interrogatus, si vidit vel audivit ipsum Clonycza cum Thorunska se clausisse in ecclesia, respondit se audivisse a bonis hominibus, quod claudebatur in ecclesia.

Tercius testis honestus Nicolaus de Radzykowo Maiori.. interrogatus de reliquiis respondit, quod audivit a conteste referri sibi, ita ut ipse deposuit, sed deposuit ex certa sciencia, quia predicavit publice, quod essent reliquie hic et quod haberet singularem devocionem in eis propter indulgencias et merita sanctorum, quorum reliquie interposite in monstrancia fuerunt..

Quartus testis Augustinus de Radzykowo Maiori.. interrogatus de reliquiis repositis in Radzykowo, respondit, quod audivit predicantem publice, quod essent reliquie hic, quas ego inveni, plurimorum sanctorum, ipsas tamen apperiri non vidit, sed osculatus est ipse multociens et multi alii parochiani. Item interrogatus de Thorunska, si habuisset Stanislaus Clonycza conversacionem cum ea, respondit testis, quod certo tempore, dum mansisset in castro ipse Stanislaus Clonycza, veniebat multociens dicta mulier Thorunska in Radzykowo et conversabatur cum ea familiariter, ita quod una dierum dum venisset ad eum, rogavit testem, ut sibi in holodio stratum faceret, ibi demisit per fenestram de castro lectisternia et testis stravit sibi lectum in holodio, et ibi pernoctavit cum dicta muliere. Item interrogatus, utrum recludebatur cum ea in zacristia, respondit, quod sic et ibi epulabatur.

A. 1503, Iulii 27, in Gorzno in curia episcopali.

233. (Acta episc. VII).. Rmo.. dno Vincencio D. g. episcopo Plocensi.. iudicante comparens mgr. Stanislaus Dambrowka, procurator officii, contra discretum Stanislaum Clonycza assertum presbiterum de Ploczka.. proposuit verbo, quomodo ipse.. ingerit se in administracionem ecclesie parochialis in Plonye vacantis per interfeccionem plebani in ibidem illicque, stante interdicto pro prefato plebano interfecto supposito, divina eciam coram excommunicatis celebrat, immo verius prophanat et sacramentum ministrat, petens ipsum in penas a iure statutas incidisse declarari..

234. (Ibidem).. Generosus dnus Nicolaus de Radzikowo, castellanus Rippinensis, ipsum Stanislaum Clonycza, presbiterum presentem, iudicialiter denunciavit, quomodo ipse in ecclesia Radzikowo involvens in panniculos satis turpes et prophanas in sericum alias *wlthatha* posuit pro reliquiis et predicavit pure, quod essent reliquie nunc apportate, que nunquam fuerunt in hoc loco, quod visitarent, oscularent et haberent singularem devocionem osculorum.

Item absolvit duos aut tres in casibus loci ordinario reservatis ibidem parochianos in Radzikowo.

Item quod in ecclesia ibidem in Radzikowo claudebatur cum quadam muliere dicta Thorunska et ibidem mutuo permanebant, nescitur, quid speculando. Que omnia prefatus Clonycza negavit; prefatus dnus Rippinensis castellanus obtulit se probaturum..

Item pro lapide, quem de ecclesia in Choyno recepit valoris I marce; obligavit se restituturum sub censuris ecclesiasticis.

Item Nicolaus castellanus prefatus contra eundem Clonycza proposuit, quod Sigismundum, kmethonem suum in Choyno, sine aliqua causa.. virgis percussit.. negavit presbiter..

Item contra eundem proposuit verbo, quod dum fuisset in Ploczka prefatus dnus castellanus et querelabatur coram patre (s), quod eum ab iniuriis ac insolenciis compesceret, tandem ipse Stanislaus Klonycza.. ipsum invasit verbis inhonestis, asserens ipsum deceptorem et malum hominem, extimans infamiam et iniuriam ad M florenos..

Item eciam proposuit contra eundem, quod sub eius custodia ecclesie in Choyno ablate sunt pecunie de thezauro..

A. 1503, Augusti 25, in Visskowo in curia episcopali.

235. (Acta episc. VII).. Honor. Nicolaus Strozewski, plebanus in Barczicze citato laborioso advocato de Slomyankya.. contra ipsum verbo proposuit, quod licet iure cautum sit in statutis provincialibus de decimis in regnoque Polonie et ducatibus Mazovie diocesique Plocensi dudum et ex antiquo tentum et observatum, quod omnes et singuli advocati, cuiuscunque status et condicionis fuerint, in solucione decimarum omnis [grani] et seminis ac eciam canapi pares esse debent, prout universitas ville dat et solvit decimam; nichilominus prefatus advocatus immemor salutis sue existens et in preiudicium prefati plebani et ecclesie sue non modicum decimam manipularem omnis grani et seminis ex II mansis advocacie prefate, ut et tanquam kmethones ville predicte Szomyankya dat, solvit et conducit, sed decimam canapi more aliorum kmethonum in predicta villa ab annis, quibus ipse plebanus ad ecclesiam prefatam est institutus, dare et solvere recusat, extimans damnum sibi et ecclesie sue illatum ad I marcam Polonicalem, petens iuxta privilegium tocius provincie Gneznensis ac ereccionem sue ecclesie in Barczicze, ipsum advocatum in petitis condemnari et ad solucionem tam retentorum quam eciam inpost solvendorum cogi et compelli.. Ex adverso prefatus advocatus nomine suo dixit se ius habere et ad solucionem canapalium per plebanum petitorum non teneri, quod ius seu privilegium iudicialiter exhibuit, petens se in iusticia conservari. Nicolao plebano eciam allegante ereccionem ecclesie sue priorem esse quam privilegium predicti advocati, cuius eciam copiam.. exhibuit, petens eciam sibi iusticiam fieri. Et Rmus dnus.. decrevit ipsum et successores suos advocatos pro tempore existentes prefato plebano ac eciam suis successoribus predictam decimam lini ex prefatis II mansis advocacie in Szomyankya perpetue solvere ecclesiasticis sub censuris absolucionemque a solucione dictorum canapalium in privilegio advocati contentam nullam esse neque viribus subsistere decrevit..

A. 1503, Septembris 7, in Zlothoria in curia episcopali.

236. (Acta episc. Ia).. Testes infrascripti in causa dotis pro parte Iohannis Czikola de Dambrowa contra Ambrosium Wiszemiersky inducti:

Andreas Burathka de Dambrowa.. interrogatus.. an sibi constaret de solucione aut satisfaccione dotis per Iohannem Czikola Ambrosio genero suo facta et quomodo, respondit, quod a. D. 1500 certo mense in autumpno die festo, tamen testis in memoria non habet, si dominico vel aliquo Sanctorum festo, tamen dixit, quod festo, idem inducens cum testibus, quos induxit, et genero suo ivit in tabernam et domum testis infrascripti ad cervisiam post prandium bibere, tunc gener predictus rogavit ibidem in taberna inducentem pro duobus bobus, illo sibi eosdem dare recusante, tandem gener prefatus incessanter ipsum rogabat, promittens eosdem boves duos racione dotis recipere et eum de residua dote liberum dimittere in presencia testium predictorum; inducens iam amplius suis petitis non valens contravenire dedit prefatos duos boves modo supradicto, quod videlicet ipsum de omni dote liberum dimittat; quo facto statim inducens rogavit hospitem tabernatorem, ut moris est eorum, uti marcipotum, alias *lythkup* indicaret, et statim indicavit et biberunt, et sic testis dixit, quod de omni dote ipsum inducentem gener liberum dimisit receptis duobus bobus..

237. (Ibidem).. Testes infrascripti in causa decimarum ville Luby pro parte dni prepositi ecclesie parochialis in Zuzola et Michaelis et Stefani germanorum Godlewsczy inducti:

Stanislaus Zebrowsky nobilis.. sortem bonorum suorum mobilium et immobilium, quam habet, ad LX sexagenas extimavit.. Interrogatus, per quem kmethones sunt locati, respondit: per avum dictorum inducencium et patrem eorum ab annis, ut testis dicit, XX citra vel ultra sunt locati, tamen testis nescit, quot kmethones in mansis seu ortulanos locaverunt in ortis, solum scio, quod et kmethones in mansis et ortulani fuerunt eo tempore locati, numerum ipsorum ignorat. Interrogatus, an dicti kmethones in nova radice essent locati vel in prediali agro, respondit, quod ista bona seu villam Luby fuisse sui genitoris, quam avo dictorum Godlewsky duces Mazovie Ianussius et Boleslaus dederunt et Paulo patri testis loco ville Luby in Paszewo dederunt; illic pater suus in Luby parum habuit predium, non tam latum et longum, quod deberet locare kmethones aut ortulanos in eo, nisi ipsi inducentes de nova radice agros kmethonibus prepararent et fodissent soli, testis dixit, quod inducentes, antequam locaverunt kmethones aliquos, prius soli refoderunt agros illis, alias *roszkopaly*, ex nova radice, non tamen ipsi kmethones; decimam ex predio preposito in Zuzola tempore patris sui dixit evenire, tamen hodie nescit, quis percipit eam, nec tempore avi predictorum inducencium; et tantum deposuit..

Nobilis Paulus Pyeczunka de Byaly bona sua, que habet, mobilia et immobilia, ad XXX sexagenas extimavit.. interrogatus, per quem kmethones sunt locati. dixit per patrem eorum inducencium fuisse locatos duos kmethones, qui sibi ipsis et domino refoderunt agros, alias *roszkopaly*, ex nova radice et ex eo nichil solvebant nec censum dabant nec laborabant, solum agros ad alios kmethones locandos refodiebant, alias *rosszkopawaly;* annum, quo anno sunt ista facta, testis non meminit. Tandem post mortem patris eorum inducentes predicti cum aliis fratribus agros et predium inter se diviserunt, et sic unusquisque eorum sibi

semper agros augmentabant, et sic in parte sortis sue quilibet fratrum inducencium, qui IV sunt, kmethones sibi locavit in agris sic refossis alias *roskopanych*. Interrogatus, an ortulani seu kmethones sint locati, dixit: et kmethones et ortulani; numerumque eorum nescit testis; decimam, ut testis meminit, prepositus ecclesie parochialis in Zuzola percipiebat ex antiquo.

A. 1503, Septembris 26, in Poltowsk in curia episcopali.

238. (Acta episc. Ia).. Testes recepti.. pro parte honor. Nicolai in Obrythe plebani contra discretum Allexium Myska, vicarium ipsius in dicta Obrythe:

Primus testis laboriosus Nicolaus Runo, kmetho de Obrythe.. interrogatus de raptu offertorii per Allexium Myska, ut in proposicione continetur, testi nichil constat, et eciam interrogatus, an complet servicia, testis nescit. Item interrogatus, an dicit horas canonicas, respondit, quod sic. Interrogatus, an excommunicatos audit confessiones, respondit se nescire. Interrogatus, si est continuus in taberna et ibidem pernoctat et an esset suspectus de adulterio cum quadam Durzina, nescit. Item interrogatus, an ipse Allexius sit rixosus cum plebano aut aliis hominibus, testis respondit, quod feria III prox. elapsa ante Michaelis, Allexius percusso Stanislao ministro plebani ibi iverat, ad quem Allexius lapide ter proiciebat dicendo et clamando post eum: Sicce lupe, *suchy vylku*, sicca perna, *suchy polczu*, alias pessime latro des michi pacem; plebano nichil dicente, solum teste protestante. Item interrogatus ad proposicionem Stanislai ministri, testis respondit se non interfuisse rixe inter ipsum Stanislaum et Allexium facte, solum vidit ministrum stantem in una camisia in palacio scole et aliquem sanguinem sibi ex ore fluentem ex percussione Allexii presbiteri; item de laniacione pellicee interrogatus respondit, quod vidit laniatam, sed nescit per quem..

A. 1503, Decembris 1, in Iunyecz in curia episcopali.

239. (Acta episc. VII). Dispensacio rerum post olim Iacobum in Radzymino plebanum intestatum mortuum derelictarum per Rmum dnum episcopum Plocensem — Rmus dnus Vincencius D. g. episcopus Plocensis dispensando derelicta per olim Iacobum plebanum in Radzymino tanquam supremus exequutor testamentorum ita dispensavit: Inprimis ecclesie in Radzymino, cui dictus olim Iacobus prefuit, V volumina librorum. videlicet: s. Hieronimi scripta super vetus et novum testamentum et libros sermonum donavit perpetuo tali condicione: postquam plebanus ordinaverit legi tres tricesimas pro anima ipsius plebani defuncti. Item Margarethe servitrici dicti olim plebani mediam sexagenam in solidis dedit et donavit. Item Iohanni Radziminsky germano olim plebani pro expositis funeralium II sexagenas in solidis. Item Iohanni Skarzynsky, vitrico ecclesie in Radzymyno, II sexagenas et XXII gr. in solidis, ecclesie in dicta Radzymyno debitas. Item Paulo, plebano in Crysko, IV ducatos in moneta. Item Nicolao, vicario in Zukowo, II sexagene in solidis certi debiti. Item Iohanni, familiari olim plebani, X gr. in solidis. Item mulieri Katherine pro capite patris sui occisi mediam sexagenam in solidis, cuius plebanus extitit fideiussor. Item Iohanni Skarzynski XX gr. in solidis pro fatigis, quas fecit racione derelictorum dicti plebani. Item II sexagenas ad ecclesiam in Radzymino pro tricesimis. Item ad claustrum monachorum in Plonsko XX[ti] gr. pro tricesimis. Item ad ecclesiam in Iunyecz sexagenam soli-

dorum pro tricesimis. Item librum decretalium plebano in Crisko pro debito III ducatorum et ad tricesimas dedit. Item V volumina librorum ecclesie in Radzymyno.

A. 1504, Ianuarii 3. in Płock in curia episcopali.

240. (Acta episc. VII).. Mgr. Stanislaus de Dambrowka, instigator officii Rmi.. dni Vincencii D. g. episcopi Plocensis.. produxit articulos infrascriptos contra mgrum Petrum de Chothkowo, plebanum in Vosznyky, quorum [tenor] sequitur in hunc modum:

Coram vobis Rmo.. dno Vincentio D. g. episcopo Plocensi.. contra Petrum plebanum in Vosnyki pro summaria informacione et summarie propono, quomodo ipse ab aliquot annis vitam scelestam ducens in hanc horam nullatenus eam emendavit.. prout hoc ex multis et iteratis deposicionibus testium et fama clamorosa et publica constat.

Et pro presenti anno et tempore est incontinens immo publicus fornicarius, sacrorum dierum etiam b. Virginis Marie scelere incontinencie prophanator et prevaricator, sui ordinis deturpator publice, notorie et manifeste, quod in scandalum Christifidelium vergit.

Item est percussor rixosus, ebriosus et per totum male vite et scandalose, quod cum suis patronis, clericis et aliis personis sue parochie rixatur, percuttitur et timendum est de sue vite periculo a multis, quod est publicum et notorium.

Item incensuratus et excommunicatus divinis officiis se ingerit et censuras non curat, immo in eis insordescit in scandalum Christifidelium et contemptum clavium s. matris ecclesie, quod est publicum et manifestum.

Item est taxillorum lusor et tabernarius continuus, quod sic fuit et est verum. Et aliis multis criminibus adeo est repertus, quod in eadem ecclesia non poterit commode sine dedecore ordinis clericalis et contumelia Salvatoris in eadem tolerari, et premissis existentibus veris ipsum dicta ecclesia sua, in qua tantum scandalosus est, privari et alias condigna animadversione puniri.

Ex adverso mgr. Petrus in Vosnyky plebanus nomine suo petivit copias et obtinuit terminum feriam IV^tam^ post Dominicam Octavas Epiphaniarum, allegavit etiam, quod dnus commissarius Rmi recepit contra eum testes sibi suspectos et inimicos capitales, quare sua Rma Dnacio alios testes decrevit inducendos super eodem negocio..

241. (Ibidem). Eodem die . mgr. Stanislaus Dambrowka, instigator officii, contra Iohannem, in Novigrodek plebanum.. proposuit verbo, quomodo ipse religionis Christiane et sue professionis primum in baptismo, deinde in suscepcione sacrorum ordinum et sue sacerdotalis dignitatis immemor ritus dyabolicos observat, libros nigromanticos et penitus fidei et religioni Christiane contrarios in loco venerabili sacramento deputato sericea tela, stola et cinctorio circumvolutos inter II pixices sacrosancti Corporis Dominici reponendo deservat; ex quo contumeliam Salvatori et religioni Christiane in tam damnato crimine nemini dubium est ipsum fecisse et intulisse, pro quibus ipsum heresis crimen notatum per Ptem V. Rmam pena condigna degradacionis et ultimi supplicii puniri nomine instigatorio petit.

Ex adverso dictus Iohannes plebanus respondit, quod dictus libellus fuit

michi traditus ad servandum et ego nesciebam ipsum fore talem, sed reliquias sanctorum vel lignum vite existimabam, quia sic solenniter fuit circumligatus stolis et ita michi fide data est deputatum commissum, quod illum non apperirem, prout ex litteris michi per dictum depositarium ad me iustificandum coram Rma Pte V. datis liquet. Quarum tenor sequitur et est talis:

Martinus Albinus de Misna bonarum arcium baccalarius honorabili viro dno Iohanni plebano in Novigrodek amico suo multum amando Ego Martinus Albinus de Misna notum facio vobis dno Iohanni plebano in Novigrod, quod iste res, que fuerunt apud vos relicte, nichil michi constat, nec precipue vobis, quod fuisset liber, sed putabam, quod fuissent reliquie sanctorum aut lignum vite propter circumdacionem solennem stolis diversis, que predicte res fuerunt misse per dnum ducem Mysnensem domino meo magistro generali in Kongesburgk, et ita me predictus dominus obligavit, ut dictas res sub iuramento non moverem neque religarem, prout date sunt, ut ad locum deputatum portarem, et ut michi contigit in recessu meo in Thorun pro disposicione rerum mei domini, tradidi vobis pro fideli custodia tales res, que taliter custodiri deberent, ne ab aliquo surriperentur; fuere tamdiu, ut donec dispositis rebus redirem ad vos. Cum iterum viam arriperem, dictas res, quas mecum, prout michi imperatum fuit, domino meo prius dicto presentarem, interim me absente veniens visitator recepit tales res, quas ibi in loco, ubi audivi, invenit, non tamen estimabam vos ibi custodivisse res, quas religavit et invenit aliter, quam nos estimabamus ex utraque parte. Hoc itaque negocium recognosco ita actum fuisse et non aliter, de quo ego male steti coram domino meo; ita actum fuisse sub iuramento et bona fide. Datum de Konsgesburgk anno Ihesu 1503 f. IV^{ta} ante festum divi Iohannis Baptiste.

Et dico veraciter, quod iste res non diucius permanserunt apud dnum plebanum in sua custodia, quam per III dies et tot noctes.

Et Rmus dnus bene super eo facto deliberatus, quia dictus Iohannes erat correptus infirmitate gravi, informacionem summariam de ipsius factis, si aliqua usus arte dicta fuerit, ibidem in parochia et locis circumvicinis recipiendam decrevit.

A. 1504, Iulii 8, in arce Poltoviensi in curia episcopali.

242. (Acta episc. VII). In nomine Dni amen. Sub anno Nativitatis eiusdem MDIV die Solis XVIII m. Februarii in villa Modzelye in domo testantis ego nobilis Mroceslaus sanus ex gracia Dei corpore et racione bona omnia, que protunc habui ex gracia Omnipotentis, ne per aliquos, ad quos non pertinent, rapiantur aut inter consanguineos meos aut fratres lis aliqua oriatur, sic disposui et ordinavi testamentum via, ordine, iure et forma, prout melius et efficacius potui et debui, feci, constitui sue ultime voluntati pro omnibus bonis meis mobilibus et immobilibus sub hac forma: primo reddens unicuique, quod suum est, in manus Dei mei animam meam licet scelere vulneratam commendo, in cuius remedium anime mee primo lego et [do] ad ecclesiam Makoviensem sexagenam, $^1/_2$ sexagenam cum V gr. apud Hedvigim nomine Podsandkowa, sed V gr. si[bi] dentur pro missis et $^1/_2$ sexagenam apud Petrum Lepych oppidanum Makoviensem ad eandem ecclesiam. Item ad Nicolaum Pruthny X gr., quos lego pro missis anime mee. Item sexagenam cum V gr. in mediis gr, quam michi tenetur nobilis Iacobus Micha-

lowycz, lego et do uxori mee Polonie. Item V gr. ad Iohannem de Pomasky lego et do ad obsequias anime mee. Item apud nobilem Paulum Budzynsky habeo sexagenam in mediis gr., quam lego et do sorori mee Hedvigi in oppido Makow et hoc ei lego et do ex mea bona voluntate. Item hereditatem meam cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus, pecoribus, pecudibus, agris, pratis et cum omnibus utilitatibus, proventibus, quibuscunque nominibus nuncupentur, lego et do fratribus meis germanis videlicet: Iohanni, Nicolao de Modzelye, et sorores meas videlicet: Magretam, Hedvigim, removeo alias *oddalyam* ab hac hereditate, quia iam satis eis feci cum fratribus meis supradictis. Item XVII gr. ad nobilem Laurencium de Modzelye lego et do ad obsequias. Item alias pecunias, quas habeo in libro terrestri reformatas alias *zaprawyone*, lego et do ad obsequias anime mee et patris et matris. Item de hereditate mea lego et do IV sexagenas in mediis gr. filiabus Gnyewosch et meis filiastrabus Olszynowyczam, videlicet: Margarethe, Hedvigi, Barbare, Anne, Katherine, Dorothee, Ursule, et istas IV sexagenas non simul et semel debent eis solvere, sed principaliter senioribus, demum aliis ad discrecionem annorum. Item fratrem meum nomine Gnyewosch removeo alias *oddalyam* ab hac hereditate, quia iam satis ei feci et persolvi unacum prenominatis fratribus meis. Acta sunt hec in domo testatoris coram nobilibus Martino Kownaczsky, Alberto de Modzelye sub annis eisdem. Amen. Ego Mathias vicarius Makowiensis hec omnia suprascripta unacum testibus audivi et manu propria me subscripsi in fidem omnium et singulorum et testimonium predictorum. Executores huius testamenti accipio michi fratres germanos Iohannem, Nicolaum et nobilem Albertum de ibidem ad disponendum omnia et singula, prout in testamento sunt contenta. Et hec omnia intelliguntur tunc rata fore, quando testans moritur.

A. 1506, Marti 28 et 29, in Plock in sinodo diocesana.

243. (Acta episc. VII). A. D. MDVI.. die vero sabbati ante Dom. Iudica ingressus Rmi.. dni Erasmi D. g. episcopi Plocensis in civitatem Plocensem de conventione generali Lublinensi et de legatione ad Sedem apostolicam peracta et feliciter in rebus regis et regni cum omni consolatione expleta, pro quaquidem dominica Iudica sinodus diocesana per suam Ptem instituta est solenniter celebrata et cum omni assensu et voluntate hec infrascripta sunt decreta et conclusa:

In primis contribucionem in provinciali sinodo pro tuicione et defensione regni institutam a marca argenti per II fertones approbaverunt et se soluturos submiserunt in manus vener. dnorum Nicolai Barthniczki custodis et Iacobi Lipoviecz canonici Plocensis pro Dominica Rogationum.

Item prelati et canonici totusque clerus pro dicta sinodo congregati consideratis expensis et fatigis, quas Rmus dnus in itinere ad Sedem sanctam apostolicam pro omnium commodo et utilitate subegit et fecit, voluerunt et decreverunt caritativum subsidium a marca argenti omnes beneficiatos per X gr., non beneficiatos vero, prout sunt vicarii manuales, per XV gr., alii vero presbiteri quicunque per totam diocesim per X gr. monete currentis [in] mediis gr. pro festo s. Iohannis Baptiste in manus eorundem ut supra exactorum anni presentis facere et dare sue Rme Ptis in consolacionem.

Item sua Rma Ptas statuit et ordinavit in eodem sinodo cum prelatis, canonicis et toto clero festa s. Erasmi episcopi et martiris gloriosi in illa sillaba »cel«

dictionis illius Mar. cel. le, que est dies tercia m. Iunii, a clero et populo solenniter, et s. Iohannis Elemosinarii a clero tantum celebrare et in illa sillaba »ci« illius diccionis Briccius, que est dies XIVma m. Novembris, et indulgenciis multis a Sede apostolica apportatis dicta festa privilegiavit et decoravit, que in bullis ecclesie et capella s. Erasmi in ecclesia Plocensi continentur.

A. 1506, Martii 31, in Płock in curia episcopali.

244. (Acta episc. Ia).. Testes ex officio examinati super vita et moribus Petri Lacheta presbiteri et Andree Swynyaglowa eciam presbiteri ad s. Bartholomeum et Mathie Marchyewka civis in Ploczko.

Primus testis dnus Stanislaus commendarius ad s. Bartholomeum.. deposuit.. quod vidit multociens mulierem Gomolczyna maritatam de domo Petri Lacheta exeuntem et intrantem audivitque maritum ipsius Gomolczyna coram eodem teste contra dictum Petrum querulantem, quod ipse separaret et esset causa separacionis uxoris ipsius ab eo.

Idem testis deposuit, quod Andreas Swynyaglowa servat unam puellam in domo nomine Barbaram, de qua vehemens est et communis suspicio incontinencie et scandalum exinde oritur non modicum, cum qua eciam hospicia intrat publice.

Idem deposuit, quod Mathias Marchyewka civis minus pudice cohabitat cuidam vidue Cothkowa, que iam prolem edidit ex eodem, de quo eciam scandalum oritur multorum, quia id publice fit et committitur.

Idem deposuit, quod Michael sartor civis, presertim cum est ebrius, blasphemat contra fidem et contra sedem apostolicam et contra statum spiritualem in eo, quod dicit contra fidem, quod neque regnum celorum neque infernus neque vita est post mortem, cum socio suo Iohanne fabro, qui est secte eiusdem.

Idem deposuit, quod audivit ex relacione duorum civium Stanislai Rok et Alberti Zyelonka, qualiter coram eis assereret et diceret, quod in hostia, quam sacerdos elevat, non sit Cristus verus, sed panis purus; et dicebat insuper: Sunt multi heretici et ego sum unus de eis.

A. 1506, Aprilis 20, in Plock in curia episcopali.

245. (Acta episc. VII).. Rmus.. dnus Erasmus D. g. episcopus Plocensis honestum Blasium de Gory pro stallis in ecclesia Plocensi more aliorum priorum fabricandis et elaborandis appreciavit, conduxit et convenit, qui a stallo quoque fabricato et elaborato est recepturus III ducatos, ad quod se summisit et obligavit ac ad acta presencia inscribi voluit et postulavit.

A. 1506, Aprilis 25, in Płock in curia episcopali.

246. (Acta episc. VII).. Conductus est Iohannes murator de Kyczky ex Franconia per Rmum.. dnum Erasmum episcopum Plocensem pro edificanda muro et testitudine capella s. Erasmi in ecclesia Plocensi. continuando et adequando primo hostio in transitu ad ecclesiam et parva sacristia eciam testitudinata, prout fundamenta demonstrabunt, faciendo circa duo latera eiusdem capelle *sczythy* cum armis Rmi domini et intra capellam duo arma cum infulis, faciet eciam arcus testitudinis ex lapide quadrato alias naturali, a quo labore accepturus est XX sexagenas in mediis gr. que dabuntur sibi successive: decem scilicet usque ad

complecionem murorum collateralium et tandem iterum alie decem successive, dum testitudinare inceperit, usque ad completam capellam et totaliter perfectam; in fine autem accipiet residuas IV sexagenas opere completo. Rmus vero dominus prius tenebitur eidem dare lateres, lapides naturales, cementum, arenam, ferrum, ligna et asseres ad testitudinandum ac omnia predicta conducere, ipse vero sua impensa tenebitur lapides naturales de monte excidere et pro laboris qualitate planare, solum vecturam seu conducturam Rmus eidem debebit.

Idem Iohannes conductus est per Rmum ad laborem duorum graduum ex lapidibus et gradus ipsi ex lapide naturali alias *czyoszany:* unus gradus ad thezaurum superiorem ecclesie supra altare s. Nicolai, alium vero gradum laborabit cum duplici fractura ad testudinem pro loco capitulari designatam, ubi eciam duplex hostium, sive postes lapides, construet eciam ex lapide et supra quodlibet hostium et super quemlibet gradum faciet arma domini Rmi.

Idem conductus est elevare altare maius et Corporis Christi et gradus VII anteriores ex lapide quadrato, prout in pariete designati et descripti sunt, ad que omnia perficienda et complenda daturus est Rmus dnus lapides, lateres, cementum, arenam et ferrum, a quoquidem premisso labore accepturus est et habebit XXVII sexagenas successive, prout labor exposcet, ita ut toto hoc labore consumato dabuntur sibi in fine residue VII sexagene; ipse vero sua impensa tenebitur lapides naturales de monte excidere et pro laboris qualitate planare, solum vecturam seu conducturam Rmus eidem debebit; hec omnia complebit et perficiet pro festo OO. Sanctorum.

Idem Iohannes conductus est per Rmum pro laboranda imagine et figura Crucifixi longitudinis IV ulnarum seu cubitorum et b. Virginis cum s. Iohanne et Maria Magdalena bono labore et perfecto, a quo habebit et habiturus est X sexagenas, ita ut dentur sibi septem successive et perfecto labore ac totaliter finito dabuntur tres residue, hec enim omnia complebit et totaliter perficiet pro festo Nativitatis Christi.

Item conductus est Blasius mensator alias *theszarzs* de Szyebnycz per Rmum ad laborandum stalla canonicalia cum antistallis vicariorum in modum et formam, prout sunt antiqua: septem videlicet ab una parte et septem ab alia parte, quodlibet stallum simul cum antistallo una sexagena cum media in mediantibus, supra quorum quodlibet faciet arma, prout sibi per Rmum dabuntur et designabuntur.

Idem Blasius faciet tria stalla pro Rmo modo pulcriori eciam cum testudine elevata, pro quibus accepturus erit V sexagenas in mediis gr. Et ipsemet comparabit ligna, bitumen et alia necessaria, solucionem vero habebit in hunc modum: inprimis dabuntur sibi V sexagene et tandem dum fuerit ultra medium laborem stallorum septem, ab una parte locandorum, dabuntur eidem due sexagene cum media, perfectis vero VII stallis integre et totaliter recipiet residuas III sexagenas, similiter a labore aliorum VII stallorum; dum vero incipiet tria stalla episcopalia habebit II sexagenas, quibus totaliter completis recipiet III sexagenas residuas. Hec omnia complebit et perficiet pro festo OO. Sanctorum.

Idem Blasius debet facere in capitulari sessione scamna cum tribus sessionibus et stallo episcopali elevando *futrovanye* circumquaque ad duos cubitus sive ulnas, solucio sua IV sexagenarum; si vero dabuntur sibi asseres a Rmo, extunc solum duas sexagenas recipiet.

Item conductus est Nicolaus pictor de Posnania per Rmum pro depingenda imagine Crucifixi alias modo debito et b. Virginem totum palium lazuro electo cum stellis aureis parvis et fimbriis aureis, s. Iohannem in palio rubeo cum raribus (s) aureis et s. Magdalenam totaliter cum auro, solucio sua erit sex sexagenarum successive, perfecto vero toto labore una sexagena residua sexta eidem dari debetur.

A. 1506, Maii 2, in Płock in curia episcopali.

247. (Acta episc. I a). Testes ex officio ad verificandum dispensacionem Nicolai Obidzinski super homicidio inducti.. deposuerunt..

Primus testis honor. dnus Andreas, parochialis ecclesie in Cameryecz rector, medio iuramento de casu homicidii Nicolai Obydzynsky deposuit, quod ante II annos tempore estatis vocatus fuit testis ad domum Nicolai in Myaczyno, ubi veniens invenit eum consedentem cum plebano Radzykowsky et inter colloquendum cepit narrare, quod pecunia IV sexagenarum esset sibi subtracta, et incontinenti fecit accersiri et vocari et adduci unum familiarem suum, qui adductus est ligatis manibus, et cepit dicere ad testem et plebanum Radzykowsky: Hic est fur, qui subtraxit michi pecuniam; et apprehenso viatico voluit eum percutere, sed testis prohibuit, rogans eundem, ut a tam atroci negocio abstineret, eciam pollicens sibi cum dno plebano Radzykowsky dicte pecunie subtracte in recompensam de propriis solucionem. Interrogavit eciam eundem familiarem, quonam fecisset pecuniam furatam; qui respondit: Non sum furatus, sed ad servandum dedi seu commisi uni ancille in Vyszegrad. Et exinde rogavit testem, ut secum Vyszegrad accederet, quod et fecit die sequenti; et dixit testis, quod vidit venientem in Vyszegrad metquartum Nicolaum et dictum familiarem insedentem post tergum unius ex sequacibus suis ligatis manibus, quem testis avisavit et rogavit, ut eum solveret, ne ea occasione accepta per civitatenses suspenderetur, et inter cetera fuit testis in castro coram capitaneo et consilio eiusdem, cum testis factum dicti familiaris honeste excusaret in hec verba: Dne capitanee, dnus Nicolaus commisit huic familiari suo cistulam cum pecunia custodiendam et servandam, qui ipsam pecuniam puelle tradidit ad servandum, rogamus Dnationem tuam, compellas hanc puellam ad restitucionem eandem; ipso dicente ad testem: non est ita, sed hic subtraxit michi pecuniam; teste id inculpante et quod faceret et diceret periculose. Et tandem ancilla et familiaris fuerunt in castro retenti. Testis autem abiit in domum suam et interrogavit post aliquot dies testis Nicolaum: quid actum esset de familiari suo; qui respondit eidem: dimisi eum liberum, et ipse inscripsit se dictam pecuniam soluturum. Tandem in die s. Crucis audivit testis in Zakroczym a dno Dunyn Golavynsky referente testi et dicente: Plebanus Nicolaus Myaczyno rusticum interfecit; teste dicente et non credente et quod hoc diceret ex iniuria; et ille dixit: Certissimum est, quia iam exhumatus inventus est. Interrogatus testis, quid sciret de facto vel audivisset, respondit: Alii alter autumant, alii dicunt: interfecit, alii: suspendit, et alii dicunt: se solum suspendit, — casum certitudinaliter nescit nec testi revelavit aliquando.

A. 1506, Iulii 10, in curia episcopali.

248. (Acta episc. I a).. Testes in causa matrimoniali inter Petrum Choynowsky et Annam de Rozan Mlodosthovna.. examinati:

Primus testis nobilis Nicolaus Miluna.. summarie deposuit, qualiter venerat ad Andream Ponykyevsky cum filio suo, qui debuit sponsalia contrahere cum Margaretha de Nyeszyebadi, prout contraxit, et sic intrantibus in stubam albam positum est tapetum in terram ante tabulam seu mensam et post mensam pulvinar alias *vesglovye*, ibidemque dnus Paulus curatus in Rozan accepta stola fecit venire puellas, que in camera erant flentes, lamentantes, et sic interim Margaretha exivit et Anna recusante exire de camera, cum illam dudum spectabant, intraverunt duo avunculi, videlicet Andreas et Abraham, et ibidem erunt uxores illorum, qui omnes eam castigantes percusserunt et expellebant, ut veniret ad Margaretham, que copulabatur, alias *w druchny*, que cum noluit exire, causam sciencie reddit, quia vidit, quod trusa est per eos de camera, quod recidit post fornacem et demum adducta per Andream avunculum et Bartholomeum Skroboczky statuta penes Margaretham, que protunc copulabatur. Et tunc dnus Paulus curatus de Rozan cum iam copulavit Margaretham, vocavit Petrum Choynowsky, qui statim accessit, et sic volente copulare Anna noluit respondere, sed flebat amarissime dicens: Quid hoc michi facitis, pocius me interficiatis; demum spectante, ut responderet, deposuit testis, quod stans ibidem non audivit eam respondentem aliquod verbum, sed mulieres dicebant plebano: Copules, respondit. Matre similiter flente, quia per vim et sine voluntate sua et filie avunculi faciunt, ut copuletur filia sua. Et tunc plebanus matrem obiurgavit et increpavit, dicens aliquociens: *Bydlo*. Ulterius nescit..

Secundus testis nobilis Bartholomeus de Skrobodzyno.. deposuit.. quando consobrina sua alias *szyestrzanka* debuit desponsari, ipse testis cum avunculo in Rozan dixerunt puelle Anne Mlodosthowna: Equita nobiscum in Ponykyew, eris mee consobrine *druchna;* et ipsa intelligebat, quod ipse debuit fuisse ibi, cui eam promiserunt desponsari, et sic recusabat equitare; avunculo dicente: Dyabolus eam rogabit; et sic per vim et violenter fecit eam ascendere in currum ad testem; cum iam ibi erant in Ponykyev, dnus plebanus mandavit, ut ponerent tapetem in terram ante mensam et accipiens stolam vocavit eas de camera, ut copularet, et sic Margaretha exivit et Anna ullo modo voluit flens, manibus frangendo; tunc intraverunt avunculi et sic ceperunt eam percuttere. Cum audivit testis, quod eam maxime percuciunt, irruit in cameram et dixit eis: quid melioris facitis; et sic accepit eam per unam manum et levavit illam et Andreas avunculus per aliam manum et adduxerunt penes Margaretham, que copulabatur. Cum iam copulavit Margaretham, dixit sibi plebanus, ut ipsa eciam respondeat; que dum noluit respondere, spicigabatur per mulieres uxores avunculorum eius, ut responderet. Cum plebanus voluit discedere, dicebant ille mulieres: Iam respondit, dne plebane, copuletis. Tamen testis non audivit eam respondentem aliquod verbum, solum: Ve michi et *gorze mnye*, pocius abscindatis michi collum et interficiatis me..

Tercius testis Stanislaus de Omolva.. deposuit, quod erat rogatus per Felicem Zalasky, ut veniret ad eum, et invenit eum Felicem in Rozan, tunc Andreas Ponykyewsky rogavit ibidem in ecclesia ambos, ut venirent cum eis in Ponykyew propter hanc causam, quia volo maritare [consobrinam] meam alias *szyestrzanka*. Cum iam erat post prandia ibidem in Ponykyew inter locuciones ad puellam Annam recusantem maritari cum Petro Choynowsky, mater Anna rogavit testem, ut diceret sibi videlicet Petro Choynowsky, quod cessaret ab hac re, quia puella ullomodo vult ad eum consentire, et fecit dicere, quod tibi solvam omnes fatigas,

quas fecit equitans hincinde, scilicet in Rozan, Ponykyew, volens eam habere et propter [hoc], quia tenebatur in pollicitacionibus; cum sibi testis dixit, ut commissum sibi erat, respondit Petrus: Bene, quomodo sibi videtur, cum ipsa non tam parvus mundus est, ut videtur in fenestra. Cum hoc audivit Paulus plebanus de Rozan et Andreas avunculus suus [dixerunt]: Quid hoc est ibi, non erit voluntas sua in hoc, sed nostra. Et sic intrantes in cameram inceperunt eam percutere et demum educta de camera per Bartholomeum de Skrobodzyno et Andream avunculum suum Margaretha protunc copulanda, educentes dicebant: Non timeas, eris *druchna* nostre Margarethe. Cum iam copulata fuisset dicta Margaretha, plebanus dixit: Respondeas eciam tunc et tu. Que iterum incepit flere dicens: Pocius me interficiatis. Testis non audivit ab ipsa. ut ipsa aliquod verbum respondisset, sed audivit, quod mulieres stantes dicebant: Iam respondit. Teste sero adveniente testis fecit eis stratum, et quando ducebant in cameram, similiter lamentabiliter flebat repetens aliquociens: Ve michi, pocius me interficiatis. Et sic per eum inducta ad eum in cameram. Quando testis audivit, quod ipsa non iacuit, sed in angulo alio ambulavit, stans penes hostium finxit sibi vocem, ut mater, dixit sibi: Quid facies, quare non iaces. Et ipsa clamando rogabat: Rogo vos propter Deum, mittatis me. Et ulterius nescit, quia recessit, sed mane venit et ipsa dormivit in alia camera cum mulieribus, et ibidem audivit, quia per haurigam in media hora citra vel ultra dimissa est ab eo.

Quartus testis Nicolaus de Gacz Rzechovo.. conformat [se] cum precedentibus, causam sciencie reddit, quod percuciebant, ut exiret de camera ad copulandum, quia stetit in hostio camere, quando iam ducebatur in cameram ad eum dormientem dicebat: Pocius me interficiatis; et non fuit ibi in camera mediam horam et sedebat in alio angulo flens et ille in alio iacebat; et ut Anna prefata audivit vocem hauridze, peciit eum, ut eam aperiret, dicens: Depone cathenam de *skobla;* et fecit hauriga, et illa exivit et venit ad sororem testis et sedebat penes eam et post modicum tempus exivit eciam Petrus ille et venit ad testem et dormivit secum usque ad diem.

A. 1506, Iulii 24, in Poltowsk in curia episcopali.

249. (Acta episc. VII). In nomine Dni amen. Sub a. D. MDVI.. VII m. Iulii. Cum nichil cercius morte et nichil incercius nisi hora mortis, quia nescit homo, ubi, quando et quomodo mori debet, igitur ego Iacobus, plebanus in Clambowo et heres de Umyas·hovo, sanus protunc mente et corpore, timens, ne me contingat maxime in hac etate senili decedere intestatum, propter quod guerre, lites et r[ancores] meis propriis pro derelictis orirentur, per quos forsitan detrimentum mee causaretur anime; quare de singulis bonis rebusque michi a Deo collatis, si me contigerit de hoc seculo migrare, finale facio testamentum ultime voluntatis mee sub hac forma verborum: Primo et principaliter in manus sanctissimas dni Dei omnipotentis et matris eius benedicte committo meam peccatricem animam.

Item lego ecclesie mee in Clambovo missale novum magnum pergameneum bene dispositum. Item [lego] eidem ecclesie sermones discipuli cum de Sanctis, in quibus ego multis annis laboravi. Item eidem [ecclesie] novum calicem argenteum in valore VII sexagenarum. Item pargamenum pro duobus se[xternis] pro graduali, quod habetur circa dnum Iohannem Voynowsky in Poltowsk. Item eidem

lego ornatum de examento cum auro, quem emi pro meis propriis pecuniis. Item alium rubeum a[damas]kovy donatum per dnum pie memorie Urlych, civem Warszoviensem, ut sit memoria [de] anima ipsius. Et idem Ulrych donavit eidem ecclesie calicem argenteum. Item eidem ecclesie lego cistam nigram novam meam propriam valentem III florenos pro conservandis rebus ecclesiasticis et cisticulam cum iuribus et aliis munimentis, decretis, concordiis, sentenciis et metri[cis], quas ego cum propriis expensis et difficultate gravi acquisivi pro defensione ecclesie in Clambovo; cistam committo victricis unacum dno Stanislao Volyensky. Item lego eidem [ecclesie] apes omnes cum excrescenciis pro disponenda cruce argentea, in qua debet esse monst[rancia], et hoc exceptis octo truncis, de quibus lego pro futuro plebano IV truncos et g[ermano] meo Stanislao de Umyasthowo IV truncos, qui stant prope fontem. Item miss[ale] antiquum pergameneum, quem concessi mgro Stanislao Markovycz plebano in Pokryth, [ipse] reponat ecclesie in Clambovo.

Item pro altari de novo fundato per me in ecclesia collegiata s. Iohannis Baptiste in Warszova primo lego cistam albam novam pro conservandis rebus dicte [ecclesie]. Item lego II ornatus: unum cum auro alias *camchovy* et alium simplicem. Item ar[gentum] purum videlicet VIII coclearia, fractum argentum valens marcam unam argenti pro com[parandis] calice et aliis necessariis dicti altaris, quod argentum repositum est ad Lothvyk. [Item] lego pro eodem altari decem sexagenas gr. in mediis gr., que sunt in eadem cisticula cum sup[radicto] argento apud eundem Lothvyk. Item unum stamen thele alias *plothna* labore lythvanico pro necessariis dicti altaris. Item lego missale parvum meum proprium. Item ceram unum lapidem pro eodem altari, que est cum aliis supradictis apud Lothvyk.

Item lego II sexagenas pro tricesimis ad s. Bernardinum de eadem cisticula, que est [apud] Lothvyk et unam pullam mellis mundi continentem plus quam medium alterum manuale et unum porcum. Item lego pro tricesimis ad s. Martinum, ad s. Spiritum, ad b. Virginem, ad s. Georgium per mediam sexagenam. Item pecuniam, que est [apud] Msczyskam in Umyast[hovo] alias Spaky, qui vendidit II acervos siliginis in predio meo Umyasthovo, ut dictam [pecu]niam reponat pro hospitali ad s. Spiritum, ut orent pro animabus parentum meorum.

Item lego Margarethe nepti mee plumaticam magnam et lodicem longum alias *polavy*... iam datum est Item lego pueris Falek nepotibus meis II sexagenas gr. in mediis gr. [Item] pueris Viti in Lyaskovo III sexagenas ad tunicas. Item lego Iohanni Obel bovem iu[venem] et vaccellam et II sexagenas, quas michi tenetur Andreas Szyvnyczsky et IV oves, [unam] scrofam antiquam et III porcellos. Item eidem lego equum album nochum.

Item Andree Zavaczky nepoti meo lego equum nochum *szyvy*, pro quo michi tenetur VI sexagenas, et eidem lego scutellas stanneas maiores et I vaccam antiquam, II boves et iuvenem vaccam et IV [vitellos]. Item Nicolao fratri meo Zavaczsky sexagenam apud dnum Nicolaum Czyrznyakowsky; de isto sciunt Volunsczy et de aliis commisi executoribus cum pro.... de mobilibus.

Item lego Stanislao Clambowsky acervum siliginis in Dilcovo et II scutellas stanneas mediocres et canterum stanneum magnum, cum naso et calidar parvum et alia commisi executoribus, ut eum provideant, prout eis videbitur melius.

Item pro futuro plebano lego acervum siliginis, qui in domo stat, et alia, que in horreo sunt, unam vaccam antiquam et aliam iuvenem et II boves et

equum nochum alias *gnyady;* et calidar magnum et alia necessaria domestica et capones medietatem et medietatem pro presbiteris. Item acervum de tritico mei proprii laboris in oreo plebanali pro futuro plebano.

Item Andree Rzanczcza kmethoni meo lego bovem alias *nyeuk* de Umyasthovo cum cauda alba et eidem lego vaccellam iuvenem alias *lysza*, et alia necessaria hoc est carpentaria et unum truncum apes iuvenes et de omnibus debitis alias *zalogy* quitto eum et exiendo de debitis dabitis ei I sexagenam. Item Nicolaum Strychovycz unacum patre ipsius quitto eos de omnibus et de *zaloga* et eciam Iohannem Brothka quitto eum de omnibus debitis unacum *zaloga*, pro quibus fuerunt obligati in iudicio bannito.

Item Stanislao laicello parvo, qui apud me moratur, filio olim Martini de Rzasnyk, cuius pater servivit michi per aliquot annos, lego ei III sexagenas in mediis gr. de certis meis pecuniis, et idem habebit mediam terciam sexagenam apud dnum Lathochorzewsky pro capite patris ipsius pueri, de isto sciunt et fideiusserunt Marcus de Orly et Paulus Lisszyczky antiquus et alii quam plures, qui fuerunt protunc in concordia patris eius, videlicet Iohannis Falek Umyasthowski et omnes kmethones de Umyasthovo, Traczyreyovo. Item Iohanni fratri eius, qui moratur apud sororem suam Iechnam lego sibi tunicam flaveam matris eius et I sexagenam gr. in mediis gr., qui est in Szyelyonky. Item Hedvigi, que michi servivit per aliquot annos, I sexagenam. Item acervum siliginis in Crasszovo lego Andree nepoti meo de Zavadi. Item lego equum magnum nochum alias *plovy* vendere pro necessariis ecclesiasticis et meis. Item tunicam novam alias *brunathna* novi coloris, in qua quelibet ulna pro XXII gr., lego eam Iacobo Clambowsky. Item alia vestimenta parva pro pueris dni Clambowsky.

Item Iacobo vicario in Clambovo de Obramb lego szubellam communem alias *szarą* subductam *krolyky*, et de eodem panno sunt II ulne, si brevis fuerit, reformet dicto panno. Item iopulam flaveam, capucium flaveum magnum eidem lego. Item pelliceam vulpinam alias *zavoykovy*, que est apud pellificem Vykyel in Warszova, lego vendere pro necessariis meis et anima mea et committo disponere executoribus. Item residuum de dictis vulpibus, sicut sunt dorsa *brzuszka* et pedes, que ad eundem pellificem sunt, lego Iacobo vicario meo Obrampsky. Item ad Caspar Kropczycz habeo XI sexagenas gr. in mediis gr. cum media, in quibus pecuniis II$^1/_2$ sexagene sunt Iohannis Traczyrey pie memorie, quam pecuniam reponant pro sua anima et IX sexagenas reponant ad executores. Item XVI flor. eciam repono ad executores et ipsi bene informati sunt per me, quid debent [facere] cum dictis florenis.

Item lego Szywnyczka, qui apud me moratur, II sexagenas gr. in mediis gr. Item lego certum debitum in Tlusczyecz, hoc est V sexagenas gr. in mediis, super homines, quas michi tenentur solvere et obligaverunt se per dnum Michaelem Kalyensky tenutarium in supradicta villa, qui homines obligaverunt se in iudicio bannito de bono esse reponere et eciam in iudicio seculari, qui protunc fuerunt iudices secundum cursum terre, videlicet Andreas Szokolowsky et nobilis Cristhek de Sluzevo et nobiles Iohannes Szephranek, Philippus et Iacobus Szephrankovycz de Kosky et nobilis Stanislaus Clambowsky, et coram aliis quam plurimis protunc existentibus, quas V sexagenas lego pro cruce disponenda argentea, ut supra, et IV florenos, qui sunt apud Tworzyan in Lyaskovo Troyanovo super eandem crucem.

Item pecora, que sunt in numero octodecim, de his executores debent [disponere] secundum priora legata, residuum dare vero istorum omnium disponant et regant secundum ipsorum voluntatem; similiter et oves, que sunt triginta sine una; similiter et scrophas, que sunt in numero XXVII, de quibus eciam lego Iacobo vicario III porcellos et alias erogent pauperibus cognatis meis coataneis et aliis servis meis, ista omnia committo executoribus disponere et semen canapi et de lana III lapides. Item de melle tria manualia lego pro necessariis, hoc est pro medietate emant ceram pro ecclesia in Clambovo et medietatem dent pro anima mea. Item estivale novum pro plebano Radzymynsky et breviarium et alia, quecunque sibi placuerint. Item equam iuvenem *szyvy* super certa debita vendant executores. Item currum alias *rythwan* cum omnibus attinenciis lego mgro Stanislao Marcovycz plebano in Pocrythky. Item legumina et decimas, que deberent venire ad me secundum ius spirituale, hoc totum executoribus lego. Item pro pueris Obel emant duo stamina panni executores. Item viaticum magnum lego pro futuro plebano. Ad quod testamentum ordinandum et iuxta ordinacionem meam disponendum per omnia hec iam legata et certa ac paratis pecuniis, que et quas legavi et notificavi, eligo, constituo et decerno honor. dnum Stanislaum plebanum in Redzymyno et generosum ac nobilem dnum Stanislaum heredem in Volya Rasthowska et Iacobum discretum de Obramb protunc vicarium in Clambovo in suos veros ac legitimos executores, dans eisdem omnem potestatem, facultatem disponendi.. omnia et singula facta et ordinata per eosdem executores [promittens] rata, grata habere, tenere et inviolabiliter observare..

Item secuntur certa debita eiusdem plebani in Clambovo: Item dnus [Tworzyan] de Laskovo Troyanovo tenetur michi IV flor. in auro et boni ponderis, qui [sunt] concessi super VIII coclearia argentea, que coclearia reponi [debent] apud executores. Item mol[endinator] Pyanka tenetur michi XXV gr. et reponat in manus executorum. Item [domina] antiqua de Krosze tenetur michi X gr. de paratis pecuniis et reponat ad executores. Item faber Andreas de Kobylka tenetur michi X gr. et si necesse fuerit aliquid [laborare], laboret pro eis. Item Martinus Sabel de Krassovo tenetur michi mediam marcam et reponat fertonem executoribus. Item Abraham Fatiga tenetur michi I sexagenam et uxor [ipsius] unum manuale de melle, reponat pro tota summa II manualia de melle. Item Volensczi [tenentur] michi medium sexagene et I porcum valentem; et Iohannes Volyensky tenetur m[ichi] medium sexagene et dorcam pro acervo siliginis; remitto sibi omnia propter Deum pro pueris. Item Paulus Szolthek de Chayathy tenetur michi XX gr. et remitto sibi tantum: viginti gr. Item socius eius Nyeczko de ibidem tenetur michi mediam sexagenam et idem reponat [executoribus]; et alii homines de Chayathy et de Dambrowka petant executores meos. Item Stanislaus de Carnyevo presbiter, protunc vicarius in Koprzywnycza, tenetur michi mediam sexagenam [cum] VI gr., de isto scit Bobenk de Iaschenycza cum suo socio et ipse reponat mediam sexagenam. Item dna Drusbyczova tenetur michi I flor. pro viro suo Iohanne olim Drusbycz Item Nicolaus Szephrankovycz tenetur michi XL gr. et duos; reponat u[num] fertonem Iacobo vicario in Clambovo.

Item debita in Poznaniensi diocesi: Primo pie memorie Iak Volsky una[cum] filiis suis tenetur michi XXX lasthos de pice recenti et pro aliis, pro quibus .. citaveram eum ad acta dni archidiaconi et officialis Warschoviensis mgri

Nicolai, prout et nunc ibi stat; et ipse Iak obligavit se pro dicta pice michi in pecuniis in medium villam Porath, et sic post mortem dicti Iak uxor cum filiis receperunt pecuniam a dno canonico Prasmowsky iuxta obligacionem, quam habuit a Srmo principe Boleslao, prout lacius habetur in obligacione et sic totam summam receperunt et pro parte mea, quam de[buerunt] michi reponere pro dicta pice, nichil reposuerunt, et si nolunt dicti filii Iak amicabiliter componere, tunc reponant terciam partem, et alia permitto propter Deum aut ultra, sicut videbitur meis executoribus, quibus committo. Item heredes de Borovycze: Martinus Losznya et alii fratres eius tenentur michi X flor. in auro boni ponderis pro patruo suo Iacobo olim plebano in Szeroczecz, quos ipse receperat apud me ad exemendum hereditatem dicte (s) Wloky ibidem in hereditate sua et non s[olvit] michi solum XL choros siliginis, super hoc testes sunt vivi, quando sibi communicavit.... Stanislaus presbiter de Pathky et Andreas Volunsky, coram quibus recognicionem fecit, [quod] volunt amicabiliter componere cum bono esse, reponant medium pro necessariis altaris in V[arszova] ad dnum decanum. Item dnus Warszovyczky tenetur michi II flor. in auro pro dno Iacobo patruo suo.... alias Zaborowsky, et de isto scit Philipus de Cosly et Stanislaus de Umyasthow Vogloscz... et alium debitum tenetur dicto olim fratri meo Myklasz de Lythphania, prout lacius habetur [in] regestro suo seu memoria mei fratris dni Nyklasz. Item nobiles dni Szobyensky videlicet *pothkomorzy* olim unacum Iacobo fratre magistro coq[uine] tenentur fratri meo Nyklasz pro palceis vulpinis et aliis, ut ipsi soli melius sciunt et ut in [regestro] fratris mei lacius continetur, si volunt amicabiliter componere, hoc committo executoribus meis..... cum eis componere. Item nobiles filii dicti olim Warszewsky pro patre suo tenentur debitum pro II tecturis [alias] *namyothy*, qui taxabant XX flor. et pro equo *sivi* nocho, quem apud eum emit, quando cum.... ad bellum equitaverat pro XII sexagenis et *uncslop*, quem habuit a rege Polonie et a re[ge] Bohemie Vyrzyk, tenentur michi XX flor. et alia, prout habentur in memoria testatoris. Item Silvester Warszoviensis civis necnon heres in Slopno tenetur michi X flor. pro ambulatore *szyvy*, quem apud me emerat olim Olbracht et non fecit michi solucionem pro dicto ambulatore et dictus Silvester remansit in omnibus bonis eius et possidet tam in civitate, quam hereditate [Umyasthowo]. Item lego catheliconem ad meum altare in Warszowa, ut ibidem applicatur pro informacione stud[encium]. Et de aliis omnibus debitis supra legatis et scriptis committo executoribus, ut disponant et ordinent pro anima olim fratris mei Nyklasz et animabus parentum meorum, et hoc fa[cio] cum consilio bonorum patrum et aliorum bonorum hominum etc.

Ego Iacobus de Granycze plebanus in Clambovo hoc presens testamentum seu ultimam voluntatem confeci quamvis manu alterius, tamen tanquam propria, et ratum firmumque fieri et teneri volo. In cuius [rei] testimonium propria manu me subscripsi et insuper sigillo sigillavi et roboravi. Anno [die et] loco, quibus supra.

A. 1506, Octobris 2, in curia episcopali.

250. (Acta episc. Ia).. In causa honor. dni Navogii Costhka contra Andream de Glynky condam commendarium in Wanschosche testes.. examinati:

---

[1]) Opuszczenia zostały spowodowane przez obcięcie bocznego marginesu kart rękopisu.

Primus testis honor. dnus Nicolaus de Orzechovo commendarius in Gan szevo.. dixit proposicionem simpliciter veram, quia erat presens quando venerant ad ecclesiam et deposuit, quomodo solum tres intraverant ad ecclesiam et alii stabant penes hostium et alii se occultabant, et postea audivit a dno Petro vicario in eadem Wanszoszche et ab organista de ibidem, quomodo tantas comminaciones faciebat in versus dnum doctorem deturpans illum in omnibus locis, ita quod audiens tantas minas dicebat ipse Petrus vicarius: quod ego non suaderem aliter dno doctori venire, solum in XL equis, quia Andreas commendarius ita subordinavit, quod interficietur. Deposuit eciam testis, quando fuit in capitulo et ibidem audivit, quod quando dixit sibi Andree commendario dnus doctor Costhka: Portavi monicionem super te, quod *przthnknal*, dicens: Tu super unum, ego super te decem; — quod monitorium postea vicarii in ibidem non audebant exequi, usque testis executus est. Et sic eis dno doctori et testi dicebant sacerdotes, organista et alii iuvenes ministri ecclesie et amita testis, cum cognovit Zachariam fratrem germanum dicti dni Andree commendarii, ne exeant de ecclesia, quia interficientur; et sic dicta amita testis veniens ad Zachariam dixit sibi: Haud hoc sic facitis Zachariasku; et sic alter stans penes Zachariam dixit: Habemus hic in ecclesia duos ursos interficere alias *uklocz;* et sic sacerdotes, organista dicebant dno doctori et testi rogantes propter Deum, ut intrassent zacristiam. Et tunc dnus doctor misit ad cives rogans et dicere mandans eis, quia tenemini securitatem ecclesie defendere, ut eum iuvarent et essent penes eum; qui venerunt et postea organista unum hostium et aliud amita testis serarunt alias *zachlapyly;* et sic isti, qui debebant interficere dnum doctorem, cum viderunt, quod cives congregantur, equitaverunt vias et dno doctori et testi dixerunt: postea cives et alii ne expectent noctem, quia erit peius. Et eciam testis audivit ante violenciam factam, quando in capitulo litigabantur verbis, quando sibi Andree dnus doctor [dixit]: Tu me sciens plebanum vivum peciisti illam apud Iacobum Glynka capitaneum Visnensem; qui respondit, quod pecii. Tunc dnus doctor dixit: Tu iam, si mortuus essem, es inhabilis ad hoc beneficium. Respondit Andreas: Et tu quomodo in illam intrasti. Et sic de capitulo exiens recte equitavit ad Zebri ad dnum Polykowsky cum tunna cervisie, quod erat die Veneris, et illi venerunt Sabbatho.

Secundus testis discretus Leonardus de Ganszovo scit necessaria salutis et in generalibus debite expeditus non deponit causa odii, timoris etc. dixit proposicionem esse veram, quia audivit a quamplurimis hominibus, et ibi erat publica vox et fama; testis ideo non erat presens, quia mandatus erat per dnum doctorem ad conscribendum decimas in parochia et venit ad unam villam Sczuky et ibi vidit istos, qui debebant interficere dnum doctorem congregatos in domo apud Petrum Bączk, et reveniens ad dnum doctorem narravit sibi; cui respondit dnus doctor: Detis michi pacem, solum territis. In crastino testis similiter equitavit et demum in via unus nobilis testi obvius dixit: revertas, iam dnus plebanus est obsediatus in ecclesia; et sic testis venit et invenit eum seratum in ecclesia, et sic ibi testi narratum est, quia dicebant, quando discedebant: Dne plebane, fac sonare campanas familie, quoniam mandasti ad decimandum; et eciam testi dictum est, quando venerat cum contumacia, quod postridie venerant et querebant in scolis, ut aliquem interficerent; et tantum testis deposuit.

A. 1507, Iulii 5, in Zlotoria in curia episcopali.

251. (Acta episc. Ia). Deposiciones testium super presbitericidio in in decanatu Czervenensi; examinati per vener. dnum Iacobum Czyolek canonicum Plocensem:

Primus testis honor. Iohannes plebanus in Wrona.. interrogatus si scit, intellexit aut ab aliquo audivit, quomodo et quando et ob quam causam et per quem sit occisus Martinus presbiter, respondit se non interfuisse nec vidisse, cum delictum fuit commissum; audivit tamen ex fama notoria et eciam specialiter a dno Adam Radzimynsky patrono rustici, qui delictum commisit, quod prefatus rusticus vocatur Andreas Lathka de Boguslavycze, et ipse rusticus nulla habita causa saltem legitima contra prefatum Martinum presbiterum euntem de oppido Plonsko prope villam Syedlyno feria III ante festum s. Iohannis presbiterum violenter cum lancea invasit et eundem sub ascellam atrociter vulneravit, ex quo vulnere illico obiit inconfessus et intestatus. Interrogatus, si dictus presbiter habuit aliquid in bonis et quis illa dispensavit, respondit, quod unde faceret testamentum non habuit, quoniam pauper erat. Interrogatus de bonis rustici respondit, quod omnia bona dominus ville videlicet Adam Radziminsky tenet sub custodia et ascendunt bona laici computatis singulis ad summam XXX sexagenarum citra vel ultra, causam sciencie reddens, quia rusticum novit et illic in Radzimino testis commendam parochialem tenet.

Secundus testis laboriosus Martinus Cusno de villa Probosczevicze.. interrogatus, quid sibi constaret de Martino presbitero noviter interfecto respondit, quod f. III ante festum s. Iohannis Baptiste testis fuit rogatus per prefatum Martinum presbiterum, ut eum ad oppidum Plonsko conduceret et reduceret in domum, et cum testis peractis et compositis rebus suis in foro cum presbitero domum remeassent, extunc quidam Andreas Lathka homo sceleratus de oppido cum lancea et gladio testem et ipsum presbiterum fuit insequutus, et postquam appropinquasset ad currum testis, in quo presbiter simul consedit, proclamavit dictus sceleratus, quod cum teste nichil vellet facere, duntaxat cum presbitero; descendente itaque presbitero de curru et se tueri volente, extunc ipse sceleratus homo lancea ipsum vulneravit, ex quo vulnere ad terram fuit prostratus et illico mortuus inconfessus. Interrogatus, si scit, an habuerit aliqua bona, dixit, quod erat pauper presbiter et defectuosus, laicus vero videlicet dictus presbitericida dives et novit testis bene personam illius et constat sibi de bonis suis..

A. 1507, Iulii 22, in Poltowsk in curia episcopali.

252. (Acta episc. VII). In causa mgri Iacobi de Brzoze consistorii Poltoviensis causarum procuratoris contra honestum Zuchora proconsulem Poltoviensem, Iacobus de Brzoze prefatus.. verbo proposuit, quod quamvis prefatus Iacobus ab annis, quibus ad discrecionem pervenit, sit bonorum nominis et fame, condicionis et conversacionis honeste in diocesibus Wladislaviensi et Plocensi inter homines status utriusque spiritualis et secularis bene et laudabiliter presertim in consistorio Wladislaviensi multis annis existens notarius conservatus, prout pro tali habitus, tentus et observatus et hodie.. tenetur et observatur; nichilominus tamen prefatus Zuchora.. honestatis Iacobi prefati et sue immemor anno presenti mense die certis publice ante domum suam coram personis sexus utriusque voce sonorosa ipsum

Iacobum falsum notarium appellavit, dicens et asserens ipsum falsificasse quoddam testamentum olim Hannus sartoris et ipsum fuisse expulsum de diocesi Wladislaviensi, licet false et minus iuste. Quamquidem iniuriam et infamiam ad animum revocando extimavit ad C ducatos puri auri.. petens ipsum in eisdem racione emende condempnari et ad revocandum publice in ambone, sicut publice infamavit, cogi et compelli. Et ibidem prefatus Zuchora obtinuit terminum deliberandi ad primam.

Item contra eundem proposuit, quod quamvis domus prefati Iacobi inter domos providorum Thabor et Noszylsky sita ex suis parentibus videlicet patre et matre a diutinis temporibus sit in bono et laudabili honore et successive per ipsum conservata, prout hoc vicinis et omnibus oppidanis in Poltowsk morantibus, prout et prefato Zuchora constabat et constat, nichilominus tamen idem Zuchora magis ac magis eidem Iacobo iniuriari volens superius descriptis non contentus iniuriis.. anno eodem die certa Iulii f. III ante Margarethe.. eidem Iacobo focariam, que ipsius sorori et anteea vicinis eiusdem per multos annos hicidem in Poltowsk servivit honeste, nullo iure super inhonestate presertim in domo ipsius prefata convictam, a precio et servicio per suos famulos civitatis violenter in domo eiusdem adhuc recumbentem et vi recipi iussit et mandavit et eadem recepta ad carcerem duci et demum de carcere educta ad locum inhonestatis, alias *praglerz*, poni et statui iussit et in manus tortoris iussu suo tradi procuravit et de civitate per tortorem per atrocissimas percussiones licet minus iuste in dedecus domus eiusdem Iacobi [expellere], cum hocidem domus sua et ipse Iacobus et eciam prefata focaria, presertim dum in domo ipsius manserat, non promeruit; extimat infamiam et iniuriam sibi et domui sue, ipso tunc ab oppido Poltoviensi absente et curiam Rmi dni Episcopi insequente usque in Slothoriam, [irrogatam].. ad C ducatos puri auri.. petens ipsum racione huiusmodi dehonestacionis ipsius domus, cum de honesta inhonestam fecit, condempnari et ad solucionem pro emenda necnon ad expurgacionem domus et econverso honestandam, ut ante fuit, publice et palam, ut infamavit, cogi et compelli. Et ibidem prefatus Zuchora obtinuit terminum deliberatorium primam iuris immediate sequentem videlicet feriam IV^{tam} post festum s. Iacobi.

253. (Ibidem). In causa honestarum Elizabeth, Hedvigis, Margarethe, Dorothee et Elizabeth mulierum, mgr. Albertus de Gorkovicze procurator ex officio dictis mulieribus datus.. in presencia providi Zuchora Stanislai verbo proposuit, quod quamvis de iure nemo statim accusatus ad simplicem eius assercionem punitur, nisi criminosus iure convincitur, prefatus Stanislaus Zuchora hoc minime attendendo, contraveniendo omnium iurium disposicionibus et iuri Culmensi, quo utitur, prefatas mulieres anno presenti f. 3^{a} ante festum s. Margarethe a serviciis et precio: alias earum habentes maritos et alias a multis annis hic in Poltowsk morantes et suis laboribus propriis honeste utentes, secundum quod sinit humana fragilitas, prout sub imperio et rectura ac gubernacione civitatis multorum predecessorum preconsulum dicti Zuchora satis iuris peritorum et magis dicte mulieres in serviciis et in propriis laboribus pro commodo et utilitate oppidanorum serviebant et manebant; prefatus vero Zuchora volens magis racione, quam sui predecessores uti.. easdem de domibus habitacionum et serviciorum nulla informacione super infamia ipsarum habita et recepta, nec examinatas per testes, per suos familiares civitatis vi et violenter capi et incarcerari necnon in manus tortoris

tradi et de civitate cum non modica verberacione per tortorem propelli iussit, eciam addiciens hec verba: »insequemini curiam Episcopi, illic vos defendent«, in despectum et vilipendium sue R. Ptis et tocius curie et dictarum mulierum infamiam, iniuriam et dehonestacionem non modicam. Quamquidem iniuriam.. extimavit ipsarum procurator, secundum quod quelibet ipsarum iuraverit super huiusmodi dehonestacionis valorem, petens ipsum [compelli] ad emundandum huiusmodi ipsorum infamiam.. et penam racione excessus.. pro arbitrio sue R. Ptis reservari..

A. 1507, Augusti 2, in curia episcopali.

254. (Acta episc. Ia). Libellus pro parte famosi dni Iohannis oppidani de Zacroczim contra plebanum de ibidem:

Coram vobis Rmo.. dno Erasmo D. g. episcopo Plocensi procurator.. famosi Iohannis oppidani de Zacroczim contra et adversus honor dnum Paulum plebanum in Zacroczim gravi cum querela proponit.. quia anno presenti circa festum s. Iohannis Baptiste prefatus Paulus plebanus, nescitur qua iurisdiccione, veniens personaliter in pretorium commune Zacroczymiense unacum consulatu oppidi Zacroczym vocatoque ad se prefato Iohanne actore mandavit sibi ponere et dare pecuniam et testamentum cuiusdam Nicolai Ząbek de Zacroczym, prefato Iohanne ad hoc respondente, quia michi unacum coexecutore meo commissa sunt omnia bona prefati testatoris ad dispensandum et testamentum est ratificatum par dnum Officialem. Pretactus vero Paulus plebanus nichilominus mandat ponere et dare sibi pecuniam; et ibidem Iohanne appellante ad ius spirituale pretactus Paulus plebanus, non obstante quavis appellacione, nescitur quo ductus spiritu immo verius animo extorquendi pecuniam, mandavit prefatum Iohannem mancipari carceribus in eo instanti, prohibens sibi dari cibum et potum, etiam precludens liberum aditum uxori ipsius et familie, quod sic fuit et est verum..

Item prefatus Paulus plebanus his non contentus sed afflicto adiciens penam, fere totam communitatem commovit, ne aliquis pro Iohanne prefato caveret, et nisi de mandato dni capitanei Zacrocimiensis fuisset missus, nemo civium audebat contra voluntatem plebani pro eo evictorem se ponere..

Item quia prefatus dnus Paulus, plebanus in curia ducali in Zacroczym, in presencia multorum hominum dixit prefato Iohanni: Quem te facis aut de tua nobilitate presumis, iam resides in civitate, itaque dando pro te octo sexagenas, quis te interimet, solvet te. Et hoc dixit animo suscitandi rancorem propinquorum prefati testatoris et animando ipsos contra Iohannem, qui propinqui machinabantur in mortem prefato Iohanni in hactenus, quousque predictus Iohannes propter securitatem sue sanitatis per amicabilem composicionem dictis propinquis testatoris dedit VI sexagenas ipsos pacificando; et hoc suggestione et ordinacione prefati plebani factum fuit..

Item dum propinqui et consanguinei dicti Nicolai Zambek testatoris fuerant per capitaneum Zacroczymiensem interrogati, quomodo Iohannes recepit pecuniam vestri patrui, ipsi ex informacione plebani dixerunt, quod furtive recepisset pecuniam, et ista subordinacione prefatus plebanus dictum dnum Iohannem oppidanum de Zacroczim diffamavit apud homines graves et honestos et coram multis; quiquidem Iohannes senciens se in honestate et fama spoliatum, conquestus est dne

duci Mazovie et sue Srtatis consilio, petens partem exadverso cogi et compelli ad restitucionem fame ipsius sic denigrate; dna dux cum suo consilio auditis hincinde partibus, prefatum Iohannem inveniens immunem ab omni infamia mandavit personis secularibus revocare infamiam Iohanni obiectam, quantum ad personam dni plebani ipsum remisit ad V. Rme Ptis iudicium..

Petit igitur procurator nomine prefati providi Iohannis de Zacroczim cogi et compelli predictum dnum plebanum primo et principaliter ad restitucionem fame taliter ipsius subordinacione denigrate, quam extimat ad C florenos auri..

Petit etiam prefatum dnum plebanum cogi et compelli ad restitucionem summe XII sexagenarum ad minus moderando, quam summam sua subordinacione et litis inducćione coram illustri dna duce et consilio [ducali] ipse Iohannes consilia et auxilia querendo et in aliis negociis iuris exposuit; quantum ad incarceracionem et alias iniurias sibi Iohanni illatas [1]) ab ipso plebano petit per Rme Ptis sentenciam interlocutoriam iusticiam.. ministrari..

A. 1507, Augusti 10, in Poltowsk in curia episcopali.

255. (Acta episc. VII).. Coram Rmo.. patre dno Erasmo D. g. episcopo Plocensi constituti personaliter laboriosi Nicolaus Pachucz de Boguslavycze et Andreas Nicolai Gula de Iezewo obtulerunt VI sexagenas gr. in mediis gr. et alias VI se solvere obligarunt ad acta presencia pro pena presbitericidii per Andream Lathka de Boguslavycze fratrem et cognatum ipsorum in persona Martini de Strosevo actu presbiteri patrati, videlicet tres pro festo Nativitatis Dni anni currentis . et tres alias pro festo s. Adalberti anni sequentis sub censuris ecclesiasticis. Et Rmus dominus dictas pecunias in partem pene solvende recipi cum obligacione mandavit et interdictum quo ad decanatum Czervenensem preter ecclesias in Plonsko et in Radzymyno, quas subiectas esse voluit eidem, usque ad satisfaccionem totalem relaxavit et absolvit..

A. 1507, Septembris 12, in Poltowsk in curia episcopali.

256. (Acta episc. VII).. Rmus dnus Erasmus episcopus Plocensis causam et causas inter nobiles Iacobum heredem de Noszylsko et Dorotheam relictam olim Pauli Noszylsky occasione summe pecuniarie super hereditate Noszylsko per olim Paulum maritum suum sibi legate, communicato vener. dnorum prelatorum et canonicorum ecclesie Plocensis tunc presencium super hoc consilio, attento statuto terrestri, quod huiusmodi legata salva tercia parte non admittit, ad ius seculare remisit..

A. 1507, Septembris 14, in Poltowsk in curia episcopali.

257. (Acta episc. VII).. Conductus est Georgius murator pro edificanda turri circa ecclesiam Poltoviensem ita larga, sicut pronunc est, et alta sicut super fines tecti ecclesie cum quatuor *filari* ad medium turris, una testudine inferiore cum fenestris et foraminibus ac eciam gradu intra murum pro LXX sexagenis per dnum decanum Poltoviensem et Zuchoram proconsulem, et Rmus ex gracia supra summam predictam eidem Georgio pollicitus est se daturum III sexagenas..

[1]) Cod. aliarum iniuriarium sibi Iohanni illatarum.

A. 1507, Septembris 25, in Iunyecz in curia episcopali.

258. (Acta episc. VII).. Nobilis Adam Radziminsky ad acta presencia in manus Rmi dni reposuit VI sexagenas gr. in mediis gr. pro Nicolao Pachucz de Boguslavicze et Andrea Nicolai Gula de Iezewo, quas se solvere obligarant et inscripserant ad acta presencia pro pena presbitericidii per Andream Lathka de Boguslavicze patrati, qua pecunia recepta Rmus dnus ecclesiam predictam ab interdicto relaxavit sub ea condicione et obligacione ipsius dni Ade, quod quamprimum poterit, dictum presbitericidam captivabit et Rmo dno presentabit puniendum vel alias eundem non servabit quoquomodo in bonis suis.

A. 1507, Decembris 17, in Poltowsk in curia episcopali.

259. (Acta episc. VII).. Comparuerunt in iudicio coram Rmo dno Erasmo episcopo Plocensi ex officio citati honor. Allexius de Gladczyno in Pnyevo curatus et discretus Laurencius minister scole de Zathori et in eorum presencia mgr. Albertus Warkoczka procurator et nomine instigatoris officii verbo contra ipsos plebanum et ministrum proposuit, qualiter ipse plebanus non ignarus statutorum et decretorum provincialium et sinodalium diocesanorumque, quibus cautum est, ne processus peregrini recipiantur per quempiam in diocesi aut exequantur, nisi ante omnia fuerint loci ordinario aut suo capitulo vel officiali generali presentati et admissi; hoc tamen non attento ipse plebanus est executus certas cartas privatas non aliquo sigillo aut titulo insignitas, sed falsitatis, calumpnie et iniuriarum plenas et famosum libellum in iniuriam et minoracionem status et dignitatis ipsius Rmi dni confictatam et fabricatam, petens.. dictum plebanum ante omnia in pena sinodali III marcarum propter huiusmodi recepcionem processuum puniri et condemnari ac denique propterea quod dictum libellum famosum non retinuit, sed alteri publicavit in Obrithe transmittens iuxta excessus quantitatem condigna animadversione puniri. Et dictus plebanus exadverso confessus est se dictam cartham a Gregorio plebano in Zathori per dictum ministrum scole sibi directas habuisse et subscripsisse mandasse, se tamen nescire, quid in eadem continebatur, affirmavit; et minister confessus est se dictam cartam de mandato plebani sui, quam dnus Phalislaus in Dzerzenino vicarius et commendarius ad dictum plebanum in ipsius presencia aportavit, detulisse, negavit se tamen tenorem ipsius legisse. Et Rmus dnus communicato consilio iuris peritorum in pena III marcarum plebanum condempnavit et ut deliberacionem super ulteriori castigacione reciperet, mandavit plebanum et ministrum in castro retineri pro custodia, donec auctor prefati libelli fuerit legitime compertus et comportatus, et extunc sua Ptas commisit discreto Abrae capellano et mandavit Mathiam plebanum in Dzerzenino et Phalislaum commendarium suum pro f. II^{da} prox. ad intenciam instigatoris officii citari ad respondendum articulis ex officio proponendis.

A. 1508, Ianuarii 17, in Poltowsk in curia episcopali.

260. (Acta episc. VII).. Rmo.. dno Erasmo D. g. episcopo Plocensi.. causas audiente comparuit in iudicio honor. Iohannes Wyeczwyensky in Ianowyecz curatus nomine instigatoris officii oblataque citacione debite executa contra honor. Roslavum de Warschovia canonicum Poltoviensem et in presencia ipsius verbo proposuit, quod cum alias omnes ecclesie tam cathedralis quam collegiate diocesis

Plocensis habeant sua specialia privilegia, constituciones, immunitates, iura cum libertatibus et penis in ipsis contentis, quibus gaudent, prout ecclesia b. Marie Virginis collegiata in Poltowsk habet in privilegio per Sedem apostolicam confirmato, quod omnes et singuli ipsius ecclesie collegiate in Poltowsk prelati et canonici debent facere in ecclesia ipsa Poltoviensi residenciam personalem sub privacionis pena, prout faciunt de presenti, ipse tamen dnus Roslavus canonicus contraveniendo privilegiis huiusmodi se ab ecclesia prefata absque legitima.. causa et sine Ptis V. Rme licencia vel dicte ecclesie prelatorum ultra tres menses absentavit nec residenciam personalem fecit.. quinimmo racione sue ab ecclesia absencie infinite negligencie et silencia in horis canonicis et aliis divinis officiis sunt admisse, quandoquidem neque per se neque per substitutum ad II quartalia anni ecclesie serviunt, petens ipsum iuxta disposicionem privilegii pena privacionis dictis ipsius canonicatu et prebenda puniri. Ex adverso Roslavus canonicus allegavit adeo esse exiles et tenues proventus sue prebende, quod nequaquam residenti victum duntaxat afferrent et unde onera ipsius supportaret, penitus non haberet, et ideo se servicio mancipasse prelatorum, ut suas inopias posset relevare et quod substitutum ad aliquod tempus non habuit, fuit ex eo, quod presbiterum ad id idoneum invenire iusto salario non potuit, clericum tamen pro choro et cantu conservavit; allegavit insuper se hactenus continenciam privilegiorum ecclesie Poltoviensis et penas non residencium usque ad diem execute contra se citacionis ignorasse; postremo allegavit privilegium quo ad non residenciam per abusum abrogatum, cum nusquam fuerit observatum et multi non fecissent residenciam per tempora multa; et instigator officii.. peciit ad penas privacionis.. procedi. Et Rmus dnus Erasmus episcopus visis.. testium deposicionibus.. sentenciam in hunc.. modum.. pronunciavit: Christi nomine invocato... decernimus.. Roslavum de Warszowia canonicum.. suis canonicatu et prebenda in ecclesia Poltoviensi.. privandum fore.. prout et privamus..

261. (Ibidem).. Idem Iohannes Wyeczwyensky nomine instigatorio.. contra honor. Clementem in Ostrovya, Stanislaum in Zampska prepositum et Nicolaum in Obrithe ac Adam in Dlugosyodl curatos.. proposuit, quod cum alias ipsi obedienciam, reverenciam episcopo facere et exhibere in sua ad regimen ecclesiarum promocione iuraverint, hoc tamen non attento his temporibus certos processus privatos pretextu cuiusdam appellacionis, a contribucione cum iniuriis manifestis in dicto processu privato contentos acceptarunt, publicarunt et se eidem subscripserunt, petens in pena sinodali III marcarum condempnari et alios puta mgrum Iohannem Carnyewsky in Czyrvyno cum ipsius vicario pro hodierna die ad idem citatos non comparentes contumaces pronunciari. Ex adverso Clemens in Ostrovya curatus respondit se eo animo in dictum processum subscripsisse, ut aliorum plebanorum indignacionem et malam suspicionem, quam de ipso tempore sinodus diocesane preterite conceperant, fugeret et misisse eundem non ad alium, nisi ad familiarem sue Ptis, ut sic in noticiam sue Ptis perveniret et alias neque alia intencione. Et Rmus dnus omnes presentes in pena sinodali III marcarum infra III dies solvenda condempnavit, salva iniuria sue Ptis per dictas litteras irrogata, loco et tempore suis emendanda. Tandem mgr. Iohannes Carnyewsky curatus in Czirwino allegavit se protunc infirmum fuisse et vicarium suum preter scienciam ipsius huiusmodi processum subscripsisse.

A. 1508, Februarii 1, in Poltowsk in curia episcopali.

262. (Acta episc. Ia).. Testes pro parte Dorothee Struszynska et contra Sczawynsky maritum suum citati per executorem dnum Nicolaum mansionarium circa ecclesiam Poltoviensem.. examinati:

Primus testis nobilis Paulus de Ruthkowo.. interrogatus, si Sczawynsky tenet et fovet aliquam feminam et quare illam tenet et si illam tenet propter gubernacionem domus, respondit.. quod tenet quandam Dorotheam Sdbyczka, causam sciencie reddens, quia ibidem sepissime fuit, et tenet illam iam a V vel IV annis et moratur cum illa tanquam cum uxore faciens cum ea coitus illicitos et quod opinio omnium et fama communis est, et cum fratribus suis faciebat rixas et guerras pro illa, ita quod equum interfecerat fratri; videtur testi, quod nominaretur Nicolaus, cui equum interfecerat. Interrogatus, si ista idem Dorothea habet alium maritum, dixit testis, quod non habet. Interrogatus, si vidit eos aliquando coeuntes simul, respondit testis, quod non vidit, sed communiter simul in una domo et uno lecto iacere solebant Interrogatus, si Sczawynsky facit aliquam diligenciam, ut Dorothea Struszynska uxor sua sibi commaneat, et quare ipsam excommunicat, respondit, quod non propter matrimonialem cohabitacionem, sed propter bona hereditaria et vi eam accipiebat, sed tamen illa accepta, prefatam Dorotheam Sdbyczka non dimittebat, nec hucusque dimisit, sed cum ea solus dormiebat expulsa uxore, ita quod ipsam Dorotheam uxorem oportebat iacere in fimo alias *w barlogu*, et ipsa uxor iterum et iterum aufugebat propter iniurias et percussiones per eum sibi illatas; et tantum testis deposuit..

Secundus testis nobilis Mathias de Sborzewo advocatus.. interrogatus, si scit et quomodo scit, quod Sczawynsky foveret meretricem, propter quam uxorem iniuriis afficeret, respondit.. quod ideo scit, quia ibi penes et circa Sczawyno habet amicos, ex quibus scit et precipue, quia audivit a matre sua, quomodo prefata Dorothea Sdbyczka confessa est coram prefati testis matre, quod cum Sczawynsky solet dormire et actus facere etc. et quod est communis fama et opinio. Interrogatus, quare ipsam excommunicat, dixit testis, quod ideo ipsam excommunicat et vi ipsam accipiebat propter bona hereditaria et non propter matrimonium. Interrogatus, quamdiu duxit in uxorem dictam Dorotheam Struszynska et si aliquando sibi commanebat, prout decet; respondit, quod semper erat inter eos error, et scit ac audivit a suis propinquis, quod semper eam verbis iniuriosis increpabat, dicens: Quid es tu vetula, ego habeo pulcriores, amabiliores et plus delectabiles satis; et tantum testis deposuit..

A. 1508, Februarii 7, in Poltowsk in curia episcopali.

263. (Acta episc. Ia).. Testes pro parte nobilis Adriani de Golinino et contra discretum Iohannem Slassa presbiterum inducti et examinati:

Primus testis nobilis Andreas de Ziromino.. interrogatus, an fuit presens, quando Iohannes Slassa dixit et intulit verba iniuriosa et honestatem eiusdem Adriani denigrancia, deposuit.. quia venit cum Paulo Lada ad domum vocatam Oldakowa et ibi iam erat Iohannes Slassa, tunc testis misit pro carnibus et sic portati sunt eis carnes nocte et comedebant ibidem, quoadusque assatura, quam testis pro se fecerat assare, et interim Iohannes Slassa surrexit et accepit de

pariete penes caminum crines et posuit in medio eorum in mensa et dixit: Isti sunt crines, quos ille malus homo deceptor Adrianus meum nepotem spoliatum de vestibus usque ad camisiam cultro rasit et taliavit, quem solus in Cracovia furari edocuit. Et tandem Iohannes Slassa admonitus per Lada, quod se intelligeret, quid dixisset, respondit Iohannes presbiter, dicens: Quid dixi et adhuc dico; et tantum deposuit testis..

Secundus testis discretus Albertus presbiter mansionarius penes ecclesiam collegiatam Polthoviensem.. interrogatus, an fuit apud Oldakowa, quando Iohannes Slassa intulit et dixit verba inhonesta ac denigrancia honorem et statum dni Adriani Golynsky, deposuit, quod fuit, et interim venerunt nobiles Paulus Lada et Andreas de Ziromino et tunc ibidem sedentes Iohannes cum Lada multa verba eis mutuo dicebant, sed testis intellexit ea dicere eisdem mutuo ioco et non ea bene meminit, sed meminit, quia Paulus Lada dicebat Iohanni Slassa: Des michi tres grossos, ut dabo reformare michi gladium; Iohanne Slassa sibi denegante et dicente: Quare tibi debeo dare. Et iterum Paulus Lada dixit Iohanni Slassa: Accipiam tibi hanc pelliceam; Iohanne Slassa dicente: quod non accipies. Et inter illa iurgia Iohannes Slassa accipiens crines et ostendens dixit: Isti sunt crines' quos ille malus homo latro deceptor, quod eum non decebat, cultro rasit, quem solus in Cracovia edocuit furari. Tandem Lada Iohannem voluit percuttere gladio et Iohanne sibi dicente: Utique me vivum non comedes, sed si haberem eciam suum [gladium], responderem tibi. Et Lada dicente: Ecce tibi unum et michi alium, venias. Iohanne nolente, sed eunte post fornacem..

264. (Ibidem). Ex officio — Iohannes Slassa.. de articulis contra eundem ex officio datis interrogatus, si aliquando fecit rixas et guerras in tabernis et percussiones, respondit, quod anno prox. preterito tempore Adventus novissime lapsi in domo apud Oldakowa ludebant cartas: ipse Iohannes locatus scole, Paulus Naszyrowsky, Albertus presbiter, circa quem ludum deponens recepit gladium et percussit parum ad latus ioco Paulum, ex qua percussione successive locatus scole dixit deponenti: Tu pater vadis ex domo, alias *vypaday;* ipse vero respondit: Si quando cogi per te debeo ad exeundum, nunc cogar; et fecit demonstracionem, quasi vellet percuttere eundem illo gladio; sed Paulus et alii assistentes mox arripuerunt illum et gladium sibi eripuerunt Et tandem Paulus deponentem in manum baculo percussit, et secundo voluit, sed protectus est; confessus tamen est de talibus et absolutus in forma iubilei. Item deposuit se nunquam ludere taxillos nec aleam, duntaxat cartas pro cervisia tantum, pro pecuniis nunquam. Item quantum ad contenciones, iurgia, detractiones dixit se talia non facere, excepto eo, quod pridem dolens amicum suum et ex ebrietate aliqua ductus dixit contumelias contra dnum Adrianum, furem tamen illum non appellavit.

Testis ex officio.. Albertus presbiter.. deposuit, quod anno prox. preterito mense, die etc. fuerunt congregati in domo apud Oldakowa: Iohannes Slassa, testis, locatus scole, Paulus Naszyrowsky, et ibidem ludebant cartas per unum denarium tantum; vinctis aliquot denariis cessavit Iohannes Slassa ludere; Paulo eundem admonente et dicente: O pulcre fecisti, videlicet quia lucrasti aliquot denarios, ergo non vis ludere; et postea successive Iohannes Slassa cultrum seu gladium iacentem in scampno accinxit ad se et ambulabat per stubam, et ut testi videbatur, quia percussit Paulum ioco paulatim, et demum ambulans dixit Iohannes:

Quis hic non iacet, non dormit. Locato dicente et allegante: Pocius et securius est michi hic dormire, quia hospita est michi soror. Iohannes respondens dixit: Tu mentiris, quod tu hic sis hospes; et ibidem voluit eundem locatum percuttere, sed Paulus eum protexit ferratico; tunc testis arripuit Iohannem et in illa arrepcione Paulus Iohannem presbiterum percussit baculo in manum et iterare voluit, sed testis eum non permisit; nescit testis, an confessus est; de ludo, an solet Iohannes ludere, dixit se nescivisse, nec eum aliquando nisi protunc videre ludentem aliquid. Item quantum ad rixas et contenciones in tabernis dixit testis, quod aliquando, sed solum verbis.

A. 1508, Februarii 16, in curia episcopali.

265. (Acta episc. I a). Testes pro parte nobilis Pauli Sczavynsky inducti et examinati:

Primus testis laboriosus Mathias de Sczavyno.. interrogatus, si Sczavynsky tenet aliquam Dorotheam Kyczka (s), nescit, quia inducens Sczavynsky nil plus tenet in Sczavyno, solum II laicos alias famulos, sed in Psczolky, nescit quid agitur, quia ibidem solebat manere cum uxore et sic nescit, si aliquas iniurias prefatus Sczavynsky faceret sue uxori Dorothee Struszynska. Interrogatus, si fuit aliquando Sczavynsky cum uxore in Sczavyno, dixit, quod fuit, sed postea sibi aufugit, dicens causam, quod propter hoc, quia in suam hereditatem et non propter aliud. Informatus testis per inducentem sic, quod pretensi testes sunt falsissimi ex eo, quia nec domum meam sciunt, nec aliquando fuerunt, deposuit, quod exactissimam diligenciam facit, ut uxor sibi commaneat, sed dixit quod quidam Goloczky inter eos facit discordias propter hereditaria bona, et filius prefati Goloczky percusserat Sczawynsky expellens eundem Sczavynsky de bonis prefate uxoris sue, et eciam deposuit, quod et pecudes sibi accepit prefatus Goloczky..

A. 1508, Februarii 21, in curia episcopali.

266. (Acta episc. I a). Testes pro parte nobilis Pauli Sczawynsky et contra nobilem Dorotheam Struszynska uxorem suam.. inducti.. et examinati:

Primus testis nobilis Stanislaus Cosczyesza de Lyczky.. interrogatus, quid sibi constaret de cohabitacione Pauli Sczavynsky cum uxore sua et utrum eam expelleret et aliam servaret Dorotheam nominatam Sdbyczka, deposuit testis.. quod.. nichil scit nec aliquando audivit, quod Sczavynsky foveret aliquam aliam preter uxorem, et quod istas diligencias facit non propter, ut dixerunt testes pro parte Dorothee inducti, qui dixerunt, quod non propter aliud eam vult habere et fovere uxorem, solum quod pars hereditaria, que ad eam pertinet, ipsi succederet, sed deposuit, quod ipse facit propter cohabitacionem matrimonialem, ut pertinet ad bonum hominem, et quod ipsa hoc fecit ex consilio cuiusdam Nicolai Goloczky..

Secundus testis nobilis Petrus de Lyczky.. deposuit.. quod.. nichil scit.. quod Sczavynsky percussisset aut aliquas iniurias intulisset uxori sue, et morabatur cum ea per aliquot annos, solum quod quidam Goloczky induxit uxorem ipsius, ut sibi in libro terrestri porcionem hereditariam, que ad ipsum spectabat, inscripsisset et annotasset, nec eciam scit nec audivit, quod fovisset quandam Dorotheam Sdbyczka, cum qua fornicaretur..

A. 1508, Februarii 27, in Poltowsk in curia episcopali.

267. (Acta episc. VII).. Comparuerunt in iudicio coram Rmo.. dno Erasmo D. g. episcopo Plocensi.. honor. et nobilis Iohannes in Pyathnycza curatus cum Paulo de Morawskye executores testamenti olim providi Nicolai Yerzambek civis Lomzensis exhibitaque.. citacione.. contra omnes et singulos sua interesse putantes ad videndum testamentum dicti olim Nicolai Ierzabek confirmari, pecierunt in contumaciam.. citatorum non comparencium ratificari et approbari, cuius testamenti tenor.. est talis:

In nomine Dni amen. Sub anno Nativitatis eiusdem MDVII.. die vero Veneris XV Octobris.. in villa Czarnoczyno et in curia ducali in caminata magna.. constitutus personaliter famosus olim Nicolaus Ierzambek civis Lomzensis sane mentis et compos racionis existens, ut prima facie apparebat, licet languens corpore, timens tamen inevitabilem mortis eventum, quem nullus prescire potest, et considerans, quod nil cercius morte et nil incercius hora mortis.. suum testamentum.. ordinavit in hunc qui sequitur modum: Inprimis siquidem animam suam, quando separata fuerit a corpore, Deo omnipotenti creatori altissimo ac gloriose virgini Marie genitrici eiusque toti curie celesti comendavit sepulturamque in ecclesia murata Lomzensi sui corporis elegit, cui ecclesie in memoriam sue sepulture pro fabrica ipsius omnia debita in registro debitorum ipsius contenta, que sibi creditores seu debitores debent et tenentur, dedit, legavit et assignavit. Item eidem ecclesie II sexagenas, quas sibi debet Iozeph Iemyelysthy in Lomza, dedit.. et assignavit. Item in parata pecunia dixit se habere in cista magna in Lomza C sexagenas in mediis gr. Item in solidis non dixit, quantum in numero. Item in eadem cista de alba pecunia Lythwanicali LXX sexagene citra vel ultra. Item ibidem in eadem cista LXX sexagene in mediis gr. in alio sacculo citra vel ultra. Item apud Stanislaum Ryczerz cum Iohanne Pozega de Lomza LX sexagene in mediis gr. et media sexagena actualis pecunie alias *ysczyna*, quas debent restituere in manus dnorum executorum et lucrum debent dividere in III partes, videlicet pueris una pars, Ryczerzevy alia, Iohanni Pozega alias pars. Item cere C lapides vel citra statere Lomzensis. Item prefatus testator tenetur XVI sexagenas gr. Iurgipeter civi de Gdansk. Item duo currus onerati de panno. Item Czymbarsczowa in Gdansk tenetur prefato testatori XVI sexagenas gr. Item apud eandem Czymbarsczowa in Gdansk XXV sexagene gr., quibus receptis dividant in III partes cum Iohanne Pozeska et Stanislao Ryczerz. Item apud Iudeum Sloma in Grodno XV sexagene gr. Item ibidem apud Iudeum Melchier L sexagene minus III sexagenis, de quo debito recepit testator VIII sexagenas et XXIX lapides cere purgate alias *smalczowanego* et V dicas defalcavit super *obraczy*. Item apud nobilem Nicolaum Makowsky CII sexagene et IV flor. Item honeste Dorothee matri sue CC sexagenas gr. in mediis gr. legavit et assignavit. Item Paulo cum Dorothea pueris suis omnes pecunias, in quibus tenet obligaciones Czarnoczyno et Drosdowo et CC sexagenas gr. in mediis gr. dedit et legavit. Item Barbare uxori sue CCCLXXVII sexagenas gr. in mediis gr. legavit. Item Stanislao Zambek civi Lomzensi fratri suo V sexagenas legavit. Item matri sue prefate IV coclearia argentea et Barbare uxori cum pueris suis XX legavit et assignavit. Item eidem uxori unum cingulum argenteum et Dorothee filie sue alium. Item omnes margaritas uxori cum pueris. Item eidem uxori ortum *nadolny* et promp-

tuarium cum totis frumentis et ulceam post s. Petrum. Item prefate Dorothee matri sue et pueris Paulo et Dorothee ortum superius cum promptuariis et ulceam Vyedrowska. Item domum suam, in qua manebat, matri cum pueris suis legavit et aliam domum in platea balneali et omnes equos et omnes currus uxori sue Barbare legavit. Item filio omnem amictum suum legavit. Item matri IV scutellas stanneas legavit et residuam supellectilem domesticam in stanno, cupro et ere, quibuscunque nominibus vocentur, uxori cum pueris legavit et assignavit. Item duobus presbiteris quolibet anno per C gr. ad legendum missas pro anima sua tamdiu, quamdiu obligaciones villarum durabunt, assignavit. Item prefate Barbare uxori sue predia et villas obligatas aspicere commisit tamdiu, quamdiu virum non traducet. Item dnis executoribus X sexagenas gr. in mediis gr. pro fatiga ipsorum.. assignavit, alia autem omnia et singula debita et supellectilia domestica per dictum testatorem oblita, que huic non sunt inserta testamento, dnis executoribus commisit pro anima sua dispensandum, secundum quod ipsis melius et utilius videbitur. Acta sunt hec anno, indiccione.. quibus supra..

268. (Ibidem).. Nobilis Stefanus Kowalewsky nomine suo et uxoris sue.. contra honor. dnum Iohannem heredem et plebanum in Malyuzyno et ipsius matrem Barbaram.. verbo proposuit, quod a. D. 1506 die et mense certis venientes in domum prefati dni Sthefani Kowalewsky in Gadnowo contra velle et voluntatem dictorum Sthefani et sue uxoris receperunt margaritas in fasciculo colligatas ponderis et valoris VIII ulnarum necnon crinile alias *thkanka* margaritis textam ac cingulum argento elaboratum, manicas de examento nigro, pelliceam mardurinam valoris XXX sexagenarum in mediis, que omnia de domo prefatorum Sthefani uxoris sue deportaverunt et in domum suam intulerunt et multociens requisiti usque inhactenus restituere non curaverunt, petens eosdem ad restitucionem aut veri valoris solucionem prefatorum cogi et compelli. Et ibidem prefatus Iohannes plebanus ex adverso.. allegavit, si et in quantum recepi, non ipsorum Sthefani et uxoris ipsius, sed ut propria recepi. Ibidemque prefatus dnus plebanus allegavit infirmitatem matris sue, petens terminum continuari; et Rmus dnus terminum usque ad convalescensiam eidem continuavit. Et ibidem dnus Kowalewsky contra dnum Iohannem plebanum proposuit, quomodo ipse dnus Iohannes racione dotis sororis sue, uxoris prefati Kowalewsky, promisit pro parte sua XL sexagenas eidem Sthefano dare et exolvere pro tempore tunc expresso, iam vero elapso, allegavit[que], quod dos sit de foro seculari, quare peciit partem suam ad forum prefatum et iudicium seculare remitti; Sthefano allegante et dicente, quod ipse et fratres sui habent certum privilegium suis adversariis in iudicio terrestri non respondendi, sed solum coram R. Mte comparendi, petens dictam causam per Rmum dnum iudicari. Et Rmus dnus auditis hincinde.. allegacionibus prefatum dnum plebanum ad iudicium terrestre illius districtus, in quo sua bona hereditaria possidet, cum prefato dno Sthefano racione dotis prefate remisit, ita tamen, quod per huiusmodi plebani in iudicio terrestri comparicionem et responsionem privilegio fratrum ipsius, qui seculares sunt, nullatenus preiudicetur aut derogetur.

A. 1508, Martii 28, in Gorzno in curia episcopali.

269. (Acta episc. VII).. In causa honor. Nicolai, prepositi in Gorzno, contra universitatem incolarum et kmethonum in Sczuthowo parochie eiusdem, Rmus..

dnus Erasmus D. g. episcopus Plocensis.. decrevit perpetuis temporibus observandum, quod videlicet ipsi kmethones et incole ville prefate in Sczuthowo omnia sacramenta ecclesiastica divinaque officia, sepulturam ecclesiasticam et cetera in parochiali ecclesia Gorznensi percipiant et audiant oratoriumque in prenominata villa sic exstructum nulla iura parochialia habeat, exepto eo si casus venerit, quod aliquis mortuus in illo loco ex causa iusta ad parochialem ecclesiam sepeliendus conduci non posset aut non debeat, extunc de sciencia et voluntate ipsius prepositi sepeliri poterit circa oratorium prefatum in Sczuthowo. Et quoniam unaqueque ecclesia maxime consecrata divinis officiis carere non debet, decrevit idem dnus Rmus, quod idem prepositus pro tempore existens per se vel per alium quater in anno in certis solemnitatibus, quas congrue attendet et considerabit, divina missarum solennia ibidem peragat, proviso eo, quod locus ille debitis cerimoniis non careat. Et nichilominus idem kmethones et incole solvent ipsi preposito omnia illa, que ex antiquo solvere consueverunt: frumenta videlicet et ceteras collectas contribuentque cum aliis parochianis de structura scole et aliarum mansionum circa ecclesiam parochialem in Gorzno secundum consuetudinem dudum observatam nec aliquid ex rebus ecclesie, vestimentis vel aliis, que ad cultum divinum pertinent, illuc detinebunt, sed ipse prepositus secundum consuetudinem ecclesie sue in Gorzno omnia premissa unacum vitricis habebunt.

A. 1508, Iunii 7, in Poltowsk in curia episcopali.

270. (Acta episc. VII).. Conductus sive appreciatus est Georgius Czach de Chomyatha murator per Rmum.. dnum Erasmum D. g. episcopum Plocensem pro circumducenda muro civitate Poltoviensi tali modo, quod ipse Georgius murator debebit elaborare virgulam de muro, vulgariter *pranth*, ad eam longitudinem et altitudinem, ad quam laboravit in summo Poznaniensi, pro sex marcis unamquamque virgulam, murus vero circumquaque debet fieri IV laterum in turribus, habebit post consumacionem uniuscuiusque turris supra precium iam dictum IV marcas. Solucio autem sui laboris hec erit: omni septimana tollet et levabit per II marcas, consumatis vero et completis X virgulis integram recipiet mercedem semper usque ad totalem murorum et turrium complecionem; presentibus ibidem vener. dnis Iohanne Charbowski et Garssia Quadros Hispano decretorum doctoribus et me Nicolao Brolynski cancellario.

271. (Acta episc. Ia).. Testes pro parte nobilis Andree Iasklowski ad verificandum, quod non stetit per eum, quominus duxisset Dorotheam Pauli de Popowo in uxorem, inducti..

Primus nobilis Adam Myeskowsky.. interrogatus, quomodo sciret de tractatu et quis fuit inter Andream et Dorotheam, respondit, quod adhuc ante tractatum, super quo inducitur, fuit procus et mediator instante nobili Katherina relicta Pauli de Popowo matre Dorothee super contrahendo matrimonio inter Andream et Dorotheam tali modo, quod Andreas debuit ducere in uxorem Dorotheam Pauli de Popovo et Stanislaus, frater Dorothee, Katherinam sororem Andree de Yastkowo. Insuper mater Dorothee pollicita erat ipsi Andree singulariter et secrete dare X sexagenas; quiquidem contractus successu temporis desiit practicari, quoadusque aliquot septimanis ante Carnisbrevium anni presentis venit Katherina relicta Pauli et mater Dorothee de Popowo ad testem in Zabyczino, ubi moratur testis,

hora matutinali et evocato teste extra in locum secretum cepit rogare, ut ceptum opus mediatoris pro nupčiis inter filiam suam Katherinam cum Iohanne Yaslkowski prosequeretur. Qui considerata inconstancia ipsius renuit esse mediator, victus tamen instancia et importunitate dixit: Quid me vis facere. Cui Katherina relicta Pauli dixit: Continua ceptum iter nupciarum, ecce habeo paratas X sexagenas, quas offeram ante sponsalia et filii mei reformabunt sibi XXX in libro terrestri; has autem decem do secrete propter filios, ne michi indignentur. Dixit itaque ei testis: Videas, quod habeas paratas decem, quia eo pacto vadam ad Andream Yaslkowski et certificabo eum de pecuniis et nupciis. Data et recepta fide vocavit testis Andream et factum exposuit et diem crastinam nupciis innotuit. Profectus est itaque testis ad domum Katherine vidue in Popovo cum Andrea, et habito tractatu premisso diem crastinum pro pecunia numeranda constituerunt, ut extunc nupcias celebrarent et sponsalia contraherent. Die crastina adveniente voluit testis tanquam ille, qui fidem receperat a Katherina et fidem dederat Andree de certitudine, X sexagenas numerare pecunias; illa tandem secreto attulit testi aliquot nodos, ubi erant pecunie et immisit sibi in sinum dicens: Ecce habes, eamus iam ad ecclesiam. Teste respondente: Nolo me incertis occupare, veniamus et numeremus, quot et quantum est. Et postquam inceperunt numerare, dixit Katherina: Non est integra summa, sed parum deest. Et sic numerando in toto non erant, nisi V sexagene. Quo viso dixit testis ad eam: Ecce me illudis et hunc bonum hominem. Et sic recesserunt neque bibentes neque comedentes, nec ultra testem et Iohannem Yaslkowski fratrem Andree nemo fuit ad hoc vocatus..

A. 1508, Iunii 21, in Poltowsk in curia episcopali.

272. (Acta episc VII).. Honor. Iohannes Carnyewsky submisit se solvere et obligavit Rmo dno Episcopo XX sexagenas pro Dominica prox. post festum s. Iacobi apost. racione pene adiudicate in s i n o d o prox. preterita sub censuris.

A. 1508, Iunii 26, in Poltowsk in curia episcopali.

273. (Acta episc. VII).. Nobiles Gnyewoslaus de Myszkovyecz, Andreas Luba de Glathczino et providi Georgius pellifex, Stanislaus Dropyathkow et Nicolaus Brothka oppidani Poltovienses fideiusserunt.. et se obligarunt in casu negligencie pro honor. Allexio curato in Pnyewo solvere XX sexagenas gr. in mediis gr. racione pene in s i n o d o Rmo dno Episcopo adiudicate pro festo s. Bartholomei sub censuris ecclesiasticis..

A. 1508, Octobris 4, in Czerwinsk in curia episcopali.

274. (Acta episc. VII).. Conductus est et appreciatus mgr. Nicolaus de Scharby diocesis Cracoviensis ad fabricandum de novo o r g a n u m insigne in ecclesia cathedrali Plocensi et vetus organum reformandum per Rmum.. dnum Erasmum D. g. episcopum Ploczensem pro L sexagenis gr. in mediis gr., XV choris farine, II choris pisi, I choro milii, II parnis lardi et VI tunnis cervisie; reformabit itaque vetus seu antiquum organum pro IV vocibus infra hinc et festum Pasche prox. exclusive, novum vero fabricabit et laborabit cum XII vocibus: prima vox erit cimbali maius, secunda cimbali minus sonans, tercia vox *rorfayk*, quarta *cink*, quinta principalis *spunthowany*, sexta *fleythi*, septima *flethnye*, et sic

de aliis usque ad duodecim, que omnes debent esse *holczangk;* et idem organum novum consumabit pro festo Nativitatis Dni MDIX exclusive, habebitque solucionem summe prefate hoc modo: in principio laboris sui V recipiet sexagenas, post X septimanas a principio laboris inceptas V, tandem lapsis septimanis aliis primas decem immediate se sequentibus alias V sexagenas; iterum post X septimanas alias V, et postremo post completum in toto laborem XXX residuas sexagenas.

A. 1508, Octobris 4, in consistorio Plocensi.

275. (Acta offic. II a).. Omnia et singula acta acticata coram diversis officialibus Plocensibus successive facta cremata et incinerata sunt novaque coram vener. viro dno Iacobo Czyolek de Lippowyecz canonico et Rmi.. dni Erasmi D. g. episcopi Plocensis in Spiritualibus vicario et officiali generali Plocensi feliciori auspicio incipiunt.

A. 1508, Octobris 16, in consistorio Plocensi.

276. (Acta offic. II a). In causa.. dni Nicolai Gutkowski baccallarii contra nobilem Iacobum de Zanycz, nobilis Iacobus.. reproduxit proposiciones in scriptis contra ipsum factas tenoris inferius inserti, petens eas actis inseri propter cremacionem librorum, quas dominus inserendas decrevit; et ibidem idem nobilis satisfaciendo termino ad respondendum eisdem proposicionibus allegavit, quod huiusmodi cause et proposiciones contra eum facte sunt et pertinent ad ius seculare, petens se remitti cum eisdem causis ad ius seculare. Et dominus.. remisit actorem cum reo ad ius seculare pro iusticia ibidem obtinenda.. Tenor vero proposicionum, de quibus supra mencio, sequitur et est talis:

A. D. MDVIII, die vero Lune II[da] m. Octobris in causa nobilis dni Nicolai de Gutkowo baccallarii et actu presbiteri contra nobilem Iacobum de Zanycz proposuit verbo, quia ipse nobilis Iacobus receptis certis litteris a R. Mte olim Iohanne Alberto super bona ipsius Nicolai videlicet in bina Gutkowo et Somany surrepticie et alias ex certa accusacione ipsius Nicolai, quod ipse non expedivisset ex bonis prefatis ad bellum contra Valachos cum R. Mte, cum tamen idem baccallarius expediverat germanum suum nobilem Stanislaum ex omnibus bonis, que bona adhuc inter ipsos fratres sunt indivisa, et alium fratrem germanum nobilem Iohannem ibidem habuit in bello prefato, qui Iacobus hiis non attentis vigore prefatarum litterarum recepit super eo XVIII sexagenas numeri solidorum contra Deum et iusticiam.. petens eum cogi ad restitucionem prefatarum XVIII sexagenarum. Item proposuit contra eundem dnum Iacobum, quia ipse anno currenti feria V[ta] prox. preterita citavit eundem dnum baccalarium ad ius seculare, cum est actu presbiter, et ibidem fecit diligenciam in iure seculari, qui condemnatus est in certis penis eciam contra inhibicionem in iure seculari factam; iniuriam, damnum et iacturam ipse baccallarius extimat ad C flor. Hungar., petens eundem condemnari penasque et iudicia secularia facta contra eum nulla.. tanquam contra presbiterum.. pronunciari..

A. 1508, Octobris 30, in consistorio Plocensi.

277. (Acta offic. II a). In causa officii contra honor. Andream plebanum in Ligowo, honor. Augustinus de Wyschegrad procurator officii, citato dicto plebano..

contra ipsum proposuit, quia ipse quottidie cervisiam et salem propinat omnibus hominibus sexus utriusque singulis diebus dominicis et festivis ac ferialibus et quod tasseres ludit ac ludum lignorum, alias *byerki*, pro pecuniis exercet, aliquando recte a ludo ad missam vadit non dormiendo, cum laicis contendit et depilatur, missas non ieiunus celebrat, verba inhonesta coram bonis hominibus eciam coram nobilibus mulieribus profert, blasphemat et maledicit, concubinam publice servat et res seu pecunias inutiliter consumit et finaliter enormiter in toto vivit, petens ipsum a talibus coherceri et pena condigna puniri..

A. 1508, Decembris 1, in Poltowsk in curia episcopali.

278. (Acta episc. VII).. Nomine dni Stanislai, altariste in Carnyewo, et contra nobilem Iohannem Malocha, Iacobus de Brzoze procurator ipsius verbo proposuit, quod dum ipse Stanislaus cum eodem Iohanne certum vadii contractum fecisset occasione baliste et modo quod ipse Stanislaus dixit plus esse de venis in eadem balista et Iohannes plus de ligno, offerente se ad balistarios aut ad aliquos probos viros et secundum cuius dictum plus de aliquo invenissent, unus alteri tres sexagenas solvere debuit, prout in effectu in eadem balista plus inventum est de venis, quam de ligno, et ipse iuxta contractum vadii et pactum huiusmodi recusat dictas III sexagenas solvere, cum pacta omnibus sunt servanda, petens ipsum cogi etc.

A. 1509, Ianuarii 12, in consistorio Plocensi.

279. (Acta offic. II a). Michael D. g. episcopus Margarithensis suffraganeus et canonicus vicariusque in Spiritualibus ac officialis generalis Plocensis providis viris proconsulibus, consulibus et scabinis oppidorum Raczyasch et Radzanowo salutem in Domino. Accepimus ex querela discreti et nobilis Iacobi de Quasyeborzyno clerici, quomodo conoppidani vestri, videlicet Stanislaus *syodlarz* de Raczyasch et Martinus sutor de Radzonowo existentes per nos tam ex officio episcopali in certis penis, quam ad instanciam partis prefate scilicet Iacobi de Quaszyeborzyno latis similiter condemnati, bona sua mobilia et immobilia in vicinatu vestro habita vendere et se alienare seu alias absentare a diocesi Plocensi in collusionem iurisdicionis nostre et pene episcopalis evasionem ac dicte partis preiudicium proposuerunt. Quocirca vobis presentibus committimus et sub pena excommunicacionis mandamus, quatinus si prefati malefactores ex causis predictis interim lite pendente bona et res suas distrahere ac ea vendere et coram nobis resignare voluerint, ne huiusmodi resignaciones admitteretis, quinimmo emptoribus et venditoribus tales contractus prohibeatis, donec pro pena episcopali et parti lese satisfecerint; alioquin si post huiusmodi inhibicionem nostram per nos aliquid attemptatum fuerit contra premissa, nos in vobis penam episcopalem et pars adversa sua dampna et interesse repetere curabimus, intendet et procurabit officio nostro ordinario mediante. Datum Ploczko die XVII Maii a. D. MDVII nostro sub sigillo.

A. 1509, Ianuarii 26, in Polthowsk in curia episcopali.

280. (Acta episc. IX).. In causa discreti Iacobi viceministri ecclesie in Bogathe et contra nobiles Stanislaum et Petrum de Chrzanowo, dictus Iacobus.. proposuit, quod dum dictum Iacobum eundo repatriatum in villam Chrzanowo ad domum,

ubi cervisia solet propinari, causa potacionis cum suis amicis, quos tunc in obvio habuit, descendere contigit, prefati nobiles illic sedentes et certa colloquia cum ipsius amicis habentes inter se gwerras et rixas exercere ceperunt. Et tandem a domo ipsius recedentibus et dicto clerico remanente, dicti nobiles ex indignacione amicorum suorum maligno ducti spiritu in eundem irruerunt et manciparunt, mancipatum ligarunt et hincinde per villas ducebant in dedecus ordinis clericalis, extimans iniuriam ad C ducatos etc. petens in summa prefata [et] in sentenciis canonis condempnari.

Ex adverso nobiles . respondendo proposicioni clerici allegaverunt dictum clericum fere in media nocte ipso die s. Thome de anno preterito cum nonnullis hominibus, qui tasseres tunc luserunt, sedisse ibidemque nescitur quo animo ductus arripiens baculum de fornace violenter percussit nobilem Petrum Iacobi de Chrzanowo ad caput usque ad effusionem sanguinis et propter istam violenciam clerici factam dictum clericum volebant deferre dno Episcopo, qui clericus peciit, ut istud non fieret propter delacionem dni Episcopi et incarceracionem. Ibidem dictus clericus peciit debita cum instancia concordiam amplecti, quam concordiam ibidem in instanti fecerunt et penam XII sexagenarum apposuerunt per partem contravenientem parti tenenti irremissibiliter exolvendam; offerente se probaturum super hiis Iacobo clerico per se confitente concordiam, iusto metu [fecisse], alia vero negavit.. Et dominus Rmus.. mandavit utrique parti probare intencionem suam.

A. 1509, Februarii 5, in Poltowsk in curia episcopali.

281. (Acta episc. IX).. Albertus Soyka procurator discreti Mathie de Guthy.. produxit libellum convencionalem, petens eidem responderi per honestum Mathiam barbitonsorem reum.. qui Mathias respondendo dixit, quod dum et quando idem Mathias barbitonsor in certo hospicio consedebat, idem clericus veniens hora septima noctis videns dictum Mathiam barbitonsorem pecuniam numerare ipsum ad ludendum cartas provocabat et pecuniam, quam tunc numeravit, de manibus illo nolente ludere recipiebat, qui Mathias recepcionem et iniuriam suam sufferre non valens per crines eum, ne cum pecunia aufugeret, retinuit propter damnum suum, et sic quicquid factum est, inicio dicti clerici factum extitisse dixit, petens nichilominus dictum clericum, ut lusorem iuxta arbitrium V. Ptis puniri, cum ludus quilibet illicitus sit clericis prohibitus. Et dominus ambas partes ad probandum.. admisit.

A. 1509, Martii 9, in consistorio Plocensi.

282. (Acta offic II a) In causa discreti Nicolai filii Mathie Magyera clerici de Drobnyno contra honestum Michaelem Rozek de Szyetropye, Nicolaus per se contra ipsum Michaelem Rozek.. proposuit verbo, quia ipse tenetur XX gr Mathie Magyera de Drobnyno patri ipsius pro gladio per eum empto et pro alio gladio ad reformandum recepto XVII gr. necnon pro caletha V gr. similiter empta. Quibus premissis omnibus ipse Mathias eundem Nicolaum filium suum racione studii condonavit, petivit[que] ipsum cogi ad solucionem. Exadverso Michael allegavit, quod pater suus petivit dnum ipsius Michaelis pro prefatis rebus iusticiam fieri. Qui dominus ius seculare locavit et eundem Mathiam ultra horam solitam expectavit. Quo Mathia patre ipsius Nicolai non comparente, iudices protunc indicio presidentes ipsum Michaelem ab instancia et impeticione Mathie absolverunt et eidem Mathie silencium perpetuum imposuerunt. Ex adverso Nicolaus clericus negavit allegacionem

fuisse veram et allegavit, quod Mathias pater suus venerat pro termino, iusticiam tamen consequi minime potuit, quia ipse Michael subordinavit contra eum certos suos amicos, qui eundem Mathiam invadentes verberaverunt capucioque et pileo spoliaverunt necnon equo caudam absciderunt, et a iudicio repulerunt, et postea eo repulso contra eum tanquam contumacem processerunt; quam allegacionem similiter Michael negavit.. adiungendo, quod premissa alio tempore facta fuerunt, videlicet dum dominum ipsius pro iure seu iusticia facienda requisivit, et non protunc, quando ius locatum est; et ibidem partes hincinde petiverunt intenciones suas ad probandum admitti; et dominus admisit..

A. 1509, Martii 19, in consistorio Plocensi.

283. (Acta offic. II a). Honor. Augustinus de Wyschegrod procurator Rmi.. dni Erasmi D. g. episcopi Plocensis.. contra nobilem Gregorium de Czyesle.. proposuit verbo, quia ipse anno presenti.. veniens in bona ecclesie ville Makolyno et in curiam eiusdem Rmi dni Episcopi irruit contra factorem curie ipsius Rmi dni Episcopi verbis inhonestis et iniuriosis, asserens eum fuisse malum hominem etc. Talibus non contentus in vilipendium persone et dignitatis episcopalis dixit hec verba vel eis in effectu similia: Quid nobis est episcopus, nos percuciemus kmethones suos eo presente et vidente. Item contra eundem Gregorium proposuit verbo, quia ipse anno similiter presenti die certa invasit violenter villam dni Episcopi Olschamowo tempore nocturno, ubi kmethones quesivit cum armis ad percuciendum eosdem; qui si non fuerint absconsi, ipsos percussisset, invasiones bonorum ecclesie levitatemque verborum inhonestorum, prout supra, extimavit ad M florenos Hungar. petens ipsum in eisdem condempnari.. Exadverso nobilis Gregorius.. obtinuit terminum deliberatorium..

A. 1509, Aprilis 16, in consistorio Plocensi.

284. (Acta offic. II a). In causa honor. Nicolai plebani in Gozdowo contra patrones ecclesie sue.. plebanus petivit sibi privilegium erectionis sue ecclesie in Gozdowo.. restitui, quod privilegium sive litteras.. dnus Mathias penitenciarius [ecclesie cathedr. Plocensis].. reproduxit.. Et dominus decrevit eas dare in manus plebani et vitricorum, et patroni eiusdem ecclesie in Gozdowo ad reponendum consenserunt; quas litteras idem dnus plebanus recepit et cum vitricis in cistam seu thezaurum ecclesie prefate reponere debebit.. Et ibidem nobilis Catherina relicta olim nobilis Pauli de Gozdowo patrona eiusdem ecclesie petivit ipsas litteras actis consistorii.. ingrossandas mandari.. Quarumquidem litterarum tenor sequitur..

Nos Petrus D. g. episcopus Plocensis, Mazovie cancellarius, significamus tenore presencium.. quomodo.. dnus Iohannes de Sdzary archidiaconus Dobrinensis in ecclesia nostra Plocensi pro parte honor. Stephani de Szdzary canonici Culmensis ad ecclesiam parochialem in Gozdowo presentati.. litteram erectionis.. ecclesie parochialis predicte.. sub titulo et sigillo olim Rdi patris dni Iohannis.. episcopi Plocensis predecessoris nostri immediati dudum vita functi sigillo capituli oblonge figure appendenti sigillatam per obruptum tamen et abscisionem sigilli prefati dni Episcopi, ut luculenter apparuit, violatam coram nobis produxit, petens ipsam.. transsumi et revalidari.. cuiusquidem littere erectionis.. tenor.. est talis:

In nomine Dni amen. Nos Iohannes D. g. ecclesie Plocensis episcopus cura pastorali providentes, ut divinus cultus in nostra diocesi augeatur, annuentesque precibus discreti viri comitis Cristini palatini Czyrnensis in hereditate sua paterna, que Gozdowo vulgariter dicitur, cum consensu nostri capituli ecclesiam in honorem Dei et Sanctorum omnium fundavimus et consecravimus manibus nostris, gracia nobis s. Spiritus suffragante. Et ut in eadem ecclesia rector animarum et sacramentorum administrator eo securior divinis intendat, providimus, ut idem palatinus eidem ecclesie de propriis bonis iuvencum et vaccam et in Glochowo de agris ad magnum aratrum contulit ad colendum Nos quoque de communi consensu capituli nostri sibi decimas addidimus, que hiis nominibus titulantur: ipsum Gozdowo, Glochowo, Dzagyelowo, Lelycze cum sorte ducali, que est in Raczyewo, Czethnywo; et omnes ville militum parochialiter sibi adiacentes; que vero parochialiter eidem ecclesie pertinebunt, sunt hec: Gozdowo, Glochowo, Cowalewo medium, Coszkowo, Bycharczycze medium, Struschyno, Panszyno, Golcyewo, Czyechowo utrumque, Badorzyno, Szagyelewo, Modrzyno. Czachorowo, Colczyno, Rampyno, Rakawczyno, Tarnomyno, Parchowo, Lyschewo, Squelyschewo, Tluchowo. Ut autem ecclesie memorate per nos et nostrum capitulum fundacionis, consecracionis et dotacionis factum et.... cunctis clarius elucescat et posteris evidencius innotescat, presentes nostri sigilli munimine et nostri capituli fecimus communiri. Actum et datum in Ploczko a. D. MCCCV, quintodecimo Kal. Augusti *(d. 18 Iulii 1305).*

Nos itaque Petrus episcopus predictus.. dictam litteram erectionis et fundacionis coram nobis in capitulo mandavimus.. diligenter examinari.. Et quia comperimus eam veram et omni suspicione carentem, duntaxat tamen sigillum olim episcopi predecessoris nostri abscisum et abruptum, peticionibus prefati dni Iohannis archidiaconi iustis utique et racioni consonis, maxime cum ecclesiis, ne in suis periclitentur iuribus, merito succurrendum existat, benigniter annuentes, predictam litteram et ipsius plenum tenorem nichil addendo.. de consensu vener. nostrorum fratrum prelatorum et canonicorum capituli nostri Plocensis.. capitulum generale celebrancium duximus transumendum.. et revalidandum.. In cuius rei testimonium nostrum et capituli nostri sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum in Ploczko in capitulo generali pro festo Nativ. Marie virginis celebrato die Martis XV m. Septembris a. D. MCCCCLXXXV..

A. 1509, Aprilis 28, in consistorio Plocensi.

285. (Acta offic. II a).. Dnus Officialis processum alias monitorium ex cancellaria Rmi.. dni Erasmi D. g. episcopi Plocensis ad compellendum vicarios ecclesie cathedralis Plocensis ad personalem residenciam circa eandem ecclesiam emanatum.. actis huiusmodi ingrossare decrevit.. cuiusquidem processus.. [tenor] sequitur et est talis:

Erasmus D. g. episcopus Plocensis universis et singulis dominis tam cathedralis quam collegiatarum conventualium regularium vel secularium necnon parochialium ecclesiarum rectoribus et eorum vicariis. altaristis, lectoribus, notariis publicis, substitutis tam in diocesi et civitate nostra Plocensi, quam aliis ubilibet constitutis. qui presentibus fuerint requisiti aut quorum intererit vel interesse poterit, salutem in Dno sempiternam. Dudum nos iuxta constitucionem et tenorem bulle Smi dni nostri dni Iulii pape II feliciter moderni omnes et singulos vicarios

ecclesie nostre prefate Plocensis legitime, ut ipsi et eorum quilibet in dicta sua vicaria, que in beneficium perpetuum ecclesiasticum a quolibet ipsorum obtinetur, personalem residenciam infra tempus eisdem prefixum facerent et continuarent, premonuimus; ut tamen experiencia accepimus, multi eorum mandatis nostris et prefate constitucionis apostolice minime obedientes, se a dictis beneficiis et ecclesia prefata absentant, in oppidis, villis et aliis locis angulosis cum non parvo etiam scandalo commorantes, quibus nos cura solliciti ex debito officii nostri occurrere, quamvis iam rigidius cum talibus mandatis nostris minime obtemperantibus procedere possemus, paterne tamen cum eis agere volentes, iterum eosdem duximus premonendos. Quocirca vobis exequutoribus supradictis, qui presentibus fueritis requisiti in virtute s. obediencie et sub excommunicacionis pena mandamus, quatenus personaliter accedentes, si commode poteritis, alias vestris in ecclesiis publice proponentes seu per affixionem portis ecclesie maioris nostre aut alterius; ita quidem quod ad noticiam verisimilem, quorum interest, pervenire poterit, omnes et singulos vicarios perpetuos ecclesie nostre Plocensis memorate et eorum quemlibet moneatis illisque vel illi presens nostrum mandatum insinuetis et intimetis, quos presentibus nos monemus et requirimus, ut infra hinc et totum mensem Mayum sequentem, quod tempus illis pro omnibus dilacionibus trinaque monicione ac termino peremptorio prefigimus et assignamus, ipsi vicarii et eorum quilibet circa ecclesiam prefatam nostram cathedralem Plocensem in vicaria sua personaliter sub penis infrascriptis ipso facto incurrendis resideat illique iuxta debitum in divinis officiis deserviat, non obstantibus facultatibus, indultis et aliis absencie remediis a nobis vel ab aliis nostra auctoritate quomodolibet concessis et datis, quas nos eciam cum auctoritate cuilibet ad premissa facienda concessa tollimus et ex certis causis animum nostrum ad hoc moventibus revocamus, alias lapso mense et iam dicto termino, si quis eorum infra tempus memoratum prefatam residenciam non fecerit et continuaverit ac successive post tempus etiam aliqualis residencie, si se eorum quispiam per octo dies, quos tamen a nobis vel vicario nostro in spiritualibus mandamus ex causa iusta obtineri, continuos a prefata vicaria absentaverit, ipso facto noverint se beneficiis huiusmodi vicariorum privatos esse, quos nos exnunc et econtra privamus et vacare decernimus per presentes salvis iustis et legitimis causis maiorem absenciam requirentibus, quarum cognicionem duntaxat nostro arbitrio reservamus. Datum in Iablonna die Iovis XXVI m. Aprilis a. D. MDIX nostro sub sigillo.

A. 1509, Aprilis 29, in Iablona in curia episcopali.

286. (Acta episc. IX).. Providus Georgius murator de Varschovia talem contractum cum Rmo dno Erasmo episcopo Plocensi recognovit se fecisse talem videlicet, quod duo cellaria subterranea facturus est in locis et quantitate designatis, quarum murus spissitudinem habebit IV laterum, unum autem ex eis erit testudinatum aliud simplex; preterea idem murator facturus est fundamenta murata pro tribus habitationibus, quarum etiam loca sunt sibi designata, quorum fundamentorum profunditas erit duorum intra terram cubitorum et supra terram duorum laterum cum medio, omnium autem premissorum fossura et terre eiectio ex locis premissis impensis et opera prefati muratoris peragentur, materia autem ad hec necessaria per ipsum dnum Episcopum ministrabitur, que edificia et opere hic in

Iablona complebuntur, pro quibus omnibus ipse murator habiturus est a dno Rmo XX sexagenas in mediis grossis..

A. 1509, Iunii 1, in Poltowsk in curia episcopali.

287. (Acta episc. IX). In causa officii contra discretum Iohannem Psuczsky clericum diocesis Plocensis Rmus dnus Erasmus episcopus Plocensis visis instrumentis, scripturis, testibus in causa huiusmodi datis et receptis.. decretum fecit et pronunciavit sub hoc tenore: Cristi nomine invocato . pronunciamus et declaramus discretum Iohannem Pauli de Psuczyno clericum nostre diocesis falsum in officio tabellionatus commisisse de hocque et aliis malis periuriis videlicet et furtis publice infamatum esse, contra quem licet rigidius procedere debeamus mitius tamen sub spe emende cum eo agere volentes inhibemus sibi officium tabellionatus perpetuo ab officioque clericali eundem suspendimus ac nostram diocesim interdicimus, ad quam abiurandam eundem cogimus et compellimus ad nostre voluntatis beneplacitum. In eventum autem, quo dictus Iohannes prefatum officium tabellionatus exerceret et ut notarius publicus rogaciones aliquas susciperet aut taliter sibi prohibita attemptaret seu oblitus nostre paterne correctionis aliquibus enormitatibus operam daret, volumus et decernimus, ut a nobis vocatus tociens, quociens opus fuerit, semota omni excepcione iuri pareat de parendoque nobis caucionem sufficientem det, ad quam eum cogimus et compellimus hac nostra sententia mediante, post cuiusquidem sentencie diffinitive prolacionem ibidem presens idem Iohannes parendo sentencie et mandato domini mox et incontinenti iuravit non manere in diocesi memorata Plocensi, usque dum esset revocatus, equaleque iuramentum corporale ibidem prestitit de parendo iuri, dum vocatus esset, pro quo faciendo eciam ibidem pro se fideiussores dedit, videlicet nobiles Paulum Psuczsky patrem suum, Iohannem Kandzynski, Nicolaum Swyeschewski, Iohannem Mazowski, Stanislaum Pyesczyrowski, Andream Slonczewski, Blasium Swyeschewski, Stanislaum Chlewyeczsky, Iohannem Skaschewski, qui.. promiserunt et eorum quilibet promittit ipsum Iohannem sistere in iudicio, ubi et quando vocaretur ex causis legitimis per prefatum Rmum dnum Episcopum, sub pena C ducatorum ipsi dno Episcopo solvendorum..

A. 1509, Iunii 15, in consistorio Poltoviensi.

288. (Acta offic. VIII).. In causa nobilis Stanislai Drozdowski contra honestum Mathiam balneatorem de Lomza, Iacobus de Brzoze procurator dicti Stanislai.. et in presencia Martini de Zaleszye procuratoris ex adverso proposuit, quod dum idem Stanislaus certo languore morbi oppressus ad eundem Mathiam ad medendum se confugerit, idem Mathias visa infirmitate ipsius ipsum se ad medendum submisit et contractum pro medicinis fecit, offerens et se submittens suis medicinis ab infirmitate huiusmodi ipsum liberare, ad quam summam in contractu expressam interim mediam marcam, interim fertonem et in fine contractus totaliter facti tres sexagenas in mediis gr. dedit; qui tandem attendens ipsum suis medicinis non posse, prout se submisit, relevare, eundem, ut se transferret in apotecam Gdanensem admonuit, non attenta summa per ipsum recepta et submissione ipsius, qui tandem existens in apoteca XXII marcas Prutenicales in medicinis exposuit, petens ipsum cogi ad restitucionem summe per ipsum recepte necnon

damni, quod ipsius submissione consecutus est, ad solucionem compelli. Ex adverso Martinus de Zaleszye procurator Mathie balneatoris de Lomza citra approbacionem iurisdiccionis allegavit partes ambas esse seculares et propterea easdem debere remitti ad ius seculare et expensas ad finem litis reservare ob indebitum tractum; et dominus remisit ad consulatum Lomzensem pro ministranda iusticia..

A. 1509, Maii 11, in consistorio Plocensi.

289. (Acta offic. II a). In causa Rdi patris dni Michaelis suffraganei Plocensis contra nobilem Nicolaum Baschynski, honor. Augustinus de Wyschegrad procurator dni Suffraganei.. accusavit contumaciam eiusdem nobilis.. et ibidem immediate contra ipsum.. proposuit verbo, quia ipse, lite pendente occasione percussionis cmethonum in Naruschowo non obstante, veniens anno presenti circa festa s. Adalberti in prefatam villam Naruschowo.. ibidem Catherinam uxorem pellificis baculo percussit, vulnera livida plura eidem intulit et in toto eandem debilitavit in vilipendium et levitatem ipsius, iniuriam et percussionem extimavit et extimat ad XXX flor., petens ipsum in eisdem condempnari et ad solucionem cogi.. Ex adverso nobilis Nicolaus Baschynski.. allegavit, quod iste articulus, super quo conventus est, et alii articuli, super quibus datus est libellus dudum contra eum presertim super percussione cmethonum, non pertinet nec spectat ad iudicium spirituale sed seculare, etiam attento, quod illius ville dnus Suffraganeus non sit dominus, sed moniales dive Marie Magdalene extra muros Plocenses, que pro iniuria cmethonum suorum actionem directam habent, et nuper in convencione Zakroczymiensi coram dna duce et aliis dominis ipse dne moniales queste sunt contra ipsum nobilem Nicolaum Baschynski, petens se remitti ad ius seculare. Et dnus Officialis.. remisit causam ad ius seculare quantum ad cmethones, quantum vero ad familiam dni Suffraganei et eiusdem familie percussionem.. eidem nobili respondere mandavit ad horam vesperorum..

A. 1509, Iulii 6, in consistorio Plocensi.

290. (Acta offic. II a). In causa venerandi patris dni Iohannis de Croszczycze archidiaconi Plocensis contra honor. et nobilem Nicolaum arcium liberalium baccalarium et Iohannem germanos de Guthowo, dnus archidiaconus.. accusavit contumaciam germanorum de Guthowo et in eorum contumaciam produxit certum rescriptum ex libro terrestri remissionem cause hic ad consistorium Plocense in se continens, petens per dominum admitti. Et dominus admisit et causam ab eisdem punctis, in quibus ante remissionem pendebat indecisa, resumi mandavit. Et dnus archidiaconus.. reproduxit verbo omnia et singula acta.. petens.. sentenciam diffinitivam ferri. Ex adverso dnus Nicolaus Guthowsky baccalarius suo et nobilis Iohannis fratris sui nominibus allegavit, quod causa resumi non debet, sed iterum ad iudicem secularem remitti, propterea quia pena vallata C ducatorum, pro qua lis agitur, dependet ex negocio principali, videlicet proprietate prati, sed quia proprietas prati spectat ad iudicem secularem, in qua non fuit remissio facta, petivit ex eadem causa, causam cum toto negocio principali ad iudicem secularem remitti. Et dominus.. obtulit se interlocuturum super premissis.

Et ibidem idem Nicolaus Guthowsky baccalarius suo et Iohannis fratris sui nominibus.. proposuit verbo, quia ipse dnus archidiaconus a tribus annis.. debuit

ponere certa signa sive scopulos aut palos imponere in certo torrente, qui torrens dividit bona Syemyanye a bonis Gutowo, et quia ipse dnus archidiaconus ipsa eadem signa tanquam actor principalis, cuius intererat, eadem signa et scopulos facere neglexit, nec ad hoc ipsum dnum Nicolaum et fratrem suum aut aliquem ex arbitris seu officialem advocavit, sed ipsis dimissis per se auctoritate propria certa signa granicierum, videlicet clenodium *Trzaskarum*, in lapide sculpendo et eum pro limitibus ponendo, qua negligencia ipsius et propria granicierum posicione eundem Nicolaum et germanum suum dampnificavit eidem iniuriando, quod damnum et iniuriam extimavit ad C flor. Hungar., prout lacius in concordia arbitrali continetur, ad quam se refert, petens proposicionem suam admitti et in C flor. condemnari. Ex adverso dnus archidiaconus deliberavit ad primam iuris post festum Bartolomei proximam.

A. 1509, Iulii 16, in curia episcopali.

291. (Acta episc. Ia). [Testes] in causa matrimoniali honesti Gregorii Conwyssar oppidani Polthoviensis et contra honestam Annam uxorem suam inducti et examinati:

Primus testis honestus Vithus de Polthowsko.. deposuit, quod anno prox. preterito in domo inducentis vidit testis uxorem dixti Conwyssar ante fores hostii amplexatam per quendam nobilem Petrum Thargowsky ut propriam uxorem, tandem marito intrante ad cameram ad dormiendum et alia familia domestica, idem nobilis primum clausit hospitem et tandem familiam in cameris postque altercaciones, que orte fuerunt inter eundem nobilem et hospitem, et iterum intrante cubiculum hospite, recepit mulierem uxorem inducentis ipse nobilis in cameram superiorem ibique solus cum sola clauso hostio per totam noctem stabant usque in crastinam lucem, causam sciencie dicens testis, quia ibidem prope hostium camere illius dormiebat, adiecit eciam, quod eodem tempore vidit Magnuschewski iudicem iacentem in lecto in unica camisia [in] camera, in qua solet hospes dormire ibidemque vidit eandem mulierem sedentem penes eum in lecto, de dormicione nichil scit..

Secundus testis honesta Dorothea Viti uxor de Polthowsko.. deposuit, quod anno prox. preterito tempore estivali feria III certa hora fere post meridiem, dum fuerat ipse Conwyssar extra domum, iudice Magnuschewsky in domo existente, intravit cameram testis, ut reciperet vestimenta ad abluendum, que camera fuit clausa; ubi dum apperuit, vidit eundem iudicem cum uxore Conwyssar, utrumque in camisia in lecto in actu, ubi increpavit eam hospita dicens: Quis dyabolus eam ibidem induceret, et exiens clausit hostium, ubi tandem manebant soli ad aliquot horas citra duas vel tres. Adiecit eciam, quod sepius absentabatur a viro, nec volebat cum eo dormire, ut credit, propter adulterium securius committendum; insuper adiecit, quod rogata fuit, ut araneas acquireret sibi et contusas in ferculum daret, volens toxicum facere marito..

Tercius testis honesta Margaretha filia Katherine Ianuschowa de Polthowsko.. deposuit, quod anno presenti dum ipse Conwyssar sedebat in turri propter Wąssowsky, Iohannes cubicularius regius fere omni nocte dormiebat cum uxore Conwyszar, causam sciencie dicens, quia testis iacebat cum ipsa muliere in eadem camera, que mulier surgebat a teste et intrabat ad cameram vicinam, ubi cubi-

cularius dormiebat, qui ut sepius quando nolebat ad eum venire, traxit ad se per foramen lectisternia et pulsabat ad parietem, et sic alludebat, ut omnino ad eum venire cogebatur. Vidit eciam semel eodem tempore Iacobum notarium castri unam noctem secum dormientem, dicens quia testis apperuit sibi hostium et in cameram intromisit. Cum Nicolao Iactorowsky anno preterito circa festa Natalis Dni in die aliquot vicibus claudebatur secrete in camera et testem posuit in custodiam, ne aliquis veniret; fiebat eciam testis cum eadem muliere in Lekowo apud dnum Lekowsky, ubi vidit eam pernoctantem cum eodem Lekowsky; causam sciencie dicens, quia a teste surgebat ex strato et intravit cubiculum eiusdem Lekowsky..

A. 1509, Augusti 21, in Iablonna in curia episcopali.

292. (Acta episc. IX).. Discretus Phalislaus actu presbiter quondam commendarius in Dzyerzenyno humiliter petivit a Rmo dno Episcopo sibi indulgeri publicacionem et intimacionem certi famosi libelli, contra suam Ptem per Mathiam Tykyewka plebanum in Dzyerzenyno confecti, allegans pro innocencia sua ignoranciam omnium et singulorum premissorum fecisseque illa duntaxat ad instanciam et mandatum dicti Thykyewka, cuius familiaris tunc fuerat nec licuit eidem nisi mandatis obedire, petens se a sentenciis excommunicacionis, quibus fuerat racione contumacie per suam Ptem innodatus, absolvi, ad declarandumque omnem innocenciam et iustas peticiones suas recessit ibidem ab omnibus appellacionibus, commissionibus, rescriptis et aliis, quibus se propterea defendere conabatur, que singula et ex eis quomodocunque quesita vel querenda, lites et controversias tam cum sua Pte, quam familiaribus eiusdem occasione rerum, quas pretendebat circa ecclesiam in Dzyerzenyno sibi ablatas, et aliarum iniuriarum personalium vel realium cassavit, annullavit et irrita fecit ab omnibusque premissis, ubi sibi competere viderentur, realiter et cum effectu dixit eandem familiam in nullo sibi obligatam esse neque iniuriatam. Et si alique extimaciones iniuriarum vel damna rerum per eum facta fore coram quibuscunque personis invenirentur, exnunc eadem calumniosa ficta ad suggestionem falsam aliorum facta publice dixit et allegavit, a quibus omnibus.. recessit, nec se uti velle amplius promisit sub penis pro arbitrio Rmi dni promulgandis. Quiquidem Rmus dnus ad peticiones instantes eiusdem et aliorum plurimorum prelatorum et baronum ibidem astancium et id ipsum cum prefato Phalislao petencium iniuriam per intimacionem libelli prefati factam in spem emende eidem presbitero remisit a sentenciisque excommunicacionis, quibus fuerat innodatus, in eundem effectum absolvit..

A. 1509, Augusti 31, in Poltowsk in curia episcopali.

293. (Acta episc. IX). In causa commissaria apostolica nobilis Itamile Laschewska dioc. Ploc. contra generosum dnum Iohannem Zabrzeszynsky Magni Ducatus Lithuanie marsalcum, Iacobus de Brzoze nobilis Itamile procurator, ex una, et Albertus de Gorzkowycze prefati dni Iohannis Zabrzeszynsky procurator.. ad acta constitutus, partibus ex altera.. idem Iacobus.. partis citate contumaciam accusavit.. mgro Alberto de Gorzkowycze.. approbante ibidem iurisdiccionem domini, quo ad processum autem dixit non debere.. in causa huiusmodi procedi ex eo, quod principalis suus est in universali expedicione bellica cum R. Mte.. Et domino Rmus Episcopus.. attentis iustis peticionibus prefati Alberti..

causam ipsam.. ad reditum nobilium et ipsius dni Iohannis Zabrzezynsky.. suspendit..

A. 1509, Septembris 10, in consistorio Plocensi.

294. (Acta offic II a). In causa honor. dni Andree plebani in Camyenycza contra nobilem Catherinam relictam olim nobilis Iacobi de Naborowo dapiferi Zakroczymyensis, dnus Andreas de Naquassyno procurator Catherine.. produxit testamentum originale dicti olim nobilis Iacobi dapiferi iuxta decretum dni Officialis, petens ipsum econverso restitui. Ex adverso Augustinus de Vyschegrad procurator plebani petivit per dominum dictum testamentum actis huiusmodi consistorii ingrossari mandari, non animo ipsum impugnandi sed certa legata in eodem contenta repetendi. Et dominus ingrossandum decrevit, salvo salario notariorum, et eo ingrossato parti restituendum. Cuiusquidem testamenti tenor sequebatur in hec verba..

A. D. MCCCCXCIV.. XXV Februarii ego Iacobus de Liczky heres modo sive exnunc in Naborowo.. variis anxietatibus obviare volens, signanter post mortem dilapidacionibus rerum possessionum a Deo michi graciose donatarum, testamentum.. ordinavi; optans, ut inviolabiliter voluntas mea permaneat, executorem testamenti infrapositi deputo et assigno vener. et egregium virum dnum Paulum Sulislai de Liczky archidiaconum Wladislaviensem et Polthoviensem fratremque meum germanum in Domino carissimum et maiorem, dans ei omnimodam potestatem bona temporalia post me relicta dispensandi iuxta scripta et alia ad placitum, prout omnipotens Deus sibi inspirabit, que specifice hic non notantur, tum propter oblivionem tum propter pressuram infirmitatis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis: primus testis nobilis Nicolaus de Udimowo alias Grad, secundus testis nobilis Martinus frater germanus de ibidem, tercius testis nobilis Iohannes Martini de Stroschewo, quartus testis nobilis Nicolaus de Kobylyno eciam de Strozewo frater amitalis Iohannis prenominati, quintus testis Stanislaus plebanus de Camyenycza et ipse notarius presentis testamenti, sextus testis discretus Andreas vicarius de Camyenycza, et iste est altarista dni testatoris. Item ante omnia profiteor fidem catholicam, in qua et non in alia volo mori, dum Deus permiserit ex suo iudicio speciali. Item existens unus de filiis ecclesie militantis confessus communicavi et sacrum oleum desidero habere. Item commendo animam meam et corpus omnipotenti Deo beateque semper Virgini Marie, s. Hermolao cum sociis, totique curie celesti, ut dignarentur animam meam perducere in lucem eternam. Item lego pro anima mea dotandum presbiterum meum altaristam in Camyenycza, videlicet discretum Andream de Wrona et quem ad vitam ipsius circa dictum altare permanere volo, domicula eidem constructa pro meis pecuniis et salario certo eundem salariari volo, censum eidem in II mansis locatis alias per kmethones in dictis mansis residentes in villa Naborowo assigno et per presens testamentum ascribo eidem annis singulis pro festo s. Martini solvendum, exceptis et demptis laboribus dictorum kmethonum cum expensis quottidianis, ad quas eidem dandas me et successores meos altariste pro tempore existenti obligo iuxta possibilitatem. Item eidem presbitero pelliceam vulpinam maiorem lego. Item Stanislao plebano in Camyenycza lego subtegumen vulpinum alias *futro*. Item Iohanni vicario lego tunicam flaveam et alteri vicario Iohanni Sobanya lego aliam tunicam

flaveam. Item pro calice emendo ad dictum altare sic per me fundatum lego IV sexagenas, tres in mediis gr. et unam in solidis; pro casula comparanda lego III sexagenas in mediis gr. ad dictum altare. Item volo dotalicium uxoris mee Catherine semper in suo robore permanere. Item CCCV ducatos, in quibus possideo obligatam michi villam in Genuschewo per nobilem Iohannem Laschoczky iudicem Zacroczimiensem et quinquaginta: viginti apud nobilem Irzyk de Kranpicza, quorum nobilis Nyemyerza Wronysky est fideiussor, et triginta, quos in domo in deposito habeo, florenos simul collectos lego et ordino pro dotandis filiabus servandos in tezauro Czirwenensi per dnum executorem et Caterinam uxorem meam. Item totam domum meam cum suppellectili, horeo et omnibus necessariis et attinenciis eiusdem lego Caterine uxori mee. Item Paulo primogenito et Iohanni filiis meis do et lego villam meam Mochty cum omnibus utilitatibus eiusdem et domo ac suppellectili eius tota, videlicet pecoribus et aliis rebus domesticis demtis censibus, quos uxori mee prefate Caterine lego, ex quibus providebit Nicolaum scolarem et alios pueros iuniores expensis et amictu. Item Paulo filio lego maiorem equum, loricam et *polplaczie* meliores cum II balistis. Item Iohanni filio lego ambulatorem, balistam, arcum et *polplacze.* Item volo, quod filii predicti dictam villam Mochty solum ad perpetuam divisionem cum aliis fratribus fiendam et non eviterne possideant. Item lego Caterine uxori mee villas Dlotowo, Naborowo, Naborowyecz et sortes certas in Sdunowo possidendas ad vitam cum omnibus proventibus, quibus providebit victu et amictu Nicolaum scolarem cum aliis pueris, demptis Paulo et Iohanne, qui possidebunt villam Mochty. Et si et in quantum prefatus Nicolaus beneficium assequetur aliquod ecclesiasticum, sit contentus in eo, matrem in possessionibus non gravando cum filiabus meis. Item frumenta triturata ad vendendum aptata Caterine uxori mee prefate vendere committo cum consilio executorum et pecunias pro se levare. Item omnia et singula debita, quecunque tenentur certi debitores, lego Caterine uxori mee prefate extrahenda et pro utilitate sua convertenda ultra ista, que sunt superius descripta. Item lego II flor., quos obligavit michi dna Stroschewska, pro emendis vexillis ad ecclesiam in Camyenycza. Insuper volo et lego ac do censum de tribus et non tantum duobus mansis locatis et possessis altariste pro tempore existenti solvendum, dandum et contribuendum pro festo s. Martini, ut prescriptum est; racione cuius altarista leget et legere tenebitur singulis septimanis per III missas pro defunctis, videlicet de b. Virgine et pro peccatis. Item lego Paulo filio meo loricam, *plaschek, synky* mutuata nobili Wlodek Golawynysky. — Quibus [1].. auctoritatem et decretum dicti officialatus atque nostrum duximus interponendam.. In quorum omnium fidem premissorum presentes nostras transumpti litteras, testamentum huiusmodi in se continentes, per notarium causarum et cause ac facti huiusmodi scribam.. transsumi unacum appensione sigilli nostri officialatus fecimus communiri. Datum Ploczko die Veneris XX Ianuarii a. D. 1497..

A. 1509, Septembris 17, in consistorio Plocensi.

295. (Acta offic. IIa). Vener. vir dnus Mathias de Falibogy canonicus Plocensis et sindicus vener. capituli Plocensis.. accusavit contumaciam generosi dni Andree

[1]) Obszerny ustęp początkowy tego transumptu, wystawionego przez Mikołaja z Bartnik kantora i officyała generalnego Płockiego, opuściliśmy, jako pozbawiony wszelkiego interesu historycznego.

de Nysczicze castellani Vysnensis non parentis.. monitorio contra ipsum per Rmum.. dnum Erasmum episcopum Plocensem decreto et executo occasione decime in villa Srzebrna, prout alias in eodem monitorio continetur, petens ipsum sentencias excommunicacionis et interdicti incidisse declarari. Exadverso generosus dnus Andreas castellanus Visnensis comparens negavit omnia in monitorio contenta fuisse vera, et allegavit, quod licet dixerit aliqua verba ad Mathiam advocatum suum super locacione decime, illa dixit non inhibendo eidem locacionem, sed duntaxat avisando et precustodiendo eundem, ne per terrigenas ad bellum euntes et redeuntes in aliquo dampnum occasione decime predicte eciam et in suis frumentis paciatur, mandavitque prout mandat et paratus est mandare kmetonibus suis exnunc, prout extunc, ut ipsi ad arbitrium suum locent, et si nollent, extunc paratus est mandare, ut in aliquo loco circa villam propinquo [in] horeo alicuius kmethonis in quo distrahi non posset, sepire (s) preter id et absque eo, quod deberet kmetones compellere ad faciendum acervos, sed ipse dnus canonicus eosdem sibi conveniat, prout levius poterit et prout lacius statutum super decimis disponit.

A. 1509, Septembris 24, in consistorio Plocensi.

296. (Acta offic. II a). Honor. Augustinus de Vyschegrad procurator providorum Stanislai Iaczek, Stanislai Gambynysky et Bartholomei frenificis civium Plocensium, executorum testamenti olim discreti Stanislai Lissek presbiteri de Ploczka.. proposuit verbo contra dnum Michaelem Machczynysky vicedecanum ecclesie Plocensis presentem, quia ipse retinet coclear argenteum dicti olim Stanislai testatoris valoris L gr., petivit[que] ad restitucionem cogi.. Ex adverso dnus vicedecanus allegavit, quod idem coclear retinet in I marca mediorum gr., quam marcam dictus testator recepit a dno Simone Czyechomsky in Czyechomicze pro psalterio, vigiliis et aliis officiis divinis, necnon lintiamen valoris I fertonis recepit, et hoc dum prefatus dnus Cziechomsky fecit sepulturam matri sue, quam allegacionem Augustinus procurator executorum negavit esse veram, et dnus vicedecanus obtulit se eandem probaturum..

Item idem procurator executorum contra dnum Albertum Boianowsky presentem proposuit verbo, quia ipse retinet certum volumen librorum, quod continet in se certam cronicam et iura municipalia Merimborg prefati olim testatoris valoris XL gr., petivit ipsum ad restitucionem cogi. Ex adverso allegavit, quod dictum volumen est eidem receptum per certum hominem, qui modo est in bello, petens sibi prefigi terminum ad reditum dicti hominis de bello. Et dominus dedit ei terminum peremptorium unum mensem post reditum de bello.

Item idem procurator proposuit contra dnum Stanislaum Grodzky, quia ipse retinet librum sacramentalem et problematum Aristotelis dicti testatoris valoris XXIV gr., petivit eum cogi ad restitucionem. Ex adverso confessus est se habere librum, quem nunc dixit habere in villa. Et dominus mandavit ipsum restituere in quindena peremptorie sub censuris ecclesiasticis.

A. 1509, Octobris 8, in consistorio Plocensi.

297. (Acta offic. II a). In causa vener. viri dni Iacobi Krisky canonici Plocensis contra nobilem Iohannem de eadem Krisko germanum eiusdem, dnus Augustinus de Vyschegrad procurator dni canonici accusavit contumaciam dicti dni Iohannis Krysky.. Ex adverso dnus Andreas de Naquasino procurator dni

Iohannis allegavit, quod idem dnus Iohannes non potest habere nunc testes propter presentem expedicionem bellicam, ad quam nobiles terre Plocensis iverunt; petivit ei dari aliam dilacionem. Et ibidem dnus Augustinus procurator dni canonici petivit eum cogi ad specificandum nomina testium, quibusquidem idem dnus Iohannes intencionem suam probare intendit, cum non omnes homines de terra Mazovie ad expedicionem bellicam iverunt. Et dnus surrogatus.. terminum prefixit ipsi dno Iohanni specificandi nomina et cognomina testium..

A. 1509, Octobris 10, in Poltowsk.

298. (Acta offic. VIII).. In causa nobilis Petri Drosdowski contra.. honestam Iachnam olim Nicolai dicti Throyani de Lomza oppidani consortem et pueros eiusdem, mgr. Iacobus de Brzoze procurator dicti Petri.. in presencia vener. dni Mathie canonici de Crasznysthav filii prefati olim Nicolai Throyan verbo proposuit, quod quamvis.. dnus Petrus Drozdowski pro sua necessitate apud.. Nicolaum Throyan [XII sexagenas] accommodaverat et IV kmethones in IV mansis Culmensis mensure locatos in eadem summa per eum commodata in villa Drosdowo invadiaverat, post quorum invadiacionem census per VI annos, videlicet III$^1/_2$ sexagenas tollebat et percipiebat, prout in effectu tulit et percepit; nichilominus prefatus Nicolaus seu verius uxor cum pueris XII sexagenas per eundem Nicolaum commodatas, non attenta usura nec perceptis fructibus nec censibus defalcatis receperunt in dicti dni Petri dampnum et preiudicium dictique Nicolai patris ipsorum salutis impedimentum, quaquidem percepcione censuum in numerum et racionem usure perceptorum in XX sexagenis damnificaverunt, petens ipsos cogi et compelli ad restitutionem dictorum censuum per ipsum olim Nicolaum patrem eorundem racione usure receptorum. — Item contra eosdem proposuit, quod licet prefatus nobilis Petrus Drosdowski post dictarum XII sexagenarum commodacionem et kmethonum invadiacionem post VI annos citra ultrave certam concordiam tali modo fecerit, videlicet quod idem olim Nicolaus Throyan de Lomza kmethones invadiatos liberos dimittere et eidem Petrus Drosdowski quolibet anno III$^1/_2$ sexagenas solvere debuerit, quas per biennium iuxta contractum solvit; nichilominus hoc contractu et usura per ipsum recepta non obstantibus eundem in ius traxit seculare, asserens ipsum vi et violenter kmethones sibi in XII sexagenis invadiatos possedisse et ab ipso abstulisse in eodemque VII sexagenis racione, ut prefertur, usure receptis ultra summam maiorem videlicet IX sexagenas recepit et ipsum in duabus adminus sexagenis traccione huiusmodi et evocacione in ius seculare contra concordiam factam dampnificavit, petens ipsos ad restitucionem dicte usure per ipsum olim Nicolaum modo predicto recepte, videlicet XII sexagenarum, et dampnum expensarum[que] solucionem cogi et compelli. Ex adverso dnus Mathias prefatus canonicus de Crasznysthaw evincendo matrem fratresque et sorores deliberavit ad XV, presentibus procuratoribus.

A. 1509, Novembris 9, in consistorio Plocensi.

299. (Acta offic. IIa). In causa laboriosi Stefani de Ziromyno et uxoris sue ac consanguineorum contra vener. dnum Iacobum Rudzyenysky canonicum Plocensem et Mathiam familiarem suum, dnus canonicus.. peciit sibi dari executorem ad citandum honor. Augustinum de Vyschegrad procuratorem dicti Stefani.. ad viden-

dum.. ipsum a sentenciis excommunicacionis.. absolvi. Ex adverso Augustinus de Vyschegrad.. dedit raciones.. quare absolvi non debeat.. Et dominus auditis racionibus mandavit, ut dnus canonicus.. V gr. racione vialium et II racione processuum.. persolvat. Et ibidem dictus dnus canonicus satisfaciendo decreto.. reposuit V gr. pro vialibus et II pro processibus, peciitque se absolvi. Et dominus.. eundem a sentenciis excommunicacionis.. absolvendum duxit.. Et ibidem Augustinus procurator produxit libellum.. petens eidem responderi; dno canonico protestante, quod per hunc actum.. sive absolucionis peticionem non approbat.. iurisdiccionem dni Officialis.. Tenor vero libelli, de quo supra fit mencio.. est talis:

Coram vobis etc. Augustinus procurator laboriosi Stefani de Ziromyno contra vener. dnum Iacobum Rudzyenysky canonicum Plocensem proposuit.. pro eo, quia ipse dnus canonicus Rudzyenysky unacum suo famulo nomine Mathia.. animo ipsi Stefano et ipsius domui iniuriandi ipsumque et domum suam infamandi et dehonestandi.. anno presenti certa die m. Octobris in villa Ziromyno immemor existens sui status.. quandam Annam virginem ipsius Stefani filiam in ipsiusque patria potestate constitutam suis perversis persuasionibus unacum rebus et pecuniis per ipsam Annam eidem Stefano et matri sue preter voluntatem ipsorum receptis abduxit eamque currum suum insequi procuravit et tandem dictam Annam unacum rebus predictis et pecuniis, existens prope villam Dambrowa prefate ville Ziromyno vicinam, ad se et ad currum suum, in quo ipsemet sedebat, imposuit eamque usque ad villam Mlodochowo duxit et cum eadem per plures dies et usque in hunc diem.. indebite et inhoneste preter et contra voluntatem ipsius Stefani patris omniumque parentum commansit in maximam iniuriam, dampnum pariter et infamiam ipsius Stefani omniumque amicorum et consanguineorum suorum, quam iniuriam.. ipse Stefanus unacum uxore sua et omnibus amicis.. extimat ad XX sexagenas gr. in mediis grossis.. petens eundem ad restitucionem cogi.. et nichilominus racione iniurie.. in dictis XX sexagenis condemnari..

A. 1509, Decembris 25, in Poltowsk in curia episcopali.

300. (Acta episc. IX). Distinccio nova decanatuum in diocesi Plocensi et pristine amplitudinis limitacio in sinodo Plocensi facta, que fuit tenta per Rmum dnum Erasmum episcopum pro Dominica Iudica a. Christi MDVI[1]).

A. 1510, Ianuarii 9, in curia episcopali.

301. (Acta episc. I). Testes inducti pro parte dni Iohannis Zabrzeszinski etc. et contra dnam Itamila Krupska etc.

Nobilis Nicolaus de Ryczicze, nobilis de armis patris *Trzaska*, matris *Bolyesczicz*, bona habens melioris valoris C sexagenis, citra annos XL vel ultra.. respondit se novisse Felicem Krupski, nam et matri sue servivit, novit eciam a puero modernum Iohannem Zabrzeszinski. Item respondit non novisse se quendam Sudzymuth, de quo in articulo, proavum moderni dni Zabrzeszinski, sed duntaxat matres tam dni Zabrzeszinski quam Felicis Krupski, causam sciencie

[1]) Za tym nagłówkiem idą na trzech kartach wykazy dziekanatów i parafii, ale karty te są częściowo tak zniszczone, a częściowo tyle późniejsza na nich ręka dokonała poprawek i przekreślań, że musieliśmy zaniechać odtworzenia na tej podstawie spisu dziekanatów i parafii dyecezyi Płockiej. Przytem co najmniej jednej karty brak, na której koniec tego inwentarza się znajdował.

dicens, nam serviebat matri ut supra dni Krupski. Requisitus, de qua domo et quibus parentibus erat mater dni Krupski, Anna nomine, dixit, quod filia cuiusdam Radwil Lithuani, quem tamen testis non novit, sed germanum eius bene: Petrum Schostak, cui eciam serviebat a puero; item respondit tandem, quod novit, ut supra, matrem dni Zabrzesinsky, cuius nomen eciam dixit Anna, que fuerat filia unica cuiusdam Nassuch, qui mortuus est in Grodno, circa cuius mortem testis presens intererat, uxorem eiusdem Nassuch non novit, sed audivit a dicta domina sua Krupska, quo illi fuerat amita germana, que et sepius vocabat et pro tali habebat matrem dni Zabrzezinski sororem amitivam germanam, ut supra, mittebantque sepius inter se hincinde munuscula. Requisitus tandem, an successive inter Felicem Krupski et modernum Iohannem Zabrzesinski audivit aliquam nominacionem vel signa amicicie seu consanguinitatis, respondit, quod non, causam sciencie dicens, quia adhuc ipsis pueris existentibus de dicto servicio eorum et ex illa provincia testis exivit, post cuius tandem exitum mortue sunt ille domine. Requisitus tandem respondit, quod suo tempore fuit publica vox et fama dictam dnam Annam Krupska et Annam matrem dni Zabrzesinski fuisse sorores amitivas; tandem ad interrogacionem addidit, quod in statu sive quantitate corporis erant equales, pulcrior tamen apparebat Zabrzesinska, quoniam dne Krupska maritus insaniens in naso certas citatrices fecerat. De armis illorum hincinde non meminit..

A. 1510, Ianuarii 11, in curia episcopali.

302. (Acta episc. I a). Testis pro parte nobilis Itamile Crupska.. et contra dnum Zabrzeszynsky inductus: honor. Cristinus plebanus in Schidlowycze diocesis Vilnensis actu presbiter.. ad articulos partis inducentis ad primum respondit dnam Itamilam fuisse uxorem dni olim Felicis Crupsky, eo tunc iam existente plebano, fuerat ibidem in domum traducta.. Ad tercium et quartum articulos requisitus respondit, quod ab annis citra tribus, hoc est f. III post festum s. Trinitatis, venit dnus Iohannes Zabrzeszynsky in bona ville Schidlowicze, ubi memorata dna Itamila morabatur, in quibus bonis et ante sepius fuerat in domo eiusdem dne Itamile, que tandem die videlicet f. III post festum Trinitatis misit pro teste quendam Andream familiarem dne Crupska, ut veniret in curiam ad dandum domine sponsalia. Qui recepta stola venit in curiam ibidem in Schidlowicze intravitque quandam caminatam parve domus, que est versus septemtrionem, invenit eosdem dnam Itamilam et dnum Zabrzeszynski stantes et secrete colloquentes duasque ancillas eiusdem dne Itamile, videlicet Margaretham et Dorotheam ambulantes per eandem caminatam, tandem idem dnus Iohannes Zabrzeszynsky in presencia testis hec verba protulit: Ecce domina Crupska, postquam non credis fidei mee, iam volo desponsacionem facere; receptoque quodam pectorali, quod gessit, quadriangulari, quod dedit ad manus testi, dicens: Ego Iohannes Zabrzeszynsky recipio dnam Itamilam in uxorem et promitto aliam non habere preter eam ad mortem et hoc iuro Deo et istis reliquiis, sic me Deus adiuvet et omnes Sancti, si non faciam istud, Deus me condemnet in anima et corpore. Tandem ad dnam Itamilam dixit: Dicatis et vos hec verba. Que dixit se nescire eloqui. Dixit ipse: Dicatis clausatim post me, — dixitque iterum repetens hec verba: Ego Itamila recipio michi in virum Iohannem et promitto alium non habere preter eum ad mortem, et iuro Deo et his Sanctis reliquiis, sicque me Deus adiuvet et omnes

Sancti, et si non faciam, condemnet me Deus in corpore et anima. Hec verba expressit in presencia testis; requisitus, si aliquis interfuisset.. dum hec loquebantur, dixit testis, quod nullus preter duas ancillas supradictas, que quoniam non erant vocate ad supradicta, nescit testis, an audiverant hec verba vel non, quoniam hincinde per eandem caminatam deambulabant, quoniam mediocri voce loquebantur et familiari. Post que verba recipiens dnus Zabrzeszynsky XX gr. et dedit testi dicens hec: Do tibi presbiter propter maius testimonium. Tandem testis discessit, neque mane apud eos in curia fuit et eos postea invicem colloquentes non vidit. Ad quintum articulum respondit, quod non vidit dnum Zabrzeszynsky ad dominam sepius venientem, tamen audivit ex aliorum relacione et ex fama, quod multis noctibus ad eam veniebat, neque audivit aliquàs promissiones et assecuraciones de matrimonio solemnisando, nec eciam admoniciones dne Itamile.. Descendendo ad specialia interrogatoria requisitus ad illa, dixit se nichil scire; item dnum Zabrzeszynsky dixit esse maiorem in dignitate et diviciis; item quoad contractum matrimonium inter dnam Crupska et Zabrzeszynsky deposuit, prout supra..

A. 1510, Ianuarii 14, in consistorio Plocensi.

303. (Acta offic. II a). In causa nobilis Alberti de Osmolyno contra honor Dobeslaum in Mochowo, honor. Augustinus de Wyschegrad procurator Alberti contra ipsum plebanum.. proposuit verbo, quia ipse plebanus a. D. MCCCCLXXXI in quadam causa induxit ipsum ad certam fideiussionem X sexagenarum in mediis gr. quibusdam pueris Iaroschewski, de qua fideiussione eundem nobilem eliberare debuit, quod minime fecit, sed ipsum nobilem turbari permisit et dampna plura pati in iure terrestri, prout passus est solvendo tam sentenciam principalem, pro qua fideiussit, videlicet X sexagenas, quam etiam triplicem *pyadzdzesszyath* et triplicem *pyancznadzesszyath,* petens ipsum [cogi] ad solucionem tam summe prefate, pro qua fideiussit, quam etiam dampnorum predictorum.. eidem illatorum. Ex adverso Dobeslaus plebanus.. recognovit proposicionem contra eum factam fuisse veram, actamen allegavit, quod pro huiusmodi debito, pro quo fideiussit, prefatus nobilis certa bona patrimonii sui immobilia in Smolyno patri dictorum puerorum dedit pro prefato debito eidemque intromissionem ad dicta bona admisit, prout et pronunc prefati pueri eadem bona in dicta summa tenent, petens sibi terminum dari.. contra prefatos pueros et actionem sibi reservari.. Et dominus reservavit et terminum prosecucionis contra dictos pueros unum annum.. prefixit..

304. (Ibidem). In causa honesti Stanislai Grzywa, oppidani de Szyeprcz, contra discretum Andream mansionarium s. Marie in ibidem, Stanislaus.. accusavit contumaciam partis adverse.. Ex adverso honor. Augustinus de Wyschegrad procurator Andree presbiteri.. allegavit, quod prefatus presbiter fuit ipsi Stanislao paratus dare pecunias, sed eas accipere noluit, incarceracionem vero eiusdem Stanislai simpliciter negavit.

Et ibidem idem procurator citato ipso Stanislao nomine ipsius presbiteri contra eum proposuit verbo, quia ipse Stanislaus anno transacto habito secum contractu pro edificacione palacii pro C gr. ipseque Stanislaus carpentarius submisit se labori huiusmodi et tandem robora destruxit et annichilavit, ita quod eidem Andree fecit inutiles sumptus prefata robora accurtando et destruendo, iniuriam et dampnum extimavit ad III sexagenas, petens ipsum in eisdem con-

dempnari.. Ex adverso Stanislaus.. allegavit, quod satisfaciens contractui edificavit, prout melius potuit. Quam allegacionem Augustinus negavit, petens se ad probandum admitti..

A. 1510, Ianuarii 16, in curia episcopali.

305. (Acta episc. Ia).. Testes pro parte capituli Vilnensis et contra honestum Vincencium aurifabrum de Vilna inducti..

Primus honor. Nicolaus vicarius in Poltowsko.. respondit in certis locis, puta circa Wąssosche et circa Visnam, dioceses Plocensis et Vilnensis confinant, eundo tamen recte ex hinc in villam per Thykoczyn, extunc est media diocesis Luceoriensis, sed duntaxat in uno miliari, nam in Thykoczyn fluvius fluens monasterium fratrum Minorum ibidem existens est in diocesi Vilnensi, ex alia tandem parte diocesis Plocensis est in uno miliari videlicet in Zawady; causam sciencie dicens: mansit ibidem per biennium et vidit ita esse..

306. (Ibidem). Testis inductus pro parte capituli prefati honor. Gregorius de Lwowek clericus Posnaniensis diocesis.. deposuit, quod a civitate Thykoczyn, ubi Vilnensis diocesis cum Luceoriensi confinat, ad locum Polthowsk sunt XX miliaria et diocesis Plocensis ab oppido Thykoczyn in tribus miliaribus distat citra vel ultra. Item deposuit: ubicunque itur de diocesi Vilnensi ad Plocensem, ubique intermediat Luceoriensis; causam sciencie reddens, quod sepius hic ad locum Polthoviensem veniebat..

A. 1510, Februarii 18, in Poltowsk.

307. (Acta offic. VIII). In causa generose dne Catherine Nowodworska de Koprzywnycza mgr. Albertus de Gorzkovicze procurator ipsius Catherine.. excipiendo contra responsiones honor. dni Pauli Gadnowsky plebani in Gzy dixit, quod non creditur responsionibus, nisi doceatur per legitima documenta et probacionem de CCC ducatis, quos confitetur se recepisse a prefata dna Catherina Nowodworska ad eximendum maritum ipsius de captivitate ex Turcia; quantum autem ad CC ducatos procurator predictus.. obtulit se probaturum.. Et dominus Officialis interloquendo mandavit probare responsionem dno Paulo Gadnowsky, similiter ipsi Catherine de CC ducatis ad summam CCC ducatorum computandis..

A. 1510, Martii 8, in consistorio Plocensi.

308. (Acta offic. IIa). In causa decimarum parochialium ecclesiarum in Lang et in Zagroba procuratores parcium hincinde satisfaciendo termino ad producendum.. reproduxerunt omnia et singula acta acticata et producta..[1])

In nomine Dni amen. Cum humana negocia, que fiunt in tempore perpetuo duratura, labantur cum tempore, ad perpetuam rei memoriam solent testium subscripcione ac scripture testimonio perhennari. Proinde nos Dobeslaus D. g episcopus ecclesie Plocensis notum facimus universis tam presentibus quam futuris, ad quorum noticiam pervenerit scriptum presens, quod accedens ad nostram et

[1]) Następują liczne akty, z których podajemy tylko dwa z r. 1380 i 1309. Inne nie przedstawiają ogólnego interesu i mają tylko lokalne znaczenie.

capituli nostri presenciam honor. vir dnus Nicolaus, canonicus ecclesie nostre Plocensis et plebanus de Zagroba, nobis humiliter supplicavit, quod decimas infrascriptas unacum villis parochialibus ad ecclesiam suam in Zagroba pertinentibus a tanto tempore, cuius in contrarium memoria hominum non extitit, videlicet: decimam ibidem in Zagroba per omnes milites et kmethones manipulatim, in Lubyewo per omnes, in Grothkowo Szemanthe per heredes et kmethones, in Iaroschewo Nicolai et Iohannis per heredes et kmethones, in Stropkowo penes Chudzyno per heredes et kmethones, in Chudzyno per heredes omnes, in triplici Dambrowsko per heredes et kmethones, sed villa nomine parochie; in Smarszewo Pauli Wapylsky per heredes et kmethones in Smarszewo Sbroslai et Viszonovy per heredes et kmethones, in Zakrzewo Falonis per heredes et kmethones, in Starozreby tantum per heredes, sed villa nomine parochie, in Przeczyschewo Mroczkonis per heredes, sed villa nomine parochie, in Lesczyno Czedronis per omnes heredes et kmethones, sed villa nomine parochie, in Dzyedzycze Sathkonis, Swyathoslai et Przedpelkonis per heredes omnes, sed villa nomine parochie, in Craykowo per omnes heredes, sed villa nomine parochie, in Clenyewo Milononis et Nicolai tantum per heredes, in Trambyno per omnes heredes et kmethones, et villa nomine parochie, in duplici Manczynyno Czesthkonis, Wlothonis et Luthkonis per heredes, sed villa nomine parochie, in Szwyegoczyno per heredes, sed villa nomine parochie, in Smolino binum per heredes et cmethones, sed villa nomine parochie, — ecclesie sue confirmare dignaremur. Nos vero suis iustis precibus acclinati dictas decimas cum villis parochialibus suprascriptis de consensu capituli nostri Plocensis ratificamus, approbamus et presentibus ex certa sciencia confirmamus. In cuius rei testimonium sigilla nostra et capituli nostri presentibus sunt appensa. Datum in Ploczko die (?) mensis Maii a. D. MCCCLXXX Presentibus honorabilibus et discretis viris dnis Myeczslao decano, Nicolao scolastico, Stiborio archidiacono, Nicolao cantore, Swyathoslao custode, Stiborio cancellario, Iohanne archidiacono Dobrinensi, Petro officiali, Alberto de Gyemyelnycza, Mszczyszkone de Holthowo, Iohanne Pustolka, Iacobo, Cristino, Martino Sczak canonicis Plocensibus et aliis fidedignis..

In nomine Dni amen. Universa negocia, que stare cupiunt in statu solido et perhenni, debent scriptis autenticis testiumque aminiculo roborari. Proinde noverint presentes et posteri presencium noticiam habituri, quod nos Iohannes D. g. episcopus Plocensis, qui ex officii nostri debito cultum divini numinis, veneracionem Sanctorum profectumque s. matris ecclesie iugi sollicitudinis studio, quantum nobis ex alto concessum fuerit, debemus ampliare curisque augere [1]) continuis in gregem dominicum custodie nostre concessum, [ne] aliquod contrarietatis obstaculum erga profectum salutemque impediat animarum, attendentes igitur, quod ex nimia ecclesie de Byelsko parochialis aliarumque ecclesiarum parochialium distancia [2]) [et propter] aquarum inundaciones et alia varia et diversa maxime hiemali tempore imminencia impedimenta fidelium populus de villis infrascriptis non solum divinis officiis verum eciam necessariis gracie privatur [3]) sacramentis; unde cum ex hoc excrescat indevocio populi et infinita proveniant [4]) pericula animarum, nos cum fratribus nostris deliberacione super hiis habita diligenti huicque morbo necessa-

[1]) Cod. ingeri. [2]) Cod. distanciam. [3]) Cod. privantur. [4]) Cod. perveniant.

riam (s) valeamus occurrere, committimus Wladimiro nepoti nostro auctoritatem et licenciam omnimodam construendi et edificandi ecclesiam in honorem b. Catherine Virginis et martiris in bonis suis patrimonialibus Lang nuncupatis duximus concedendum. Verum quia scriptum est: »Qui altari servit, vivere debet de altari« fratribus nostris volentibus et consencientibus dicte ecclesie in Lang decimas in villis infrascriptis cum omni iure parochiali damus titulo perpetue donacionis: primo et principaliter ipsam villam Lang, Mlycze, per totum Swynno, Brzelczycze et Sbrzechowo, Psari, Chudzyno, Mogrzska, per totum Cowalewo, Wylkaszy, Sbrudowo, quadruplici Guthowo, Golenycze, Coslawa, omnes (s) Mogylnycza, Kukalycze, per totum Prussi, parvum Lang tam per nobiles quam kmethones cum decimis; in hiis vero villis: Popowyno, Slup, Szemyanye, Gawroni predicta ecclesia in Lang non decimas sed ius tantum parochiale retinebit. Ut autem huiusmodi donacio dicte ecclesie in Lang facta robur obtineat perpetue firmitatis presentes litteras fieri nostrique sigiili et capituli nostri munimine iussimus communiri. Actum et datum Ploczko VI nonas Octobris *(d. 2 Octobris)* an. D. MCCCIX indiccione VII.

A. 1510, Aprilis 8, in consistorio Plocensi.

309. (Acta offic. IIa).. Honor. dnus Andreas de Naquassino, causarum consistorii Plocensis et vener. dni Iacobi Zalesky canonici Plocensis legitimus procurator, reproducto monitorio contra generosum dnum Procopium Szyeprski capitaneum et vexilliferum Plocensem.. petivit ipsum sentencias excommunicacionis.. incidisse declarari. Ex adverso.. nobilis Paulus de Wythoslawycze dictus Oszuth vicecapitaneus et procurator dicti dni capitanei.. dixit non debere ipsum dnum capitaneum declarari ex eo, quia boves, pro quibus monitus est, recepit eosdem aut recipi mandavit in vim pignoracionis ob non solucionem certarum contribucionum R. Mtis tam per spirituales quam etiam seculares personas in convencione generali laudatarum et statutarum; Andrea procuratore dni Zaleski replicante, quod huiusmodi excepcio locum non habet, quia pro omnibus et singulis contribucionibus R. Mtis per dnum canonicum Zaleski tenutarium ville in Carwoszych fuit et est satisfactum, prout se referebat et refert ad quittancias satisfactionis eiusdemque quittancias ibidem in medium produxit et de solucione contribucionum R. Mtis totali sufficienter docuit et quod prefati boves fuerunt et sunt recepti violenter propter certum privatum odium contra ipsum dnum canonicum conceptum et propterea declarandum. Et dnus Officialis.. suspendit negocium totum cause.. ad felicem adventum Rmi dni Erasmi episcopi Plocensis hic in civitatem Plocensem.

A. 1510, Aprilis 15, in consistorio Plocensi.

310. (Acta offic. IIa). Honor. dnus Andreas de Naquaszyno procurator.. dni Michaelis D. g. episcopi Margarithensis, suffraganei et canonici Plocensis, contra nobilem Iohannem de Czyolkowo.. proposuit verbo, quia ipse anno proximo eundo versus Moldaviam unacum certo famulo suo in villa Vyczyewo cuidam cmethoni dni Suffraganei nomine Stanislao dicto Tobolycz recepit seu recipere mandavit equum valoris C gr., petens eum ad restitucionem equi aut alias valoris solucionem eiusdem cogi. Ex adverso nobilis.. negavit.. et.. iuramentum.. prestabit in quindena peremptorie.

311. (Ibidem). Item idem procurator.. contra nobilem Paulum de Leszczyno.. proposuit verbo, quia ipse eodem anno similiter eundo in bellum Moldavie recepit equum cuidam Stanislao cmethoni.. dni Suffraganei de villa Conyevo valoris II sexagenarum, petens ipsum ad restitucionem equi, si non sit deterioratus, aut ad solucionem equi cogi.. Exadverso nobilis.. obtinuit terminum deliberatorium..

312. (Ibidem). Comparuit personaliter coram dno Officiali discretus Sasinus Orzenyski clericus per se accusataque contumacia nobilis Sigismundi Laschewski.. proposuit verbo, quia ipse anno presenti f. II[da] post Dominicam Ramispalmarum in castro Plocensi coram dno capitaneo, dum idem Sasinus missus erat ad dnum capitaneum in certis negociis domini sui, ausus est eundem infamare et dohonestare coram multis hominibus bonis et probis publice verbis inhonestis et iniuriosis asserendo eum furem, latronem et deceptorem ac hominem malum et nequam et quod eidem sustulisset furto et tempore nocturno nobilem dnum Stanislaum Cryski pariter cum ipsius rebus de bonis Brwyelyno, et contra eundem Sasinum tanquam contra furem auxilium et officium ipsius dni capitanei implorabat et exequucionem eiusdem officii tanquam de fure publico postulabat in iniuriam.. ipsius dni Sasini clerici ordinati, nobilis ex utroque parente bone fame et bene conservati ac pro tali inter bonos homines habiti. Quam iniuriam.. idem Szasinus clericus.. extimat ad D ducatos.. Ex adverso comparens nobilis Sigismundus Laschewski per se negavit narrata.. et allegavit, quod si aliqua verba expressit eidem clerico coram hominibus bonis et coram dno capitaneo, illa expressit sub condicione tali: in quantum ipse esset unus ex illis, qui nobilem Stanislaum Cryski nocte sustulissent unacum rebus ipsius; sed postquam didicit eum esse immunem nec esse in comitiva ipsorum, qui eundem dnum Stanislaum nocte receperant aut ipsum dicuntur recepisse, extunc ipsum dnum Sasinum clericum noluit, prout nec vult infamare aut dehonestare; et si aliqua verba protulit, illa revocavit, prout revocat, nichilque mali de eodem Szasino scit, nisi omne bonum et quod est bonus homo et bene conservatus. Quam allegacionem dnus Andreas de Naquassino procurator Sasini negavit fuisse veram, immo dixit, quod non condicionaliter obiecit verba inhonesta de furto eidem dno Sasino, sed simpliciter et deliberate aliquociens eadem repetens..

A. 1510, Aprilis 19, in Poltowsk in curia episcopali.

313. (Acta episc. IX). In causa commissaria apostolica generose dne Itamile Crupska et contra magnificum dnum Iohannem Zabrzeszynsky marsalcum ducatus Lithuanie etc. Rmus dnus Episcopus.. sentenciam.. diffinitivam inter partes easdem.. pronunciavit huiusmodi sub tenore:

Cristi nomine invocato.. ex his, que in presenti causa et causis coram nobis ex delegacione apostolica inter generosam dnam Itamilam uxorem olim Felicis Crupsky, actricem ab una, et magnificum dnum Iohannem Zabrzeszynsky marsalcum magni ducatus Lithuanie de et super federe matrimonii inter eos contracti.. reum, partibus ab altera, mota et motis.. vidimus.. et intelleximus, dicimus.. et declaramus inter eosdem Itamilam et Iohannem partes prefatas tercium gradum affinitatis ex persona dicti Felicis Crupsky contractum et propterea matrimonium.. irritum.. fuisse et esse prefatamque dnam Itamilam eundem dnum Iohannem Zabrzeszynsky super hoc.. iniuste molestasse.. et ob hoc eundem dnum Iohannem

Zabrzeszynsky ab impeticione.. prefata absolvendum fore.. quem absolvimus silenciumque perpetuum eidem dne Itamile occasione matrimonii prefati.. imponimus..

A. 1510, Aprilis 22, in consistorio Plocensi.

314. (Acta offici. IIa). Comparens personaliter coram dno Officiali honor. Martinus plebanus in Szykorz satisfaciendo termino ad respondendum proposicioni discreti Andree de Borzewo clerici.. allegavit, quod ipse satisfaciendo mandato et decreto Rmi dni Erasmi episcopi Plocensis in sinodo facto eundem Andream protunc ministrum ecclesie sue propter multos excessus per ipsum factos in percuciendo et contendendo in tabernis cum laicis in committendis circa ecclesiam negligenciis et propter inobedienciam licenciavit soluto imprimis sibi, quod promeruit. Et nichilominus idem plebanus contra ipsum Andream reconveniendo proposuit verbo, quia ipse aperta sera camere, in qua morabatur minister ecclesie in Szykorz, exportavit omnes et singulas res dni plebani ibidem contentas, videlicet butirum, carnes, cusinos, linteamina et alia stramenta in dampnum et iniuriam ipsius plebani, quod dampnum et iniuriam extimavit ad I sexagenam, petens ipsum condempnari in eadem..

A. 1510, Iunii 7, in consistorio Plocensi.

315. (Acta offic. IIa). Augustinus procurator nomine officii contra nobilem Paulum Wyerczyoszek de Lypno.. deposuit verbo, quia ipse anno et die certis.. ex suggestione diabolica.. animo blasphematorio et temerario ausus est Crucifixi imaginem, in campo Lypno constitutam et ad honorem Dei et Christifidelium contemplacionem ac reverenciam a cunctis Christianis necessario exhibendam edificatam et suspensam, gladio suo secare secatamque et partitam frustratim per campum spargere et turpiter disicere in Dei omnipotentis per eandem imaginem significati et representati contemptum et vilipendium et anime sue perpetuam maledictionem ac Christifidelium scandalum et execrabile exemplum, petens ipsum in pena contra tales maledictos a iure promulgata puniri et affici. Exadverso Wyerczyoszek negavit.. et Augustinus procurator officii petivit intencionem suam ad probandum admitti..

A. 1510, Iunii 10, in consistorio Plocensi.

316. (Acta offic. IIa). Augustinus de Wyschegrad, procurator dni Thome Ploczki de Barthnyky castellani terre Plocensis, contra nobiles Andream Badurk de Ruthki, Iohannem de alia Ruthki et Mathiam Kowal de Bumowo.. proposuit verbo, quia ipsi commiserunt periurium iurantes cum dicto nobili Andrea Badurk in iure seculari, quod ipse Andreas quendam nobilem Andream similiter de Ruthki nunc in terra Prussie commorantem et tunc detentum et captivatum sive arestatum per ipsum dnum Thomam castellanum in certa summa pecuniarum videlicet XII sexagenis nunquam efideiussisset, nec eundem nobilem representare seu constituere die certo pollicitus fuisset seque pro eodem obligasset, quod tamen falsum erat et oppositum probabile, et propterea ipsorum iuramento falso dampnificaverunt eundem dnum Thomam in XII sexagenis petivitque idem procurator eosdem nobiles ultra dampna illata infames pronunciari et in pena periurii condempnari.

Exadverso Andreas unacum contestibus suis negavit narrata.. Et procurator dicti castellani probabit infra dilaciones.

A. 1510, Iunii 14, in consistorio Plocensi.

317. (Acta offic. II a). Augustinus de Wyschegrad, procurator laboriosi Mathie Czyeczyorka kmethonis de Brwyelyno contra discretum Iohannem vicarium de ibidem.. proposuit verbo, quia ipse presbiter infestus existens kmethoni ex eo fortasse, quod sibi non gerebat morem in laboribus [1]) circa eum exercendis ausus est dicere in ecclesia in ambona publice: Est hic unus homo malus, qui attulit litteras excommunicacionis a dno officiali Plocensi contra dnum nostrum Stanislaum et ita caveat; — hoc ipsum audiente et intelligente ipso Stanislao herede, qui post divina interrogavit eundem Iohannem: Quinam esset homo iste, qui tales litteras excommunicacionum contra me attulit Ac ille specificavit ei dictum Martinum Czyeczyorka cmethonem ipsius, quod tamen falsum erat, nam ipse cmetho nunquam litteras similes contra suum dominum attulerat. Qui dnus Stanislaus verbis presbiteri commotus et provocatus mancipavit eundem kmethonem innocentem et in torturis tenuit ac ex eodem III marcas pene recepit. Que omnia presbiter ipse procuravit; iniuriam, dampnum, captivacionem et molestiam extimavit ad VI sexagenas in mediis gr., petens eundem.. in petitis condempnari..

A. 1510, Septembris 11, in consistorio Poltoviensi.

318. (Acta offic. VIII). Comparentes personaliter nobiles Adam et Iohannes de Szczepankowo verbo proposuerunt contra honor. dnum Nicolaum de Czexyno vicarium de Coprzywnycza, quomodo.. dum exigebat contribucionem ducalem, ab ipsis nobilibus contribucionem recepit, videlicet marcam Polonicalem et ipsos de regestris non descripsit, propter quam non descripcionem capitaneus Zacroczymyensis ipsos pignoravit, qua pignoracione ipsos damnificavit in XIV gr. petentes ipsum in dictis XIV gr. condemnari et ad solucionem cogi et ad evincendum pro dicta contribucione apud dnum capitaneum iusticia mediante.. Ex adverso Martinus Zaleski procurator dicti Nicolai negavit..

A. 1510, Decembris 16, in consistorio Plocensi.

319. (Acta offic. II a). Andreas (?) nomine Rmi dni Archiepiscopi contra nobilem Iohannem Zak de Pomorzani.. proposuit verbo, quia ipse anno presenti iturus in bellum Moldavie unacum aliis suis complicibus depiscatus est eidem pisces in villa dni Archiepiscopi dicta Byalistharski, valorem piscium extimavit ad IV sexagenas.. Idem procurator nomine honesti Mathie molendinatoris dni Archiepiscopi de dicta villa Byalitharski contra eundem Zak proposuit, quia ipse eundo similiter in bellum rapuit eidem molendinatori unam vaccam valoris I sexagene gr. in mediis grossis.. Exadverso Zak negavit et Andreas probabit infra dilaciones.

A. 1510, Decembris 30, in consistorio Plocensi.

320. (Acta offic. II a). Comparens personaliter venerandus vir dnus Nicolaus de Myrowycze, decretorum doctor, decanus Plocensis coram Rdo patre dno Iacobo

[1]) Cod. laboriosus.

Czyolek de Lypowyecz canonico, vicario et officiali Plocensi generali, in querela exposuit contra nonnullos aliene utilitatis et honoris invidos false asserentes, quomodo ipse dnus Nicolaus libertatis ecclesiastice et personarum immemor de an. D. 1507 in crastino s. Kyliani in oppido ducali Zakroczym Plocensis diocesis in presencia Illmorum principum dnorum Anne matris et tutricis Stanislai et Iohannis D. g. ducum Mazowye unacum dignitariis et consiliariis ipsius ducatus omnium causarum secularium ducatus Mazowye iudicibus ibidem tunc terminos ducales celebrancium et causas et negocia subditorum ipsius ducatus iudicancium quendam Iacobum de Cosnyno rectorem parochialis ecclesie in Orschymowo dicte Plocensis diocesis ad instanciam prefate dne Anne ducisse citatum pro eo, quod ipse apud Sedem apostol. prepossituram Varschoviensem iuris patronatus ipsorum dnorum ducum impetrasset, iudicavit et per sentenciam condempnavit, propterea quia unacum aliis dignitariis in actis ducalibus scriptus reperiatur, quod dictus dnus Nicolaus decanus se minime fecisse, quinimmo quamprimum ad causam sive actionem ipsius Iacobi ibidem deventum fuisset, prout idem dnus Nicolaus ibidem asseruit, eidem actioni interesse noluit, sed statim a loco suo, in quo ibidem sedebat a curia ducali, ubi dicta iudicia exercebantur, abscessit et cum vener. dnus Iacobus Zaleski canonicus Plocensis tamquam frater et amicus prefati Iacobi Cosnynski causam ipsius ibidem defendisset iudicialiter, prout eciam dictus dnus Nicolaus asseruit, petivit dictus dnus Nicolaus decanus ab ipso dno Officiali, quatinus ipso dno Iacobo Zaleski canonico ad presenciam suam citato ac recepto ab eo de veritate dicenda iuramento ipsum de omnibus et singulis premissis inquireret. Quiquidem dnus Officialis citato ad sui presenciam dicto dno Iacobo Zaleski canonico et recepto ab eodem.. corporali iuramento eundem de superius contentis coram me notario et testibus infrascriptis solenniter requisivit et examinavit, quid sibi de omnibus et singulis premissis constitit, qui respondit se anno, die et loco, quibus supra, in dicto oppido Zakroczym interfuisse ac causas et negocia ipsius Iacobi Cosnynski coram dnis dignitariis et iudicibus ducatus Mazovie ibidem tunc congregatis contra nominatam dnam Annam ducissam, prout superius est expressum, egisse, dnum vero Nicolaum decanum unacum aliis prelatis ecclesiasticis, ut primum causa ipsius Iacobi Cosnynski tractari incipiebat, a locis ipsorum et curia ducali abscessisse nec eidem actioni interesse voluisse cum protestacionibus ipsorum coram notariis et testibus de non consentiendo in talem actionem, et tantum dixit sibi constare de premissis. Presentibus ibidem religiosis et honor. Iacobo custode et Mathia de Czyerwyensko fratribus ordinis s. Augustini, Augustino de Vyschegrad mansionario ecclesie cathedralis Plocensis, Roslavo de Varschowya vicario perpetuo ecclesie Warszoviensis et nobili Laurencio de Radowycza laico Poznaniensis diocesis, testibus ad premissa.

A. 1511, Februarii 10, in consistorio Poltoviensi

321. (Acta offic. VIII) In causa honor. dni Stanislai plebani de Tharchomyno contra nobilem Nicolaum de Obrap factorem nobilis Rosze vidue de Lomny, plebanus.. proposuit, quomodo anno presenti ipso die s. Agnetis veniens [nobilis Nicolaus] in domum plebanalem ibidem in Tharchomyno intulit sibi violenciam, recipiens sibi vi servitorem suum Iohannem, extimans violenciam et iniuriam ad C flor. petens ipsum in eisdem condemnari et alias sentencias excommunicacionis

incidisse declarari; ibidemque ex adverso.. prefatus Nicolaus.. negavit se aliquam violenciam intulisse dno plebano preter id, quod dum idem factor certum kmethonem nomine Iohannem profugum a dicta dna Lomynska apud eundem dnum plebanum repertum repeciisset aut saltem diem, ut iuris est secularis, cum eodem kmethone assignasset, in quo termino per dnum plebanum assignato factor veniens iusticiam sibi cum cmethone iuxta datam sibi diem petebat, quem interim plebanus iusticia cum laico non facta ad ius traxit spirituale, petens se pro ministranda iusticia et finiendo huiusmodi negocio ad ius seculare remitti, maxime cum sit causa mere secularis, et alias dnum plebanum in expensis condemnari, plebano replicante causam ipsam non debere remitti, cum sit persona spiritualis et violencia illata in bonis sanctuarii ecclesiae sue in Tharchomyno, petente causam ipsam et partes ad Rmum dnum episcopum Plocensem super discussione eiusdem cause remitti; et dnus Officialis.. terminum.. comparendi coram dno Episcopo post felicem ingressum in Poltowsk statuit et prefixit..

A. 1511, Martii 14, in Poltowsk in curia episcopali.

322. (Acta episc. IX) ..Acta incipiuntur in mense Martio coram Rmo.. dno Erasmo D. g. episcopo Plocensi, qui ex convencione Pyothrkoviensi pro festo Epiphaniarum celebrata ultima Februarii in Poltowsk feliciter rediit. Ibidem audiencia die Veneris XIIII Martii coram sua Pte tenta..

A. 1511, Martii 26, in consistorio Poltoviensi.

323. (Acta offic. VIII).. Nobilis dnus Iohannes Urczvyenski procurator generosi dni Stanislai Sumski iudicis Czechonoviensis.. produxit certas papireas litteras.. manu honor. dni Iacobi Lyszakowski scriptas.. quarumquidem litterarum tenor.. est talis: Venerabilis domine fautor et amice graciose. Transiens ipse de Poltovsk proposui descendere ad V. Venerabilitatem, tamen doctus de absencia distuli venire in Payevo, ubi plura necessaria disponere debui, signanter ut graciarum acciones agerem de beneficiis michi dudum per V. V. impensis et aliis negociis finaliter tractandis cum V. V., me enim recedente de finibus patrie in bonis Gosthkovo superstites posui et procuratores bonorum filiastros meos Iacobum et Petrum filios Pauli eis dando potestatem regendi et gubernandi predicta bona, que michi, si V. V. audivit, ex concordia superius facta concessa sunt spacio trium annorum nullo impediente teneri sub vadio CC sexagenarum, ut hoc liber Nurensis lacius loquitur. Tamen audivi certis referentibus amicis, quod filii Nicolai velint predicta bona invadere et se intromittere de bonis, consulente nichilominus dno iudice Czechonoviensi V. Venerabilitati me fateri debitum presentibus fuisse LXXX sexagenas gr. in mediis gr. cum XX aureis Hungar., racione cuius debiti apodixam de manu propria scriptam dare in manus V. V. fateor ego sub tenore, quod predicti filiastri per istos annos me precipiente deberent predictum debitum successive solvere de bonis Gosthkowo usque ad extenuacionem ipsius V. Venerabilitati, ideo si quid attemptatum fuerit per partem adversam contra me et filiastros meos, V. Vtas detegendo veritatem dno ordinario, videlicet quod occasione defensionis bonorum istud feci, dignetur meis filiastris consilio et auxilio assistere, cum sua Rda Ptas se tueri et defendere causas et negocia mea in omnibus dixit, hec dignetur V. V. facere, uti dominus meus, et ipse licet iam nudus temporalibus

beneficiis V. V. condignam mercedem rependere non valeo, tamen spiritualibus officiis pro posse virium mearum conabor adimplere. Valeat ergo V. V. optime, Ex Nydbork die dominico post festum ss. apostolorum Simonis et Iude anno Dni etc. MDVIII. — V. V. rogo dignetur me publicare fuisse predictum debitum contractum, ut factum innotescat parti adverse. — Iacobus V. V. de Gosthkovo quondam canonicus Poltoviensis.

Venerabili dno mgro Iohanni Payevski canonico Poltoviensi necnon curato in Paluki domino plurimum gracioso.

A. 1511, Aprilis 11, in consistorio Poltoviensi.

324. (Acta offic. VIII) In causa discreti Martini Modzelewski contra providum Iacobum Zachovski de Czechonovo preconem magnum, Martinus.. proposuit, quomodo dictus Iacobus pretendendo licet minus vere, quod pater Martini non solvit contribucionem binam ducalem videlicet nupcialem et bellicam, qui pater ante V annos dicte contribucionis obiit et dictus Martinus tunc aduc in Varschovia in scola fuit et officium locature tenuit et fratres, qui bona possidebant dictas contribuciones solverunt, postquam dictus Martinus in patria mansit, ipsum pignoravit et in pignore sellam et securim recepit, quod pignus dictus [Martinus] exemendo dedit sibi fertonem, petens ipsum ad restitucionem dicti fertonis compelli, in expensis et fatigis condemnari et ad solucionem cogi..

A. 1511, Iunii 30, in consistorio Poltoviensi

325. (Acta offic. VIII) In causa honor. dni Iacobi de Brzoze contra honor. dnum Iacobum in Clambovo plebanum, Martinus Zaleski procurator mgri Iacobi.. proposuit, quod dum ipse plebanus eundem mgrum Iacobum [convenit], ut quandam causam pro pena vallata C ducatorum contra dnum Iohannem plebanum de Dambrovka susciperet, et dum eum conveniret, eundem medietate pene eiusdem et alias pena, nisi quod eidem pacem cum eodem plebano fecerit et dum super huiusmodi pena in quadam concordia apposita convicerit, dono dedit et de medietate eiusdem pene cessit, cumque idem plebanus de Dambrovka super huiusmodi pena convictus est per eundem mgrum Iacobum, ipse Iacobus in Clambovo plebanus eundem mgrum Iacobum suum cause defensorem et victorem contentum reddere nec cum eodem plebano de Dambrovka aliquam concordiam sine ipso et ipsius consensu facere bona fide pollicitus fuit, tandem verbum suum variavit et concordiam cum eodem plebano de Dambrowka, ipso mgro Iacobo inscio fecit, nec eundem de medietate pene ipsum concernentis contentum reddidit, petens ipsum propterea alias in L ducatis ipsum concernentibus condemnari. Ex adverso discretus Stanislaus de Koszmyno vicarius in Clambovo.. nomine dni plebani petivit terminum deliberatorium et obtinuit ad octavam.

A. 1511, Iulii 4, in consistorio Poltoviensi.

326. (Acta offic. VIII) In causa honesti Iacobi Nadolny de Lomza contra honor. dnum Paulum plebanum et notarium terrestrem Lomzensem.. Iacobus actor.. recedendo a civitate Rmi dni propter frequentem absenciam sue Ptis coram dno Officiali proposuit, petens ab eodem dno plebano VIII boves valoris VIII sexagenarum et I vaccam valoris medie sexagene gr. in mediis, quos sibi dnus ple-

banus recepit de communi lucro, quod habuerunt ex societate negociacionis et mercature, quam in solidum seu insimul exercebant, pellentes LX boves in Vratislaviam, quos ipse Iacobus per se pellendo vendidit et predictos sedecim (s) lucratus fuit, quos dnus plebanus pro se recepit, petens ipsum ad solucionem cogi et alias super premissis detulit iuramento plebani.

327. (Ibidem). In causa vener. dni Ade Pyeczkovski canonici Crusviciensis, tutoris puerorum olim Iohannis Pyeczkovski de Strachoczyno, mgr. Iacobus de Brzoza procurator dni Ade replicando contra quasdam excepciones pro parte nobilis Iacobi Dambrovny de Pomaski productas dixit illud esse consuetudinis antiquitus tente et observate, quod subditi dominorum kmethones efideiubentur a scabinis illius loci aut ville, de qua exire voluerint, contra quos kmethones aut quoscunque alios subditos, ut molendinatores etc., debita et damna quecunque dominis, a quibus effideiubentur, debiti fuerint aut intulerint, in iure Culmensi et alibi per scabinos eiusdem domini, cui huiusmodi debita aut damna obligarentur, probantur ipsorumque testificationibus creditur et testificationes eorum admittuntur, sic ad eorum dicta et depositiones cmetho aut aliquis alius subditus in damnis eidem domino aut aliis quibuscunque debitis condemnatur, tum ergo testes quod huiusmodi in uno iudicio admittuntur nec in alio recusari sed admitti debent maxime in hoc casu, petens eosdem admitti et in causa concludi. Ex adverso Martinus Zaleski procurator Iacobi de Pomaski contra replicaciones duplicando dicit, quod iste replicaciones sunt frustratorie, inanes et vacue et iuri aliene et racioni contrarie, quibus non obstantibus petit eosdem testes ad causam non debere admitti, quia sunt subditi et kmethones testes esse non debent, nec ad testificandum [admitti], ubi ius in contrarium prohibet, cum de testibus tamen appareat, verum est, [quod] in iure Culmensi scabini admittuntur, sed non in foro spirituali, petens eidem silencium perpetuum imponi super premissis vexacionibus.. Et dominus interloquetur in prima.

A. 1511, Iulii 9, in consistorio Poltoviensi.

328. (Acta offic. VIII) In causa nobilis Petri de Bogusino contra religiosum Iohannem prepositum in Szczepankowo, Petrus.. proposuit, quod ipse prepositus dando locum facere scabellum in ecclesia uxori ipsius quod scabellum factum in festo solennis Pasce in vesperis cum antiquo scabello de ecclesia eiecit, propter quam eiectionem scabelli homines vestes et margaritas in uxore ipsius destruxerunt, extimans infamiam, iniuriam et damnum ad L ducatos, petens ipsum in eisdem condemnari et ad solucionem cogi.. Et ibidem Albertus procurator prepositi.. allegavit.. quod prepositus ex ea causa eiecit scabellum uxoris Petri, quia Rmus dnus noster in sinodo diocesana statuit, ne essent scabella diversa seu singularia nobilium parochianorum preter patronorum et collatorum propter occupacionem ecclesie, petens se et causam ad Rmum dnum nostrum remitti. Nobilis excipiendo contra responsionem dixit, quod licet sit huiusmodi statutum, tamen eo non avisato nec de pretenso statuto edocto scabellum, quod antiquitus ibi locatum erat, in presencia hominum, tunc ad divina congregatorum, in vilipendium dicti nobilis eicere vi et temere non debuit maxime cum eiecto antiquo scabello ad locandum novum sibi concesserat locum, et similiter petivit ad dnum Episcopum remitti. Et dnus Officialis auditis hincinde propositis.. ad Rmum dnum nostrum Episcopum Plocensem causam et partes remisit.

A. 1511[1]), in consistorio Plocensi.

329. (Acta offic. III a) Cristi nomine invocato.. per hanc nostram sentenciam diffinitivam.. in causa coram nobis inter nobiles Hedvigim, Annam, Margaretham et Dorotheam filias nobilis Iozeph Cozyk de Mlycze, ex una, et Iohannem Zukowski de Cochanye incolam terre Dobrinensis occasione certe summe XXX sexagenarum ac periurii, partibus ex altera, coram nobis auctoritate ordinaria vertente, prout ex actis actitatis et certis rescriptis ex libris terrestribus terre Dobrinensis testiumque deposicionibus vidimus et cognovimus.. diffiniendo pronunciamus nobilem Iohannem Zukowski de Cochanye XXX sexagenas ad numerum solidorum a nobilibus Martino, Marco et Petro heredibus in Lesczyno pro certis crinilibus nomine uxoris sue Barbare de eadem Leszczyno filie olim Petri Golanka prefatarum filiarum Iozeph matertere germane recepisse.. et in bona propria Kochanye easdem XXX sexagenas intulisse.. Quiquidem Iohannes Zukowsky dum post mortem Barbare uxoris sue memorate per Edvigim, Annam, Margaretham et Dorotheam nominibusque earum tanquam successorum legitimarum post materteram germanam sine prole defunctam ad ius terrestre in terra Dobrinensi fuisset et erat citatus pro prefatis XXX sexagenis, per ipsum Iohannem ex Lesczino receptis, prout alias lacius in libello continetur, idem Iohannes Zukowsky Dei timore postposito salutis proprie immemor et fame sue prodigus easdem XXX sexagenas.. veris et legitimis successoribus ipsius Barbare filiabus Iozeph de Mlicze superius nominatis in iudicio seculari terrestri Dobrinensi solenniter, inique et iniuste abiuravit in iacturam ipsarum filiarum et anime sue in periculum gravissimum crimen periurii et infamie damnabiliter incurrendo.. Quapropter nos prefatas XXX sexagenas, sic ut premissum est abiuratas, volentes providere saluti ipsius Iohannis Zukowsky ipsis filiabus Iozeph.. adiudicamus prefatumque Iohannem Zukowsky de Kochanye ad restitucionem.. XXX sexagenarum.. compellimus..

A. 1511, Augusti 27, in consistorio Poltoviensi.

330. (Acta offic. VIII). In causa honor. dni Luce plebani in Nowemyastho contra Iurek muratorem de Makowo, Martinus Zaleski procurator dni plebani.. proposuit contra eundem [Georgium], quod ipse facto contractu cum dno plebano ad tegendum sive reformandum tectum supra ecclesiam in Nowemyastho lateribus alias *dachowka*, per litteras suas certificavit eundem plebanum, ut aprocuraret omnes res, que pertinent ad laborem, muratoribus, qui aprocuravit tres scalas longas, cordas viginti, ligna longa, alias *dragy*, cementum, lateres, — et debuit inchoare et continuare laborem a festo Exaltacionis s. Crucis de an. Dni 1504 et usque ad presens non venit ad laborandum sive tegendum ecclesiam et propter hoc plebanus consecutus est damnum in tectura et necessariis, quas idem murator mandaverat aprocurare, ut X sexagene gr. in mediis gr., petens eundem in eisdem condemnari et in peiores processus, sentenciis excommunicacionis dni Officialis Plocensis contra eundem latis, incidisse declarari. Ex adverso murator petivit terminum deliberatorium et obtinuit ad quindenam.

[1]) Daty dnia brak. Bezpośrednio poprzedzający wyrok jest z 7 lipca a następny z 15 września 1511.

A. 1511, Augusti 29, in consistorio Poltoviensi.

331. (Acta offic. VIII). In causa nobilis Gotardi Magnuschewski de Iakacz contra nobilem Albertum de Szably etc., mgr. Iacobus procurator Gotardi proposuit, quod ipse Albertus false iuravit in iure Culmensi quendam Mathiam Rzethkyewczycz vaccam patri suo furtim abegisse et eam decomedisse; quiquidem Mathias patibulo deputatus [est] et suspensus. Quoquidem periurio damnificavit dnum Gotardum ut se caput hominis extendit, petens ipsum in eadem summa condemnari. Ex adverso Albertus deliberavit ad quindenam..

A. 1511, Septembris 3, in consistorio Poltoviensi.

332. (Acta offic. VIII). In causa nobilis Gotardi Magnuschevski de Iakacz contra nobilem Stanislaum Mathie, Petrum fratrem ipsius Mathie, Martinum, Stanislai, Thomam Stanislai de Chomathow, Stanislaum Bartholomei, Iacobum Bartholomei, Stanislaum Bernardi de Wyrzbovo, Stanislaum Martini de Czaplycze et Albertum de Camyonovo, Iacobus de Brzoze procurator Gotardi proposuit, quod ipsi in iure seculari et in districtu Lomzensi pro quibusdam nobilibus Laurencio et Paulo de Trinski, qui eidem Gotardo kmethonem nomine Kopacz percusserunt et enormiter vulneraverunt, false et iniuste iuraverunt, testificantes ipsos dictum hominem non vulnerasse nec percussisse, cum tamen contrarium verum est et probabile dictos Laurencium et Paulum, pro quibus iuraverunt, predictum kmethonem percussisse et vulnerasse, quoquidem falso testimonio immo periurio suo predictum Gotardum damnificaverunt in VIII sexagenis etc., offerente se premissa probaturum. Ex adverso nobiles petiverunt terminum deliberatorium..

A. 1511, Octobris 10, in consistorio Poltoviensi.

333. (Acta offic. VIII). In causa discreti Stanislai de Rosthki substituti canonicalis ecclesie Polthoviensis contra Stanislaum Mirek de Coprzyvnycza vicarium, Stanislaus.. petivit ipsum [Stanislaum Mirek] sentencias excommunicacionis dni Nicolai Brolynsky, archidiaconi Poltoviensis et tunc officialis, ob non solucionem cussini incidisse declarari; Stanislao Mirek allegante satisfaccionem eidem Stanislao factam et deferente eiusdem iuramento, quod ex dilacione huiusmodi ibidem prestitit, et dnus Officialis in petitis ipsum condemnavit. Et ibidem prefatus Stanislaus Rosthek contra eundem Stanislaum Mirek ibidem presentem proposuit, quomodo ipse Mirek ibidem in audiencia publica coram multis hominibus spiritualibus et secularibus ibidem astantibus et audientibus publice alta voce et manuum extensione predictum Stanislaum Rosthek actu presbiterum animo iniuriandi et dehonestandi malum hominem appellavit, quod quidem dictum obprobriosum et iniuriosum, videlicet malus homo, secundum communem intelligenciam bonorum hominum omne genus malicie et nequicie importat, extimans huiusmodi iniuriam ad C florenos.. Et ibidem incontinenti Martinus Zaleski consistorialis et ex officio domini procurator deputatus contra eundem Stanislaum Mirek ibidem presentem petivit statutum [et] ordinacionem dni Nicolai Brolynsky, archidiaconi et officialis principalis, extendi et ipsum in pena medie marce puniri seu penari pro eo, quia ipse ibidem in audiencia publica dno Officiali iudicio presidente verbis inhonestis clamorosis, furiosis et procacibus ac gestibus extensa manu quasi cominatoriis et insolentibus audienciam publicam perturbantibus usus est etc. Et dnus Officialis.. ex evidencia

facti innitendo statuto predicti dni Nicolai Brolynsky archidiaconi et officialis etc. prenominatum Stanislaum Mirek in pena medie marce condemnavit et processus pro eadem pena decrevit. Et tandem.. prefatus Martinus Zaleski procurator dicti Stanislai Rosthek coram me notario constitutus petivit dictum Stanislaum Mirek pronunciari contumacem..

A. 1511, Octobris 13, in consistorio Poltoviensi.

334. (Acta offic. VIII). In causa honesti Iohannis de Gzovo contra dnum Iacobum de Gosthkovo canonicum Varschoviensem et plebanum in Bogate, nobilis Iohannes Gzovski dominus dicti Iohannis sui kmethonis.. proposuit pro eo, quia ipse canonicus prohibuit suo kmethoni sub pena III marcarum, nomine Vanko, ne traderet filiam suam Margaretam dicto Iohanni desponsatam per presbiterum, qua prohibicione ipsum damnificavit in X sexagenis, petens ipsum in eisdem condemnari.. et a prohibicione coarceri, ne amplius impediret dictum matrimonium..

A. 1511, Octobris 20, in consistorio Poltoviensi.

335. (Acta offic. VIII). In causa honesti Iohannis Bohemi medici nunc morantis in Poltovsk contra discretum Leonardum Smyevski ex speciali commissione Rmi dni nostri episcopi Plocensis dno Officiali facta, Iohannes per se citato dicto Leonardo.. proposuit, petens ab eo III sexagenas residui debiti pro medicinis et cura in ipso Leonardo factis et per ipsum solvi promissis coram dno capitaneo Czechonoviensi et in hactenus non solutis. Et ibidem comparens predictus Leonardus petivit se remitti ad ius seculare; Iohanne replicante, quod citavit ipsum ut clericum in minori ordine constitutum et cum ipse Iohannes est persona advena et peregrinus, petens sibi promptam iusticiam ministrari. Et dnus Officialis attento, quod causa ipsa est sibi commissa ex speciali commissione Rmi dni Episcopi, ipsam cum partibus ad dnum Episcopum remisit et VItam diem iuridicam post ingressum dni Episcopi in Polthovsk partibus comparendi statuit et prefixit.

A. 1511, Octobris 31, in consistorio Plocensi.

336. (Acta offic. IIIa). Cristi nomine invocato.. per hanc nostram diffinitivam sentenciam, quam ferimus in his scriptis, in causa et causis coram nobis inter honor. dnum Sebestianum vicarium perpetuum ecclesie cathedralis Plocensis, ab una, et discretum Andream de Sczukwyn clericum diocesis Gneznensis in minoribus constitutum et librorum introligatorem in civitate Plocensi occasione certarum iniuriarum verbalium et realium vertente seu vertentibus, partibus ab altera, quia utraque pars.. in probacionibus legitimis defecit testesque pro utraque parte inducti fere per omnia sunt singulares et propterea [pronunciamus, quod] partes memorate: dominus videlicet Sebestianus et Andreas clericus, ad reconciliandum et concordandum sunt cogende.. prout eas.. compellimus, ita tamen, quod Andreas clericus memoratus debet dnum Sebestianum cum duobus presbiteris tanquam in minoribus ordinibus constitutus hodie humiliter petere propter Deum pro indulgencia offense quomodolibet eidem illate ipseque Andreas a detractione statui sacerdotali ac eius obloquucione cessare tenebitur et debebit ac ipsis sacerdotibus honorem ubilibet impendere, dnus eciam Sebastianus Andream

clericum solus similiter petet et rogabit, que omnia et singula partes prefate facere tenebuntur sub censuris ecclesiasticis et pena sinodali..

A. 1511, Novembris 5, in consistorio Poltoviensi.

337. (Acta offic. VIII). In causa nobilis Petri de Gyemyelyste contra nobiles Stanislaum, Andream de Duchny, Martinus Zaleski procurator Petri reproducta citacione.. proposuit contra eosdem, quomodo ipsi anno presenti tempore messium certo die existentes vocati et rogati ad certam concordiam inter ipsum nobilem Petrum et quendam Iacobum kmethonem de Iekacz occasione certorum vulnerum et percussionis faciendam, prout fecerunt et ipsas partes amicabiliter composuerunt et penam vallatam interposuerunt, postea vero vocati et citati per dictum Petrum ad iudicium seculare pro recognicione predicte concordie per ipsos facte ipsam concordiam et testimonium veritatis in periculum anime sue et in damnum predicti Petri ipsos in testimonium inducentis et in favorem alterius partis contra Deum et factam iusticiam recognoscere noluerunt, reatum periurii contra Deum et proximum incurrere non formidantes et per hoc ipsum Petrum confratrem et proximum suum damnificaverunt ad minus in sex sexagenis; et quia iuris et iusticie est, quod non minus peccat, qui veritatem subticet, quam qui falsum testimonium profert, et qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, quare petit ipsos veritatis occultores ut periuris de iure equiparandos in damnis et interesse occasione premissorum prestitis prefato iniuriam passo condemnari et alias ut periuros canonice puniri.. Ex adverso prefati nobiles per se comparentes negaverunt.. procuratore offerrente se probaturum.

A. 1511, Decembris 17, in consistorio Poltoviensi.

338. (Acta offic. VIII). In causa orphane Anne de Noszylsko servitricis mgri Alberti de Gorzkovycze procuratoris causarum civis Poltoviensis contra discretum Petrum de Goszye actu presbiterum vicarium de Vyszna, mgr. Albertus dominus Anne et procurator ibidem apud acta constitutus.. accusavit contumaciam dicti Petri et in presencia mgri Iacobi procuratoris prefati Petri proposuit, quod ipse Petrus dum habuit causam pro iure patronatus ecclesie in Ruthky visitando ad ipsum pro sollicitacione cause, ut ad suum procuratorem, et hospitando apud ipsum dictam Annam post festum Pasce prox. preteritum ad cohabitandum sibi blandis verbis seduxit, promittens ipsam providere, si ipsam impregnasset et prolem, si qua exorta fuerit, similiter providere, dicens: si haberes et duos pueros, ego te cum ipsis providebo; et ipsa credens ipsius verbis ut presbitero ad cohabitandum sibi consensit, cum qua cohabitavit et ipsam impregnavit, petens ipsum ad provisionem sui status competentem cogi..

A. 1512, Ianuarii 7, in consistorio Poltoviensi.

339. (Acta offic. VIII). In causa officii contra discretum Paulum altaristam in Lomza Martinus Zaleski instigator officii.. proposuit. quomodo ipse Paulus non habitis litteris commissionis Rmi dni aut sui officialis a sentenciis excommunicacionis eiusdem ad instanciam plebani in Ruthki et contra quendam Andream Bronislai laicum absolvit et litteras absolucionis sub titulo et sigillo suis decrevit, referens se ad easdem et petens ipsum in pena condigna condemnari. Et ibidem

idem Paulus per se comparens allegavit et dixit, quod ipsum absolvit de speciali mandato dnorum commissariorum principalium iubilei anni videlicet Abrahe et Andree fratrum Minorum de Lovicz.

A. 1512, Ianuarii 14, in consistorio Poltoviensi.

340. (Acta offic. X). In causa vener. dni Iacobi Gosthkowsky canonici Warschoviensis contra nobiles Stanislaum Iohannis de Nyeszyebądy, Balthazarum Martini, Andream Nicolai, Vitum Iacobi de ibidem et Mathiam Stanislai de Milewo, mgr. Iacobus procurator dni Iacobi canonici in presencia laicorum citatorum verbo proposuit, quod ipsi in iure seculari inducti per quendam nobilem Mathiam filium Nicolai de Sdbyky ad prefatum ius terrestre per eundem dnum canonicum pro vulneracione et percussione kmethonis citatum false et inique pro eodem Mathia reo iurarunt isto videlicet modo, quod ipse Mathias non percussisset laboriosum Petrum de Gosthkowo kmethonem dni canonici neque eidem vulnus cruentum intulit, cum tamen contrarium verum sit, quod ipse Mathias eundem Petrum in bonis Leczno sibi obviantem invasit ipsumque percussit ac vulnus cruentum intulit ita enorme, quod per integrum annum infirmus iacuit, a cuius cura ipse dnus canonicus cirulico III sexagenas exposuit; extimavit dampnum, quod ex periurio huiusmodi consecutus est et ex negligencia laborum kmethonis vulnerati ad VIII sexagenas, petens ipsos in eisdem ac expensis in iure seculari et hic factis condemnari..

A. 1512, Ianuarii 16, in consistorio Poltoviensi.

341. (Acta offic. X) In causa discreti Iacobi de Dobrzankowo ministri in Salkovo contra nobilem Gregorium de Slaszy occasione occisionis patris ipsius Iacobi, Martinus Zaleski procurator Iacobi et germanorum ipsius.. proposuit contra eundem, quod ipse Gregorius.. occidit patrem ipsorum nomine Stanislaum non attento divino precepto, in quo dicit dominus noster Ihesus Christus: Non occides, — petens ipsum in pena capitis videlicet in IV sexagenis condemnari et ad solucionem cogi ad penitenciam peragendam..

342. (Ibidem) In causa nobilis Petri de Pnyevo contra nobiles Iohannem, Paulum germanos et Barbaram matrem ipsorum de Krosznycze, nobilis Stanislaus de Rykacze procurator dictorum nobilium in presencia Iohannis et Pauli verbo proposuit, quod ipsi a XIII annis percipiunt usuram de molendino in Crosznycze XV currus farine et brasei valoris VII sexagenarum nichil defalcando in capitalem summam pecunie, petens ipsos in dictis VII sexagenis usurarie ipsis appropriatis condemnari et ad solucionem cogi..

A. 1512, Ianuarii 26 in consistorio Poltoviensi.

343. (Acta offic. X) In causa nobilis Iohannis olim Przethborii de Szebri, Martinus procurator Iohannis oblata citacione.. contra nobiles Derslaum Mathie, Iacobum Mathie, Paulum Mathie, Iohannem Troiani, Iacobum Pauli de Porzecze verbo proposuit, quomodo ipsi false iuraverunt in iure seculari in Przasznysch, quod nobilis Iohannes Vaczyk de Psczolky non promisit neque pactum habuit coram certis personis solvere medium capitis pro quodam nobili Stanislao Vaschyli de Grudowsko, quem ambo pariter interfecerunt et homicidium perpetraverunt et

coniunctim solvere debuerunt simul cum prefato Iohanne Przetborii, quem prefatum Stanislaum interemptum duntaxat prefatus Iohannes solus persolvit iuxta laudum terre, quorum ipsorum falso periurio Iohannes damnificatus est in summa principali solvendo prefatum Stanislaum occisum parti dolenti et in dampnis exinde secutis, singula singulis conputando ad L sexagenas gr. in mediis gr., petens ipsos in eisdem condemnari et ad solucionem cogi et de pena periurii puniri..

A. 1512, Ianuarii 30, in consistorio Poltoviensi.

344. (Acta offic. X) In causa nobilis Katerine Schymakowska vidue contra discretum Albertum ministrum ecclesie in Szarbyewo, Martinus procurator domine reproducta citacione.. sub titulo et sigillo Rmi domini nostri cum inserta eidem commissione in personam dni officialis facta verbo proposuit, quomodo ipse Albertus minister ecclesie anno nondum lapso feria V-ta ipso die s. Dorothee nocte profunda veniens ad tabernam certam ibidem in Sarbyewo familiarem ipsius domine nomine Stanislaum et kmetonem suum vulneravit ad manum sinistram usque ad sanguinis effusionem notabilem, propter quam vulneracionem et inhabilitatem ad labores dampnificavit ipsam nobilem ad minus in II sexagenis, petens ipsum in eisdem racione damnorum et interesse necnon in pena percussionalium iuxta laudum terre condemnari. Et ibidem Albertus per se comparens allegavit dicens, quod non potestis esse meus iudex, quia sum de decanatu Plocensi et ibidem peto me remitti; Martino procuratore domine replicante, quod presens causa est commissa specialibus litteris et speciali commissione Rmi dni nostri, cuius Paternitas potest ubique locorum in sua diocesi causam suorum diocesanorum audire et aliis committere, prout in presenti casu agitur, petens interloqui..

A. 1512 Februarii 4, in consistorio Poltoviensi.

345. (Acta offic. X) In causa honor. dni Iacobi de Gosthkowo, canonici Varschoviensis et plebani in Grudowsko, contra generosum dnum Pomstiborium Dzyerzgowski de Paulovo castellanum Czyechonoviensem, mgr. Iacobus procurator dni canonici.. accusavit contumaciam dicti Pomstiborii, petens.. processus oportunos decerni. Et ibidem comparens dnus Lucas commendarius in Paulowo dixit et protestatus est ipsum dnum castellanum non potuisse venire pro eodem termino propter occupacionem reipublice et propriorum negociorum, petens sibi terminum competentem ad ratificandum actum saltem quindenam prefigi. Et ibidem mgr. Iacobus procurator dni Iacobi canonici proposuit, quod ipse anno presenti f. V-ta post festum s. Phabiani in terminis communibus tunc in Prasznisz celebratis, dum nobilis Iohannes Szokolowski parendo concordie certe inter ipsum et dnum Iacobum canonicum facte VIII sexagenas iudicialiter reponebat, pro quibus accipiendis et levandis nuncios suos dnus Iacobus miserat, ipse vero dnus castellanus nullo mandato a dno canonico habito easdem pecunias per Iohannem Szokolowski repositas vi et violenter rapuit et recepit eundemque dnum canonicum ipsis pecuniis spoliavit, petens ipsum ad restitucionem dictarum pecuniarum vi receptarum cogi et in expensis in causa huiusmodi factis condemnari..

A. 1512, Februarii 27, in consistorio Poltoviensi.

346. (Acta offic. X) In causa dni Pauli Podoski, plebani in Rozan et capitanei de ibidem, contra providos Mathiam Zamylkli, Albertum Kopyto, Stanislaum

Rafalyk et Albertum lutifigulum de Rozan, Martinus Załeski procurator capitanei in presencia dictorum laicorum.. proposuit, quod ipsi false abiuraverunt penam percussionis dicti capitanei in iure Culmensi pro quodam M. Clesmyth, qua falsa abiuracione ipsum damnificaverunt in II sexagenis, petens ipsos in eisdem condemnari et ad solucionem ac penitenciam peragendam cogi. Ex adverso laici negaverunt se false iurasse, sed iuste et recte secundum dispositionem iuris Culmensis, ad quod se referunt et probare intendunt; procuratore offerente se probaturum, quod false abiuraverunt.

347. (Ibidem) In causa vener. dni Iacobi Gostkowski, canonici Varszoviensis et plebani in Bogate, contra generosum dnum Pomstiborium Dzyerzgowski de Pawlowo castellanum Czyechonoviensem, mgr. Iacobus de Brzoze procurator dni canonici.. accusavit contumaciam dicti dni Pomstiborii non respondentis proposicioni, petens eum pronunciari contumacem; qui ibidem personaliter comparens.. petivit eandem causam ad Rmum dnum nostrum Episcopum Plocensem remitti, ex quo etiam alia causa inter eosdem occasione certe summe pecuniarum coram sua Rda Pte vertitur et pendet indecisa. Ex adverso mgr. Iacobus procurator canonici dixit ipsam causam non debere remitti propter negligenciam cause, cum sit dnus Episcopus extra diocesim propriam nec citus eius speratur adventus, et maxime cum sit alia causa non pertinens ad illam, que inter ipsas partes coram sua R. Pte vertitur, petens ut supra; dno Pomstiborio replicante ipsam fore annexam alie cause, que pendet occasione certarum pecuniarum coram sua R. Pte, ipsam causam petit remitti cum toto negocio principali ad suam R. Ptem. Iacobo negante eam annexam, ymmo dicente distinctam et non esse causam legitimam, ob quam deberet remitti. Et dnus Officialis auditis hincinde propositis et allegatis.. causam ipsam.. ad Rmum dominum nostrum remisit; Iacobo verbo appellante ad sedem apostolicam, alias ad sedem metropolitanam ex causa absencie Rmi domini nostri a diocesi alternative apellavit..

A. 1512, Martii 8, in consistorio Poltoviensi.

348. (Acta offic. X) In causa nobilis Iohannis de Szebri iuxta termini exigenciam Martinus procurator Iohannis de Szebri contra quasdam excepciones inpertinentes et minus veras pro parte nobilium Derslai Mathie, Iohannis Troiani, Iacobi Mathie, Pauli Mathie, et Iacobi Pauli de Porzecze nuper in iudicio datas.. nec partem in aliquo relevantes ex eo, quia excipiens falsum deponit, cum quidam Iohannes de Psolki fuit occasio homicidio, super quo res agitur, immo particeps dicti homicidii, quia ipse publice fatebatur coram discreto Iohanne actu presbitero commendario in Grudowszko et aliis fidedignis personis, super quod procurator reffert se, in quantum opus est, se et partem suam ad probandum admitti petit; ubi vero excipiens deducit licet false, quod idem Iohannes de Ploszki VI sexagenas debuisset solvere, cum protunc non plus nisi media sexagena solvebatur auxilii iuxta laudum terre, et paratus est ipse Iohannes contractui eidem satisfacere, ad quod se procurator reffert.. mgro Iacobo reproducente excepciones suas et petente easdem ad probandum admitti..

A. 1412, Martii 15 in consistorio Poltoviensi.

349. (Acta offic. X) In causa nobilis Anne relicte olim Stanislai Smolechowski contra nobiles Nadmyr principalem de Losczewo necnon ipsius testes: Mar-

tinum, Nicolaum Ade, Nicolaum Petri, Iacobum Iohannis de Czarnoti, Nicolaum Michaelis de Kosziny, Martinus procurator Anne.. verbo proposuit, quod dum ipse nobilis Nadmyr fuit citatus ad iudicium terrestre Czyechonoviense pro depabulacione tritici, avene, ordei, pisi in bonis Zagvisdi valoris VI sexagenarum, tandem ipse nobilis Nadmyr, ut principalis, cum dictis testibus false et inique abiuravit depabulacionem, quorum falsa abiuracione depabulacionis damnificaverunt prefatam Annam tam eciam in summa principali, quam eciam in damnis exinde secutis ad X sexagenas gr. in mediis gr., petens eosdem.. compelli ad solucionem et de pena periurii puniri. Exadverso.. nobiles negaverunt se false iurasse, sed vere et iuste; Martino procuratore Anne offerente se probaturum..

A. 1512, Martii 22, in consistorio Poltoviensi.

350. (Acta offic. X) In causa honeste Catherine, uxoris Bartholomei de Poltowsk, dicti Pyekuth contra honestam Margaretam molendinatricem de Gromyno, Martinus Zaleski procurator Catherine.. petivit sentenciam diffinitivam ferri, et dnus Officialis sentenciam diffinitivam.. pronunciavit huiusmodi sub tenore: Cristi nomine invocato.. per hanc nostram sentenciam diffinitivam.. pronunciamus Margaretham de Gromyno molendinatricem honestam Catherinam Pykuthova oppidanam de Poltowsk ad iudicium seculare Culmense et ad presenciam advocati Poltoviensis occasione.. iniuriose percussionis et sanguinolente vulneracionis in causam traxisse et ibidem huiusmodi proposicionem suam nullis aliis probacionibus.. solum suo proprio iuramento confirmasse ac eodem iuramento suo predictam Catherinam in certis penis iudicialibus, iudicibus et dicte parti adverse solvendis, condemnari et penari procurasse ac damnificasse, postea vero ipsam Catherinam predictam Margaretham ad ius spirituale et ad nostri presenciam occasione periurii in dicto iudicio seculari patrati necnon damnis, penis et iniuriis sibi ex huiusmodi periurio illatis et factis traxisse et processum priorem in iudicio seculari habitum et servatum ac intencionem seu actionem predicte Margarethe reprobando eciam periurium eiusdem in iudicio seculari contra eandem Katherinam commissum legitimis probacionibus comprobasse premissaque prefate Margarethe facere non licuisse.. et ob hoc eandem Margaretam in dampnis, penis et expensis occasione premissorum in dicto iudicio seculari per dictam Catherinam passis et eidem illatis iuramento eiusdem extimandis.. prefate Catherine duximus condemnandam.. hac nostra sentencia mediante, a qua sentencia mgr. Albertus procurator Margarethe verbo appellavit.

A. 1512, Maii 17, in consistorio Poltoviensi.

351. (Acta offic. X). In causa nobilis Nicolai filii olim Boguslai de Dabrowka contra nobiles Nicolaum et Stanislaum filios olim Bolkonis de Budzyno, Martinus procurator Nicolai.. proposuit contra prefatos nobiles, ut ad successores in bona paterna hereditaria, quomodo pater predictorum nobilium dictus Bolko habuit III sexagenas et XX gr. in bina obligacione a prefato Nicolao in libro terrestri Makoviensi reformatas de anno Dni 1478, a quibusquidem pecuniis predictus Bolko pater dictorum nobilium recepit modo usurario a prefatis pecuniis VI mensuras mellis crudi alias *raczek* et XXX capecias asserum, et suis kmethonibus propriis messuit predicto Bolkoni patri dictorum nobilium CXX cassulas siliginis necnon

a prefatis pecuniis sic obligatis et inscriptis per IX annos prefatus Nicolaus XII kmethones suos proprios [ad] dietarios labores in anno semel ad falcastrandum fenum predicto Bolkoni patri dictorum nobilium dabat et sibi laborabant usque ad solucionem dictarum pecuniarum superius expressarum, quovis anno a quolibet premissorum kmethonum labores percepit et in usus suos convertit secundum sua beneplacita modo usurarie pravitatis et lucri turpissimi ultra sortem principalis pecunie nichil defalcando, quam summam pecuniarum ex integro recepit de an. Dni 1487, prout quietacio lacius obloquitur libri terrestris Makoviensis et, ut dicitur, animo avido contra precepta divina et humana et [in] anime sue periculum, damnumque.. prefati Nicolai singula singulis conputando levi estimacione extimat ad XXX sexagenas gr. in mediis gr., petens eos ad restitucionem prefate usure aut valoris solucionem cogi..

A. 1512, Maii 26, in consistorio Poltoviensi.

352. (Acta offic. X). In causa honor. Abrae plebani in Branszko contra discretum Nicolaum de Vyelathky ministrum ecclesie sue, [plebanus proposuit], quomodo ipse [Nicolaus] anno presenti in crastino Ascensionis Dni, dum ipse plebanus missam celebraret et post elevacionem in memoria secunda ad altare staret, extunc idem dictus minister superveniens rapuit offertorium in altari positum et in ipso actu violento raptus offertorii de altari et per tractum pelle et corporalis calicem movit et interim aliquas guttas sanguinis Christi de calice effudit, et nisi ipse plebanus in memoria stans calicem sic cadentem festinanter intercepisset, totalem sanguinem Christi de calice effudisset, petens ipsum ob premissa ut sacrilegum et violentum profanatorem divissimi sacramenti condigna pena puniri. Et ibidem minister per se comparens quo ad proposicionis contenta negavit narrata.. preter id quod offertorium honeste accepit; et ibidem reconveniendo dnum plebanum proposuit, quod ipse dnus plebanus sua subordinacione induxit dnum capitaneum Viskoviensem eum accusando iniuste, quod homines in villa Branszko percussisset, que res in rerum natura minime fuit, quia ex suggestione idem capitaneus recepit sibi equum valoris LXXX gr., tunicam valoris unius medie sexagene, pelliceam LXX gr. de pelliculis *novogrothki*, petens ipsum ad restitucionem predictarum rerum aut valoris solucionem cogi..

A. 1512, Iunii 21, in consistorio Poltoviensi.

353. (Acta offic. X) In causa officii occasione clericidii et occisionis discreti olim Alberti Kczanka de Lomza clerici ordinati contra nobiles Paulum, Nicolaum et Felicem germanos de Zaorze, mgr. Iacobus de Brzorze instigator officii reproducto processu monitorio.. petivit eosdem nobiles sentencias excommunicacionis.. incidisse declarari et locum illum, in quo huiusmodi clericidium patratum fuit, videlicet ecclesiam parochialem in Czyrwyno, sub qua idem locus situs est, ecclesiastico subici interdicto etc. Et ibidem ex adverso comparentes nobiles, videlicet Paulus et Felix.. allegaverunt, quod ipsi in huiusmodi crimine clericidii.. fuerunt et sunt minime culpabiles, quia germani ipsorum, videlicet Stanislaus et Nicolaus, ut culpabiles et occisores iam penam capitis capitaneo Lomzensi solverunt et post hoc statim in Prussiam fugerunt et ibidem absentantur in hactenus.. et ibidem in vim comprobacionis premissorum produxerunt certa rescripta de iudicio secu-

lari super huiusmodi patracione criminis homicidii et solucione pene capitis capitaneo Lomzensi, per culpabiles facta, extracta. Et dnus Officialis.. predictos videlicet Stanislaum et Nicolaum ut monitos et citatos non comparentes sentencias excommunicacionis in monitorio contentas incidisse declaravit, quantum vero ad comparicionem in termino, videlicet Paulum et Felicem offerentes se ad iustificacionem et ad pene Rmo domino nostro solucionem, in quantum culpabiles reperti fuerint, suspendit earundem declaracionem ad felicem reditum sue R. Ptis in Polthowszko, similiter et interdicti probacionem in dictam ecclesiam parochialem in Czervyno..

A. 1512, Augusti 25, in consistorio Poltoviensi.

354. (Acta offic. X). Anno legis gracie MDXII.. die vero.. XXV m. Augusti audientia et actus infrascripti prima die iuridica post vaccancias generales in crastino s Bartholomei.. coram Rdo patre dno Nicolao de Brolino decretorum doctore, archidiacono et officiali Poltoviensi in ecclesia Plocensi, post adventum felicem ex Italia et alma urbe Roma tenti et observati ac per me Iacobum Victoris Modzelesky coram sua R. Pte scribam acticati et recollecti, ut sequuntur, presentibus notariis et procuratoribus consistorii.

A. 1512, Novembris 15, in consistorio Poltoviensi.

355. (Acta offic. X). In causa honeste Zophie Kwyatkowna de Polthowsko contra honestam Elizabet Korwschowna de Czyechonow in presencia eiusdem proposuit, quod prefata Elizabet res post mortem mariti sui derelictas, videlicet res mercanciarum in valore II sexagenarum, calidar in valore $1/2$ sexagene, tubam cum lopa in valore XX gr., sigmam in valore $1/2$ sexagene, stubam, quam vendidit pro $1/2$ sexagena, timpana duo, alias *dwa bubny*, valoris XX gr., peram cum libris et instrumentis artis mayce valoris I sexagene ad se recepit et precium ab inquilinis XLV gr. tulit et pro se usurpavit, quarum rerum medietas eam de iure Culmensi spectat, petens sibi eandem medietatem rerum aut valorem adiudicari..

A. 1512, Novembris 29, in consistorio Poltoviensi.

356. (Acta offic. X).. Laboriosus Iohannes Mytko de Grzybowo, germanus frater honor. olim Nicolai plebani de Komorsko, recepit XX volumina librorum scolasticorum in compaturis et VIII volumina in asseribus et sexternos L et magis cum cista a provido Nicolao Poddambek advocato Poltoviensi, per prefatum olim Nicolaum repositos ad servandum, et submisit se et obligavit prefatum Nicolaum advocatum intercedere et defendere ab omnibus suis propinquis, si fuerit vexatus et impeditus dictus Nicolaus Poddambek..

A. 1512, Decembris 20, in consistorio Plocensi.

357. (Acta offic. III a). In causa et causis coram nobis inter Rdum patrem dnum Michaelem D. g. episcopum Margarithensem suffraganeum et canonicum Plocensem actorem, ex una, et honor. Stanislaum plebanum in Smyewo reum occasione certarum decimarum in villa Olschewo Borzim, partibus ex altera, vertente seu vertentibus.. per hanc nostram sentenciam diffinitivam.. pronunciamus

Stanislaum plebanum in Smyewo de anno Dni MDX decimas [1]) omnis grani et seminis valoris, ut extimatur, trium sexagenarum ad numerum solidorum in Olschewo Borzym, [que] ad mensam Rmi.. dni Erasmi D. g. episcopi Plocensis et successive ad Rdum.. dnum Michaelem.. episcopum Margarithensem suffraganeum et canonicum Plocensem tenutarium decimarum prefatarum ex certa donacione memorati.. dni Erasmi D. g. episcopi Plocensis ex $II^1/_2$ mansis, qui ex antiquis temporibus fuerunt cmethonales et per cmethones possidebantur, et ex aliis mansis seu agris de nova radice extirpatis et cmethonibus a XX citra vel ultra annis locatis et possessis necnon ortulanis omnibus, tabernatore et ortulano uno dicto Szygmenthowicz, qui sedent super agris pure predialibus, exceptis, [dinoscuntur] pertinuisse et spectasse, prout pertinent et spectant iuxta statutum diocesanum per prefatum.. dnum Erasmum episcopum Plocensem cum suo vener. capitulo noviter editum et dudum per totam diocesim publicatum, temerarie.. rapuisse ac in usum proprium convertisse.. in iniuriam et dampnum ipsius dni Suffraganei et propterea ad solucionem valoris decimarum prefatarum trium videlicet sexagenarum.. compellendum.. silenciumque perpetuum ipsi plebano Stanislao in Smyewo super decimis prefatis in Olschewo Borzym omnibus et singulis preter tabernatorem et ortulanum prius expressum ac predium per heredem ville ex antiquis temporibus cultum et quem nunc colit imponendum..

A. 1513 [2]), in curia episcopali.

358. (Acta episc. Ia). Testes inducti pro parte nobilium Iohannis Mroczek et Martini Lypski contra dnum Stanislaum de Cansche canonicum Poltoviensem:

Primus testis laboriosus Andreas de Trczanka.. deposuit, quia certo die Veneris fuit in curia ad dominum Stanislaum canonicum Poltoviensem in Iasczolth et stabulum pro adventu dni.. canonici Poltoviensis reparabat et vidit, quando tres equites intraverunt curiam et de equis descenderunt et salutabant dominum canonicum Passer manus eidem porrigendo, non audivit tamen testis, si eosdem propriis nominibus invitavit dnus canonicus et extunc immediate pecierunt nobiles, ut ad ipsum in curia nocturnarentur; dnus canonicus respondit se non habere ubi, nec eisdem aliquid dare pro pabulo equorum; et ipsi nobiles dicebant: Solvemus V. Dnacioni omnia, ponatis nos hic in curia in pace et nullo modo voluit pernocturnare eosdem. Interrogatus testis, si scivit dnus canonicus, quod fuerunt familiares dni Episcopi vel non, respondit: se in hoc nichil scire, nec eciam audivit, si dicerent canonico, quod a dno Episcopo equitamus et sumus eiusdem servi, tantum recesserunt ex curia canonici ad tabernam iam post occasum solis. Et canonicus testem misit ad tabernatorem, ubi collocaverant equos, ut istos vilissimos latrones in taberna pro nocte non poneret; et tabernator respondit: Iam eos expellere non possum, quia iam eisdem fenum et avenam pro pecuniis procuraverunt equis suis. Et canonicus attento eo, quod eosdem tabernator pro nocte conservavit, misit signum obediencie alias *cula*, ut omnes incole convenirent; et postquam convenerunt, mandavit medietati eorundem in curia relinquere et medietati ad introitum ville, alias *u kolowrothu*, stare, ut custodirent, referens, quia isti latrones equitabunt, ut fenum, avenam vel frumentum suis equis pro nocte

[1]) Cod. decimam.

[2]) Data dnia przy tem przesłuchaniu świadków nie została zapisana.

subtraherent, et percuciatis interficiatisque ad racionem mee pecunie, non timeatis. Illos autem, qui in curia erant, honorabat comestione et potu, dicens: Recenciores eritis ad pugnam, quando inebriabimini. Et sederunt secum ad mediam noctem; et post medium noctis mandavit, ut adhuc ad tabernam irent et biberent contencionemque cum nobilibus facerent et interficerent, si quem potuissent ad racionem suarum pecuniarum; et responderunt incole talia eis non licere, et iverunt recte ad domos ipsorum, non ad tabernam; de percussione cubicularii et aliis contentis in libello nichil scit; tantum deposuit..

A. 1513, Ianuarii 28, in Poltowsk in curia episcopali.

359. (Acta episc. IX).. In causa officii contra honor. dnum Iohannem plebanum in Barczyce, mgr. Iacobus de Brzoze instigator officii in presencia eiusdem proposuit, quod ipse in causis iudicium spirituale concernentibus in foro seculari se iudicare permittit et quendam nobilem Iohannem Schovynsky occasione decime acervi siliginis apud eum empti ad iudicium seculare Camyeneczense evocavit et ibidem eundem convenit in contemptum et vilipendium fori ecclesiastici, petens eum in pena sinodali Rmi dni condempnari et sentenciam excommunicacionis secundum statutum provinciale contra eum extendi..

A. 1513, Ianuarii 31, in consistorio Plocensi.

360. (Acta offic. IVa).. Tenor testamenti dni Phalibowsky. — In nomine Dni amen. Sub anno Nativitatis eiusdem MDXIII die vero IV m. Ianuarii ego Mathias Daczbogii de Phalibogy canonicus Plocensis et plebanus in Lanthowo recogitans et mente revolvens terribile iudicium Dei.. testamentum.. conscribo manu propria in hunc modum.. qui sequitur: Ne post mortem meam bona mea et res mee a Deo Omnipotenti michi concesse ac per me ex gracia eiusdem collecte et congregate dilapidarentur et in usus alienos et pravos.. converterentur.. ante omnia profiteor, quod quomodocunque et quacunque morte morior, in fide catholica, quam profitetur Romana ecclesia, morior, ut verus cristianus et presbiter, cupiens et volens salvari non per se, neque meis meritis, sed nece Cristi, qua me redemit. Item animam meam peccatricem commendo omnipotenti Deo creatori et salvatori meo et gloriosissime virgini Marie ac s. Iohanni Baptiste patrono meo totique celesti curie, corpus vero ecclesiastice sepulture in ecclesia Plocensi sepeliendum volo et committo, pro quo sepeliendo lego testamentaliter XXX sexagenas ad numerum solidorum pro exequiis et X sexagenas eciam numeri solidorum dno predicatori et dno Bartholomeo mansionario, ex quibus X sexagenis tenebuntur dare cuilibet substituto vicariali per mediam sexagenam.. Iste pecunie sunt in sacco nigro in cisticula mea in thezauro, prout vicecustos scit bene; in eodem sacco sunt X alie sexagene.. monete Polonicalis mediorum gr., easdem lego testamentaliter pro comparando lapide super corpus meum miserrimum aliis pecuniis appositis, quantum necesse erit, aliunde et specialiter V florenis, quos in eadem summa posui carta papiri coopertos. Item do et testamentaliter lego LX sexagenas.. tribus neptibus filiabus nobilis Iohannis germani mei pro dote et easdem repono in manibus vener. dnorum Nicolai Vylkanowsky archidiaconi Dobrinensis in ecclesia Plocensi et Iacobi Brolynski canonici Plocensis dominorum meorum et rogo, quod easdem non darent cuiquam nisi maritis earum,

cum iam eis copularentur. Hoc tamen excepto, si et in quantum meus nequam germanus voluerit exemere medium mansum apud nobilem Phalislaum Kurzyk de Magna Zarambi in XXIV sexagenis.. quas ego pecunias ab ipso Phalislao pro dicto medio manso modo revocacionis receperam, tunc ei darentur dicte XXIV sexagene et non alias neque alio modo. Item tenetur michi nobilis Paulus Polecz de parva Zarambi V sexagenas in mediis gr., easdem lego ad illas XX sexagenas, a quibus recipiantur IV sexagene, ut habeant due neptes per XX sexagenas integras. Item apud creditores pro decimis, prout in registro continentur et sunt descripti, habeo XL sexagenas ad numerum solidorum minus II sexagenis.. ex istis pecuniis lego Barbare sororine VI sexagenas.. pro dote Kurzathkowska; item Iohanni Kurzathkowsky sororino alias VI sexagenas pro servicio lego de eisdem pecuniis. Item Gregorio sororino famulo lego tres sexagenas: totum numeri solidorum. Item Anne famule Myszynska lego V sexagenas cum sororino ipsius numeri solidorum. Item Iohanni familiari lego II sexagenas.. et duas michi ad servandum dedit, dicte pecunie solvantur et de istis pecuniis pro decimis debitis et obligatis, prout est in registro. Item Andree Ieroszowycz de Podleczko teneor I sexagenam numeri solidorum precii promeriti, de istis pecuniis solventur eis. Item Paulo de Starosrzeby teneor $^1/_2$ sexagenam numeri solidorum precii promeriti cum furticinio, de istis pecuniis solvantur omnes tres isti famuli. Item ecclesie in Lanthowo lego testamentaliter VI sexagenas pro fabrica ecclesie de istis pecuniis pro decimis. Item genero meo Allexio Turowsky lego II sexagenas de eisdem pecuniis. Item residuum earundem pecuniarum pro dictis decimis lego testamentaliter pro tricesimis et faciendis exequiis in ecclesia parochiali mea Lanthovo et tricesimis legendis per presbiteros. Item imprimis lego subductam mardurinam brunatici panni ad disposicionem dnorum exequutorum, Nicolai Vylkanowsky et Iacobi Brolynski, faciant cum illa, quid volunt, cum VI coclearis argenteis maioribus et cingulo cum caleta, in quo est eciam argentum, ut his venditis emant super corpus lapidem. Item subductam vulpibus de arasio nigram lego testamentaliter discreto Martino vicario suo in Lanthowo. Item tunicam *polbinczka* lego germano meo Iohanni et pelliceam lego gloti. Item estivale czamleti nigri lego ecclesie in Lanthowo pro faciendo ornato feriali. Item nobili Katherine Godaczewska lego palium nigrum et filie ipsius seniori VII sexagenas gr. in mediis gr., quas michi tenetur et in libro terrestri obligatur pro decima nobilis Baltazar de Bladowo, lego. Item mitras duas et unam subductam vulpibus de czamleti et aliam byeretum cum sabello lego dno Martino vicario in Lanthowo, alie mitre dentur propter Deum. Item superpilicium novum lego dno Nicolao Wylkanowsky et aliud vetus lego dno Bartholomeo mansionario. Item mensalia: unum novum et aliud iam attritum Cracoviense cum manuteriis lego neptibus. Item neptibus lego tria pulvinaria bona, duas plumaticas cum III cusinis et II lodices meliores. Item libros: partes Lire IV volumina, discipulum de tempore et de Sanctis, postillam, corpus iuris canonici: decretum, decretales, sextum cum Clementinis, iste liber est apud dnum Officialem; istos omnes libros et alios omnes libros, quicunque sunt mei, lego et do testamentaliter neptibus, filiis olim nobilis Alberti Byeata de Phalibogi. Item almucium lego testamentaliter et do dno Iohanni Gnyewyensky canonico Plocensi creato. Item II cistas: unam in Lanthovo et aliam hic in Ploczka, et II cistulas: unam hic in domo et aliam in thezauro inferiori in castro in ecclesia,

lego testamentaliter et do neptibus filiabus nobilis Iohannis germani sui. Item scultellas stanneas sex et duas parvas scultellas alias *przestawky*, talaria stannea XII, duos cantaros stanneos, calidaria tria super pedibus et IV cum rotis alias *zawyes-samy* testamentaliter lego et do nobili Iohanni, germano meo. Item ligna lego partem ad scolam, partem ad hospitale s. Trinitatis et partem ad claustrum s. Trinitatis. Item tunnam farine maiorem lego Martino vicario in Lanthowo, aliam Anne et residuum pro exequiis faciendis. Item scrutum, pisam committo exequutoribus distribuendum. Item II parnas lardi anni preteriti testamentaliter lego ad monasterium s. Dominici, alias duas lego ad monasterium s. Trinitatis et duas ad hospitale s. Trinitatis, alias porcos, si non fuerint occisi. Item lego testamentaliter.. nobili Iohanni germano suo II porcos sagenatos et II choros pise alias IV parnas lardi, si porci fuerint iam occisi. Item lego I porcum Martino vicario et alium porcum Anne famule eciam lego.. septimum porcum lego pro exequiis faciendis cum omnibus caponibus tam in Lanthovo quam in sanctuario. Item omnia frumenta cuiuscunque grani et seminis, que sunt supra domos, brasea et alia lego.. dnis exequutoribus distribuendum partem amicis et partem pauperibus. Item omnia frumenta in Lantovo in alodio lego.. pro successore et totum in sanctuario. Item acervum siliginis, quem conduxerunt de Dwyersno, lego.. nobili Iohanni germano suo et avenam in Crobicze. Item IV boves, duos antiquos et duos iuvenes et duas vaccas antiquas lego.. nobili Iohanni germano suo. Item nobili Katherine Godaczewska sorori sue alios II boves antiquos et II vaccas iuvenes cum sex ovibus et alio bove antiquo. Item Iohanni sororino famulo meo lego.. bovem iuvenem et vaccam iuvenem cum IV bovibus et prius dedi ei vitulum cum vitula, habebit IV pecora; eidem Iohanni lego.. equum parvum *plesnivi*. Item Anne Myszynska famule mee cum sororino ipsius lego.. II vaccas cum vitellis et VI ovibus. Item Allexio Thurowsky meo genero cum sororina uxore ipsius lego.. bovem iuvenem cum vacca iuveni. Item equum *sywy* dictum *zorawy* lego.. nobili Iohanni germano suo, quem recipiat unacum equabus suis. Item alium equum maiorem *plesnywy* commendo vendendum et pro anima pecunias convertendum. Item equum Myska lego Gregorio famulo suo. Item omnia et singula alia pecora et que in hoc testamento non sunt descripta lego.. nobili Iohanni germano suo. Item currus omnes do dnis exequutoribus preter unum deteriorem, quem do Allexio Turowsky genero meo. Istud est testamentum meum et ultima voluntas mea, cuius testamenti et ultime voluntatis heredes et exequutores meos constituo, creo et facio vener. et honor. dnos Nicolaum Vylkanowsky archidiaconum Dobrinensem in ecclesia Plocensi, Iacobum Brolynsky canonicum, Mathiam predicatorem, Bartholomeum mansionarium ecclesie Plocensis et Martinum vicarium in Lanthovo absentes tanquam presentes omnes in solidum et quemlibet eorum seorsum, dans.. eisdem plenum mandatum.. huiusmodi testamentum exequendi..

A. 1513, Februarii 4, in consistorio Poltoviensi.

361. (Acta offic. X). In causa nobilium Laurencii, Martini et Petri, Dorotee, Agnetis et Elizabet contra Leonardum Stanislai, Iohannem Nicolai de Vysczele, Nicolaum Iohannis de Orly, Mathiam Nicolai de Byenki et Andream Iohannis de Marzusche, Bartolomeus procurator accusavit contumaciam.. non respondencium proposicioni. Et ibidem Martinus procurator Leonardi et aliorum litisconsortium

respondendo proposicioni.. dicit prefatos nobiles bene iurasse et testificasse pro nobili Nicolao de Mylewo, licet sit per pueros in terminis communibus in Czyechonowo proclamatus, tamen minus iuste, quod contrarium verum est, quod kmethones ipsius Nicolai, videlicet Mathias et Stanislaus, ut invasi et in vim defendendo prefatum olim Iohannem patrem prefatorum nobilium [occiserunt] et non ipse Nicolaus, qui est proclamatus per prefatos pueros, et in supplementum responsionis produxit certum rescriptum ex libro terrestri Czechonoviensi sub sigillo ducali extractum, quando nobilis Iacobus Zochowski preco magnus, qui erat de officio datus et missus ad conspiciendum violenciam prefato Nicolao factam, interrogabat dictum olim Iohannem, quis sibi manum abscideret; extunc idem Iohannes aduc existens vivus dixit: non inculpo nobilem Nicolaum patruum meum, sed kmethones ipsius; petit procurator prefatorum nobilium rescriptum ad causam admitti. Et ibidem dnus locumtenens mandavit partibus probare intenciones suas infra II menses.

A. 1513, Februarii 18, in consistorio Plocensi.

362. (Acta offic. IV a). In causa eiusdem Ioseph Fry [civis Plocensis] contra vener. Iacobum Zalieski canonicum Plocensem, dnus canonicus respondendo libello ipsius Ioseph negavit contenta in libello esse vera preter cementum, cuius tantum VI tunnas per III gr. apud ipsum recepisse confessus est, et hoc nomine Rmi.. dni Episcopi moderni Plocensis pro reparacione altaris in ecclesia maiori receptos et non plus..

A. 1513, Februarii 28, in consistorio Plocensi.

363. (Acta offic. IV a). In causa testamentaria olim dni Michaelis Prasmowski, prepositi Plocensis, contra dnum capitaneum Plocensem, Augustinus de Vyschegrad procurator executorum prefati testamenti accusavit contumaciam partis adverse.. Exadverso comparuit honor. dnus Albertus Boyanowski procurator dni capitanei et nomine eiusdem allegavit, quod ipse dnus capitaneus est vocatus per R. Mtem ad convencionem generalem Poznanie in proximo celebrandam in facto reipublice, propterea petiit, quod medio tempore in hac causa supersedeat usque ad reditum ipsius dni capitanei de dicta convencione. Procuratore partis adverse excipiente et dicente, quod dicta peticio dilacionis locum non habet.. ex racionibus infrascriptis: primo quia ipsa causa est dudum inchoata et tractatur per procuratores, quos ipse dnus capitaneus informare potuit sufficienter, qui eciam ipsum dnum capitaneum defendere possent et eius causam deducere, et quod si secus factum fuerit, extunc anima testatoris negligeretur, similiter et utilitas communis.. Et dominus auditis hincinde propositis.. mandavit procedere ad ulteriora et nichilominus dedit dilacionem IX dierum ad avisandum ipsum dnum capitaneum pro informacione..

A. 1513, Martii 16, in consistorio Poltoviensi.

364. (Acta offic. X). In causa nobilis Bartolomei de Corytki contra nobiles Nicolaum de Malonki, Venceslaum de ibidem et alios litis consortes in proposicione contentos occasione periurii, Martinus Zaleski procurator nobilium.. allegavit Nicolaum de Corytki, pro quo prefati nobiles iuraverunt, non excisisse signa, prout geometer commensuravit, in eadem area nec ultra sepiisse sepe, et propterea

bene iurasse et in vim melioris probacionis produxit certum rescriptum commensuracionis dicte aree ex libro terrestri Czyechonoviensi, pro qua prefati nobiles conveniuntur; nobilibus offerentibus se probaturos intencionem suam.

A. 1513, Martii 19, in consistorio Plocensi.

365. (Acta offic. IV a).. In domo dni Officialis et in presencia testium infrascriptorum constitutus personaliter venerandus pater mgr. Thomas de Obidzyno, cantor ecclesie cathedralis Plocensis et exequutor testamenti infrascripti, ex certis causis animum suum moventibus immo de speciali mandato Rmi dni Episcopi Plocensis testamentum superius in actis contentum cassavit et cassari voluit et presens suo et suorum coexequutorum nominibus ad acta consistorii Plocensis ingrossari peciit et secundum tenorem ingrossacionis huiusmodi per dominum confirmari. Et dominus ipsum testamentum ingrossandum iussit ipsumque ex speciali commissione super hoc a prefato Rmo habita confirmavit et immunitati ecclesiastice ascripsit litterasque citacionis et monitoria necessaria contra debitores et alios raptores bonorum dicti testatoris ad instanciam prefatorum exequutorum decrevit..

Tenor testamenti olim Rdi patris dni Michaelis suffraganei Plocensis [1]):

In nomine Dni amen. Sub anno Nativitatis eiusdem MDXII indiccione XV.. die vero Solis XIX m. Septembris post prandium in domo Rdi patris dni Michaelis D. g. episcopi Margarithensis, suffraganei et canonici Plocensis, extra muros civitatis Plocensis sita in sala superiori. Quoniam egritudinis vehemencia corporalis solet plerumque aracionis tramite in tantum mentem avertere, quod nedum de temporalibus, verum eciam de se ipso et de anima quispiam disponere, ordinare seu providere non valet, propter quod dum in mente sobrietas est et in corpore quies, melius et salubrius disponitur ac etiam ordinatur ultime iudicium voluntatis, et quia nemo in carne positus viam potest ultimi iudicii evitare, in quo quilibet eciam de factis propriis redditurus est racionem, idcirco constitutus personaliter Rdus.. dnus Michael D. g. episcopus Margarithensis, suffraganeus et canonicus in ecclesia cathedrali Plocensi, sanus mente pariter et corpore existens et matura deliberacione intra se prehabita, in mei notarii publici et testium infrascriptorum presencia testamentum seu voluntatem ultimam de rebus a dno Deo omnipotenti collatis condidit, disposuit et fecit in hunc, qui sequitur modum: Inprimis protestatus est solenniter, quod in fide catholica, quam s. universalis ecclesia Romana tenet, cupit et desiderat mori, demum recommendavit et recommendat animam suam peccatricem Altissimo creatori, qui eam [2]) creavit, ac beatissime virgini Marie totique celesti gerarchie, corpus vero suum sepulture in ecclesia cathedrali Plocensi in capella mansionariorum beatissime virginis Marie ibidem sita. Item im-

[1]) Tekst tego testamentu pomieszczony został w księdze konsystorskiej dwa razy. Pierwszy tekst (A) został przekreślony, a przekreślenie tłumaczy następujący współczesny dopisek: »De mandato Rmi.. dni Erasmi episcopi Plocensis presens testamentum in certis clausulis est cassatum et ulterius in actis est ingrossatum de consensu et voluntate exequutorum: Ita est ego Iacobus Cziolek officialis; ita est ego mgr. Thomas de Obydzyno cantor Plocensis manu propria... (reszty tego dopisku brak z powodu odcięcia dolnego marginesu karty). — Drugi tekst (B) wzięliśmy za podstawę do naszego wydania, podając wszystkie ważniejsze odmianki z tekstu *A*. Dwa jednak zdania z tekstu *A* zostały tak dokładnie zatarte, że o odczytaniu ich i pomieszczeniu nie mogło być mowy. A właśnie te dwa zatarte ustępy, nie powtórzone w tekscie *B*, były z pewnością przyczyną skasowania pierwotnej redakcyi testamentu.

[2]) A. eum.

primis apud Rmum.. dnum Erasmum D. g. episcopum Plocensem L sexagenas in mediis gr. certi debiti mutuati iuxta recognicionem, que est apud dnum testatorem. Item Rmus.. dnus Vincencius, episcopus tunc Plocensis nunc vero Wladislaviensis, tenebatur dicto testatori CCCC florenos in auro secundum ipsius recognicionem, quam habet testator, super quam summam inprimis solvit XLVI sexagenas in mediis gr. de arenda clavis Mąkolinensis. Item in Gąbyn postquam iuramentum fecit de obediencia sedi apostolice in manibus testatoris, solvit L sexagenas in mediis gr. Item in Wladislavia per manus vener. Iohannis Parznyewsky tunc canonici Polthoviensis L sexagenas gr. in mediis gr. solvit in presencia vener. dni Iacobi Zalesky canonici Plocensis; residuum vero, videlicet C florenos cum VIII florenis in auro, et addicionalia super CCC florenos minus VIII solvere tenetur. Item apud magnificum dnum Andream de Radzyeievicze palatinum Plocensem LXXXV florenos [1]) puri auri et iusti ponderis certi debiti mutuati, quos florenos pro deauracione monstrancie in eadem ecclesia cathedrali Plocensi dedit, donavit et legavit. Item apud generosum dnum Nicolaum Trampsky tribunum Plocensem fuerunt X marce Polonicales cum VI sexagenis gr. in mediis gr., super quas X marcas recepit testator ab ipso tribuno V tunnas salis pro V marcis et restant apud eum V marce cum VI sexagenis certi debiti mutuati, prout in inventario continetur. Item apud dnum Zalessky canonicum Plocensem confessus est habere IV florenos in auro parum deficientes in pondere et sibi fatetur teneri quatuor sub pondere [2]). Item in cisticula parva, quam habet in cista mansionariorum in testitudine b. Marie in capella dixit se habere testator CC sexagenas in mediis gr. [3]). Item apud dnum Ambrosium abbatem modernum Czirvienensem LXXX sexagenas in mediis gr. certi debiti mutuati iuxta ipsius recognicionem, quam contestator [4]) habet. Item residuum CCCC florenorum suorum propriorum certi debiti mutuati Rmo.. dno Vincencio episcopo Wladislaviensi, de quibus supra mencio facta est, unacum addicionalibus legavit et testamentaliter designavit pro capella b. Marie [5]) et reparacione ipsius, in qua sepulturam elegit, similiter per exequutores disponendum. Item V marcas Polonicales et VI sexagenas gr. in mediis gr. certi debiti, de quibus mencio supra facta est, demonstravit apud generosum dnum Nicolaum Trambsky tribunum Plocensem et ad ecclesiam s. Dominici pro reformacione ipsius ecclesie dedit, donavit et legavit. Item dno Mathie penitenciario XX sexagenas in mediis gr. legavit de pecuniis apud abbatem Czirvienensem. Item omnia et singula frumenta et census exigendos, quecunque in prediis continentur, videlicet: Vyczyewo, Crolewo, Byskupicze, Bochenczewo et Trzepowo, Mochowo in Srzebna et Czyeczykowo, decimas mandavit exequutoribus omnia et singula premissa dare pro reformacione ecclesie fabricaque eiusdem ecclesie cathedralis Plocensis in manus dnorum prelatorum et canonicorum, de quibus frumentis et censibus dni exequutores pro fatiga ipsorum et diligencia XX sexagenas in solidis pro se tollent. Item Bartolomeo suo famulo VIII sexagenas gr. in solidis et II vaccas cum vitellis pro servicio ipsius legavit;

[1]) A. floreni.
[2]) A. Item apud dominum Iohannem Vyth civem Plocensem (s).
[3]) A. in testitudine dicit se habere testator CC sexagenas in mediis gr. b. Marie in capella.
[4]) A. testator.
[5]) A. Marie virginis.

quas[1]) VIII sexagenas dabunt exequutores de pecuniis ab abbate receptis Czirvienensi, prout supra. Item ad capellam mansionarie, quam olim Petrus episcopus Plocensis fundavit, calicem argenteum deauratum, ampulas argenteas, ornatum album de adamasco cum attinenciis, cappam de axamento auro texto ecclesie cathedrali restituant[2]), IV dalmaticas super casulas, scatulam cum pallis serico et auro textis alias *ssyrsynky*, manutergia tam sericea quam eciam de tela Colonensi cum serico et auro texta, osculare argenteum deauratum cum reliquiis, crucem alias pectorale cum ligno vite ad mansionariam dedit. legavit et donavit; aliam crucem minorem cum casula et aliis attinenciis et infula de *postawyecs*, quam sibi procuravit, pro sepultura reliquit. Item dno Mathie penitenciario duo coclearia argentea legavit maiora alba. Item dno Iohanni commendario in Narussowo duo coclearia argentea minora, cantarum, scultellam et tria tallaria minora et II equos, quos habet apud se, quos sibi elegerit inter IV equos, quos habet in Narussowo. Item Augustino[3]) duo coclearia de minoribus argentea et pelliceam mardurearn et equum eunuchum. Item capucium nigrum subductum sabello[4]) dno Mathie confessori legavit. Item biretum cum sabello dno Mathie penitenciario legavit. Item de summa LXXX sexagenarum, quas testator mutuavit dno abbati Czirvienensi X sexagenas in mediis gr. pro ecclesia parochiali in Narussowo dedit, donavit et testamentaliter legavit. Item X sexagenas in mediis gr. de eadem summa ad ecclesiam parochialem in Crolewo super campanam, ita quod permutetur parva campana pro maiori et prefate X sexagene addentur. Item de eadem summa ad ecclesiam s. Dominici XX sexagenas ad numerum solidorum pro reformacione ecclesie dedit, donavit et legavit. Item Paulo Vąsz ponantur in saccum ipsius X sexagene in mediis gr. cum medio tercio grosso, qui saccus habetur in cisticula cum aliis pecuniis et pro servicio suo dentur X sexagene eidem in solidis, vacce due de prediis et cum vitellis et residuitatem prefatarum LXXX sexagenarum videlicet unacum media sexagena in mediis gr. et XIV sexagenas ad numerum solidorum receptas apud villicum in Vyczyewo pro familia servetur. Item fratri Iohanni plebano de Czelucz[5]) VI coclearia argentea cum tabulis seu manubriis deauratis, cantarum maiorem stanneum, scultellam maiorem inter omnes et aliam minorem ampliorem de ere magnam, sex tallaria stannea ad modum scultellarum. Item eidem fratri IV equos redarios alias *vosnyky* cum curru novo, szubam de *athlass* nigri coloris pellibus sabellinis subductam et aliam szubam brunaticam eciam de *atlass* pellibus scismorum subductam. Item patellam alias *panew* mediocrem, tripidem cum brevibus pedibus et *durslak*, lebetem ereum alias *garnyecs* dedit, donavit et testamentaliter legavit, ut memoretur anime sue et benefactoris sui Petri episcopi Plocensis, et pelvim maiorem. Item C sexagenas in mediis gr., que continentur in cisticula et cista magna mansionariorum dedit et dat in manus honor. dni Mathie penitenciarii et vicarii perpetui in ecclesia[6]) Plocensi necnon honor. dni Iohannis de Gąbyn fratris testatoris et plebani in Czelancz dispensan.

[1]) W A. wyrazu tego brak.
[2]) W A. brak trzech ostatnich wyrazów.
[3]) A. domino Augustino.
[4]) A. sabellis.
[5]) A. Czelyancz.
[6]) A. ecclesia cathedrali.

dum pro anima eo celerius tali sub condicione, quod inprimis dent [1]) religiosis ad s. Dominicum de ista summa C missas legere de s. Spiritu, quibus completis alias C missas de s. Trinitate et alias C missas de b. Virgine sine intermissione, et quod etiam tricesime legantur per alios presbiteros infra istud tempus pro anima testatoris et quod etiam singulis Quatuor temporibus cantentur vigilie et exequie parentur in ecclesia [2]) cathedrali Plocensi ad s. Michaelem et ad phara de eisdem pecuniis usque ad finem summe memorate C sexagenarum, quod per dispensatores et exequutores prefatos peciit et vult fieri, consciencias ipsorum onerando, de quibus pecuniis eciam dicti exequutores et dispensatores diebus, quibus celebrabuntur exequie per tres grossos eis de eadem summa tollent pro expensis, de eadem summa C sexagenarum pro sepultura in eadem ecclesia cathedrali dni exequutores recipiant VI sexagenas in mediis gr., ut officia compleant [3]) et psalteria. Item alias C sexagenas in mediis gr. dedit, donavit, legavit super axamentum de auro textum et emantur XVI ulne pro cappa comparanda ad ecclesiam cathedralem et cassula ad mansionariam fundacionis olim Petri episcopi. Item ematur axamentum de eadem summa XV ulne; de axamento nigro ematur pro II casulis, una ad mansionariam et alia ad ecclesiam parochialem in Naruszowo, pro residuitate summe prefate ematur tela rubea ad subducendum casulas tam auro textas, quam etiam axamenti nigri; etiam ematur tela Colonensis pro albis et humeralibus [4]), residuum vero convertatur pro labore rerum istarum. Si quid superfuerit, dni exequutores convertant, prout eis placebit, si defuerit, de [5]) aliis pecuniis apponant. Item pecunie pro decimis clavis Zawkrzensis, quas testator (apud capitulum ad annum hunc arendaverat et solverat, LX videlicet sexagenas ad numerum solidorum) [6]) dnis prelatis et canonicis pro defensione bonorum capituli dedit, donavit et testamentaliter legavit; residuum vero pecuniarum de dictis decimis clavis prefate dno Felici capellano suo pro diligencia et serviciis suis dedit, legavit. Item omnes libros quarumcunque facultatum commisit dno Mathie penitenciario et dno Iohanni de Czelanch dispensandos et distribuendos propter Deum et signanter ad monasterium nove plantacionis s. Francisci in Skampe [7]). Item pontificale, quod habet a Rdo patre dno Vincencio episcopo Wladislaviensi moderno restituere mandavit, dummodo volumen biblie restituerit, quod sibi mutuavit in spem restitucionis. Item curvaturam argenteam deauratam cum corulo argenteo, cuius coruli tres sunt peciie, et quarta curvatura; infulam de axamento auro in toto textam; duo subtilia sandalia de axamento rubeo et sandalia de axamento nigro (et libros omnes pontificales legavit ecclesie cathedrali Plocensi, ut eisdem suffraganeus pro tempore existens libere uti possit, quos nunquam in perpetuum alienare debet, sed sub certa taxa eadem de ecclesia accipere et eis bene uti, casu, quo penderet, tenebitur similia apparamenta aut

---

[1]) W A. wyrazu tego brak.

[2]) A. ecclesiis.

[3]) A. expleant.

[4]) B. oneralibus.

[5]) A. ex.

[6]) W tekscie A. zamiast ustępu w nawiasie znajdował się ustęp dzisiaj zupełnie nieczytelny, z którego odczytać można tylko słowa początkowe: »capitulo Plocensi«.

[7]) W tekscie A. znajdował się jeszcze taki ustęp: »Item libros pontificales legavit in manus dnorum prelatorum et canonicorum...... et de gremio capituli Plocensis eidem dabuntur«. Jeden wiersz tego ustępu jest tak zatarty, że go całkiem odczytać nie było można.

taxam eorum ecclesie reponere, pro qua taxa episcopus cum capitulo similia ornamenta pro suffraganeo disponent indilate)[1]. Item testator L sexagenas in mediis gr., [quas] demonstravit apud Rmum.. dnum Erasmum D. g. episcopum Plocensem secundum ipsius recognicionem, quam ipse habet testator, commisit in manus dominorum prelatorum et canonicorum ecclesie cathedralis Plocensis exigendas et pro eisdem pecuniis graduale ad ecclesiem cathedralem comparandum[2]. Item duo pulvinaria meliora de forstat: unum Catherine uxori sartoris Stanislai et aliud Margarethe Squarczyna dedit, donavit et testamentaliter ordinavit. Item caldar magnum, in quo cervisia solet braxari; almariam, que stat in stuba, Catherine prefate legavit et donavit. Item dno Mathie confessori cantarum maiorem post primum, IV talaria ad modum scultellarum, cathenam alias *lancsuch* et equum redarium alias *vossnyk* de minoribus alias *plesnywy* aut quem sibi elegerit, dedit, donavit et testamentaliter legavit. Item dno Stanislao de Syecluky cantarum maiorem post secundum, tunicam nigri coloris et censum in Conyewo, equum unum redarium de minoribus[3]. Item eidem scultellam de maioribus, duo talaria ad modum scultellarum, duo coclearia argentea de minoribus; mensam, que est in cancellaria, dedit, donavit et testamentaliter legavit. Item dno Felici presbitero I coclear argenteum de maioribus, scultellam, cantarum, duo talaria de minoribus et mensam, que stat in camera post caminatam superius. Item residuos cantaros et scultellas commisit dno Mathie dispensandas inter neptes, alias uxoribus Squarka et Stanislai sartoris et Stanislai fabri. Item caldar cum cathena, quod pendet in coquina, ad hospitale dedit, donavit et legavit. Item aliam cathenam Squarka, terciam cathenam Stanislao sartori, quartam cathenam Stanislao presbitero. Item patellas: unam magnam Bartnyczky, aliam dno Vylkanowsky et terciam dnus Mathias pro se tollet. Item lodices duos meliores ad ecclesiam cathedralem pro formis et alios duos ad capellam b. Marie Virginis in ecclesia eadem per dnum Petrum episcopum fundatam[4]; quintum dno Mathie confessori, sextum et ultimum Felici capellano suo legavit et testamentaliter donavit. Item Stanislao sartori equum de minoribus equis. Item Iacobo procuratori in Crolewo equum eunuchum, quem habet apud se, et equum seniorem et minorem. Item Catherine coctrici in Crolewo II vaccas cum vitellis et VI oves; residuum vero pecorum et pecudum dno Iohanni commendario in Narussowo dedit etc. Item vasa omnia, in quibus solet cervisia servari, commisit dnus testator dno Mathie disponendum. Item verna[5]) magna: unum dno Bartniczky et aliud dno Vylkanow-

---

1) W A. zamiast ustępu, pomieszczonego w nawiasie, czytamy, co następuje: »dnis prelatis et canonicis legavit in illum modum, quod si eligetur de terra Mazovie suffraganeus et de gremio dnorum prelatorum et canonicorum, illi omnia premissa dabunt, quod si suffraganeus, successor testatoris, non fuerit electus modo premisso videlicet de terra Mazovie et de gremio dnorum prelatorum et canonicorum, extunc dictam curvaturam cum aliis attinenciis dni prelati et canonici vendant et ad usus suos convertant, prout melius videbitur eisdem.

2) A. ad ecclesiam cathedralem ex graduali, in quo nunc canitur, scribendum et comparandum, residuum vero pecuniarum ipsi dni prelati et canonici ad tezaurum capituli pro defensione bonorum capituli servabunt.

3) A. equum novum de equis minoribus vehedariis.

4) A. Item lodices duos ad capellam s. Marie in ecclesia cathedrali Plocensi per dnum Petrum episcopum fundatam et duos ad formas

5) A. veruta.

sky. Item anulum maiorem cum lapide zaphiro dno Bartniczky custodi, alium minorem cum lapide eciam zaphiro dno archidiacono Vylkanowsky et tercium cum lapide viridi, qui vocatur turcus, dno decano Myrowsky. Item mensam cum II cistis et III tabulis idem testator dedit, donavit et testamentaliter legavit dnis mansionariis capelle s. Marie in ecclesia cathedrali Plocensi; ea tamen condicione, si domum communem habuerint; casu vero, quod carerent domo, extunc dni exequutores eandem mensam vendant et pro anima eius precium dispensare debebunt. Item vestes albas, lectisternia, linteamina tam Colonensia quam simplicia commisit dispensare dno Mathie penitenciario inter Squarczyna Catherinam sartoris et Zophiam fabri et Strzebonyska, et Felicis presbiteri immemor non sit. Item omnia pecora et pecudes, que sunt in prediis Byskupicze, Bochenczewo, Trzepowo et Crolewo, videlicet boves, vaccas, oves, scrophas, porcos commisit dno Mathie dispensandos pro hospitali pauperibus et inter consanguineos. Item horologium ad claustrum s. Dominici extra muros Plocenses. Item apud pellificem Stanislaum *syodlarz* XXVI pelles vulpine et II pelles castorum dnus Mathias vendet et pro anima convertet. Item szuba (s) brunatica de panno *stamleth* marduribus subducta commisit exequutoribus vendendam et familiam eius precio consolare. Item szubam de araso marduribus subductam dno Iohanni in Narussowo dedit, donavit et testamentaliter legavit. Item omnia frumenta [1]), pecora et pecudes in Narussowo virginibus monialibus in claustro s. Marie Magdalene extra muros donavit.

Ut autem premissa omnia et singula execucioni debite demandentur suumque debitum sorcientur effectum, huiusmodi testamenti sive ultime voluntatis prenominatus dnus testator defensores fecit et ordinavit, videlicet: vener. dnum Bartniczky Nicolaum custodem, dnum Nicolaum Vilkanowsky archidiaconum Dobrzinensem [2]), dnum Nicolaum Myrowsky decanum ecclesie cathedralis Plocensis exequutoresque et procuratores omnibus melioribus via, iure, modo, stilo et ordine, videlicet: vener. et honorabiles dnum Thomam de Obidzyno cantorem, dnum Mathiam penitenciarium ecclesie cathedralis Plocensis et dnum Iohannem de Gąbyn plebanum in Czelancz absentes tanquam presentes omnes et quemlibet eorum in solidum, quibus et illorum cuilibet idem dnus testator dedit et dat plenam et liberam potestatem, licenciam et auctoritatem ac plenum posse et mandatum omnia et singula in presenti testamento contenta iuxta ordinacionem predictam distribuendi, debita repetendi, agendi, recipiendi, levandi, extorquendi, de receptis et levatis quittandi, solvendi pro saluteque anime sue convertendi, prout ipsis melius videbitur expedire. Voluitque idem dnus testator, quod si huiusmodi omnes exequucioni interesse non poterint, unus vel saltem duo premissa exequantur, in quo eorum consciencia oneratur. Acta sunt hec anno, indiccione, pontificatu, die quibus supra. Presentibus ibidem venerabilibus et honorabilibus Andrea Costhka de Rosthkowo doctore, Nicolao Stroschewsky plebano in Clukowo notarioque capituli, Augustino de Vyschegrad, Bartolomeo, Stanislao de Syecluky mansionariis ecclesie cathedralis Plocensis ac nobilibus Iohanne Lesczynsky, Nicolao Gyerzynsky, Nicolao Costhky et aliis fidedignis ad premissa vocatis et rogatis. Et me Felice de Sypnyewo clerico Plocensis diocesis publico auctoritate apostolica notario eiusdem testamenti seu ultime voluntatis scriba.

[1]) W A. brak tego wyrazu.
[2]) W B. wyrazu tego brak.

A. D. MDXIII, indiccione I.. die dominica XX m. Februarii in Iunyecz diocesis Plocensis per Martinum Lipsky auctoritate apostolica notarium publicum, auscultate et collacionate presentes copie cum originali, quod in actis Rmi.. dni Erasmi D. g. episcopi Plocensis continetur, et concordant in toto.

Ego mgr. Thomas de Obidzino cantor Plocensis ita approbo et sic ad acta consistorii Plocensis inducere volo tanquam exequutor eiusdem testamenti.

Auscultatum et collacionatum est hoc presens testamentum per me Andream Burnak clericum Plocensis diocesis auctoritate apost. notarium publicum et concordat in toto cum suo originali. Ita est ego ipse Andreas manu propria, qui supra.

A. 1513, Aprilis 6, in curia episcopali.

366. (Acta episc. Ia).. Testes pro parte discreti Martini de Lasy et contra discretos Nicolaum Crobynsky et Bartholomeum Zuchora notarios consistorii Polthoviensis.. examinati..

Primus testis discretus Iohannes Grambczewski.. respondit.. quia.. Sabbato magno Pasche anni prox. preteriti venit Nicolaus Krobynski ad scolam, teste et aliis scolaribus presentibus, et tenendo cultrum in vaginis dixit inducenti: Tu es malus, qui vis me percutere, nunc exeas, si es audax, ante scolam, experiemur vires nostras. Inducens vero tunc communicavit et fugit supra scolam ad cameram; tandem f. II^da^ Pasche existente teste in cimiterio vespere post divisionem Recordacionis cum aliis testibus, Nicolaus Krobynski cum Bartholomeo Zuchora iacientes figebant cultrum alias *dagą* in statuam campanilis, quam tandem in terra iacentem inducens aut volens aut a casu pede trusit. Cui Nicolaus Crobynski [interroganti], quare ita fecisset, respondit: nescio; tandem ad secundam interrogacionem dixit: quia volo. Cui dixit Krobynski: exeas de cimiterio, si audes. Et tenentes se per manus exiverunt de cimiterio et invicem cum cultris evaginatis inter se digladiabantur. Bartholomeus vero proiecit contra inducentem cum *dagą;* tandem Mathias Popowski superveniens cum corulo percussit bina vice inducentem, nescit tamen, si animo iniuriandi aut reducendi. Interrogatus, si vidit, quis intulit sibi ista vulnera, dixit, quod non vidit, quis ex illis esset. Tandem eadem hora, quando adductus est ibidem Iesus ad barbitonsorem, vidit vulnus cruentum in manu in cubito, aliud in scapulis, tercium in manu dextra in transversum per compaginem alias *staw*. Interrogatus ad interrogatoria exadverso producta, videlicet si inducens sit clericus contenciosus et propter suos excessus per dictum decanum sit de scolis licenciatus, dixit sibi testi non constare, tantum audivit ex fama. Etiam interrogatus, si eum trusit in cimiterio aut minabatur Nicolao Crobynski, dixit sibi non constare. Interrogatus, si post huiusmodi contencionem graciose et amicabiliter secum conversabatur inducens et cum aliis notariis etc., dixit sibi non constare, tamen audivit et semel vidit loqui inducentem cum Zuchora, tamen nescit, si graciose aut amicabiliter..

A. 1513, Iunii 6, in consistorio Poltoviensi.

367. (Acta offic. X). In causa honor. dni Iohannis Poryczki plebani in Thykoczyn contra nobiles Petrum et Doroteam coniuges de Poryte, Iacobus de Brzoze procurator plebani.. in presencia nobilium proposuit, quomodo anno prox. preterito, videlicet MDXII circa festum s. Michaelis prefatus dnus Petrus germanus et

immoverius uxor sua Dorotea ausu temerario XX acervos siliginis, tritici IV, avene II et I acervum integrum, in quo continebantur frumentum, ordeum, pisa et avena et reliqua frumenta, de ipsius horreo in villa Porythe vi et violenter receperunt et in domum suam in eadem villa induxerunt, alias pro suo beneplacito converterunt et suis applicaverunt usibus et eisdem acervis prefatis iniuste et indebite spoliarunt; et hiis non contenta prefata Dorotea eundem dnum plebanum virum virtuosum, vita et conversacione honestum coram multis bonis hominibus et presertim coram Illma domina Anna duce Mazovie infamavit, eum propterea horreum et frumenta prefata in ea repeciisse velle, quod eidem cohabitare noluit, dicens hec verba vel eis in effectu similia: nequam latro et malus presbiter propterea michi indignatur et acervos in me nititur repetere, quod eidem ad petita sua cohabitare alias ad copulam carnalem consentire nolui. Extimavit violenciam et damnum in frumentis illatum ad D ducatos, infamiam vero ad mille etc. — Idem contra eandem pro cista, quam adhuc idem dnus plebanus vivente matre sua ad servandum, cum multis rebus per eum apud bonos homines deservitis.. videlicet: II obstagiis, uno margaritis et alio auro intextis. aliisque rebus valoris C ducatorum, dederat, [quod] in domo retinent et extradere nolunt, petens eosdem ad solucionem omnium et singulorum premissorum alias ad restitucionem cogi necnon prefatam Doroteam racione infamie in summa extimata condemnari.. Ex adverso Paulus Gadnowski procurator nobilium citra probacionem iurisdiccionis, si et in quantum ipsa causa sit iuris secularis, non intendit per aliquem actum approbare vestram iurisdiccionem, petit copias et terminum dicendi contra ad quindenam, et obtinuit ad quindenam..

A. 1513, Iunii 16, in consistorio Plocensi.

368. (Acta offic. IV a). In causa generosi dni Felicis de Golczewo contra nobiles Marcum de Sypnyewo, Iohannem de Guthowo, Casparum de Chorzewo, Allexium de Myodusy et Laurencium Wrothny de ibidem, Felix per se contra ipsos proposuit verbo, quia licet quidam Iohannes Papirek de Sieprcz civis per quendam nobilem Ambrosium de Bobrowo anno preterito fuisset et esset in bonis Sieprcz atrociter percussus et vulneratus per ipsum Ambrosium et pro ipsa percussione ad ius seculare ad instanciam ipsius dni Felicis fuisset tractus, actamen ipsi nobiles prefati contra rem notorie factam ausi sunt eundem Ambrosium pro prefata percussione expurganda periurare, prout periurarunt, asserentes ipsum Ambrosium non aliter quam post inicium ipsius civis percussi ac.. vim vi defendendo vulnerasse in dampnum et iniuriam ipsius dni Felicis, quod ad II sexagenas racione percussionis extimat, petens ipsos condemnari..

A. 1513, Iunii 17, in consistorio Plocensi.

369. (Acta offic. IV a). In causa generosi dni Felicis Golczewski contra nobiles Marcum de Sipnyewo, Iohannem de Guthowo, Casparum de Chorzewo, Alexium de Myodusy et Laurencium Vrothny de ibidem, Augustinus procurator dni Felicis accusavit contumaciam nobilium.. Ex adverso.. nobiles prefati.. negarunt.. et subiunxerunt dicentes, quod nos fecimus iuramentum, postquam nobis facta est fides alias *zaswyathczenye* iuxta terre consuetudinem per nobiles bonos, videlicet: Iacobum Studzienski et Stanislaum Pozepta de Bobrowo, soli autem istud

non vidimus nec presentes fuimus, sed ad dicta prefatorum nobilium iuravimus iuxta rotam in libro terrestri Bielscensi contentam. Et dnus Felix probabit intencionem suam, quod videlicet ipse nobilis ipsum oppidanum in bonis Sieprcz.. percussit, infra dilaciones.

A. 1513, Iunii 27, in consistorio Poltoviensi.

370. (Acta offic. X). Honor. dnus Nicolaus de Czeszaste vicarius perpetuus ecclesie Poltoviensis.. contra nobilem Bartolomeum de Rapate verbo proposuit, quomodo.. anno presenti in oppido Przaschnysch districtus Czyechonoviensis prefatus Bartholomeus.. eundem dnum Nicolaum presbiterum vite laudabilis et bene apud homines bonos conservatum in terminis ducalibus ibidem tunc celebratis de homicidio cuiusdam Iohannis de Rapathy filii sui per preconem districtus illius nomine alterius filii, pueri in cunabilis ruentis, publice coram multis hominibus tunc pro terminis congregatis iniuste proclamavit eundemque de huiusmodi homicidio inculpare procuravit in preiudicium et dehonestacionem alias periculum dicti dni Nicolai non modicum, cum notum sit eundem Iohannem filium Bartolomei morte subitanea, secundum quod Deo placuit, obiisse et decessisse et dnum Nicolaum nullam causam obitus dedisse, extimans iniuriam et huiusmodi proclamacionem ad D ducatos, petens ipsum in eisdem condemnari et ad reclamandum huiusmodi proclamationem cogi, [et de libro] [1] terrestri describi, et offerens se, si necesse fuerit, canonica purgacione purgaturum, in quantum sibi indicta fuerit. Ex adverso Bartholomeus negavit..

A. 1513, Iulii 8, in consistorio Plocensi.

371. (Acta offic. IV a). In causa officii contra discretum Paulum ministrum in Borzewo, Augustinus.. contra eundem proposuit verbo, quia ipse [Paulus] anno presenti die dominico prox. preterito lusit priammos alias *krąglye* ante tabernam in villa Borzewo et ut sepius ante eundem ludum faciebat et consuevit facere et cum rusticis circa eundem ludum multas contenciones et rixas faciebat hominesque percuciebat et solus percuciebatur in vilipendium status clericalis et contra inhibicionem canonum sacrorum et specialiter Rmi dni Episcopi Plocensis, petens eum condemnari in pena sinodali alias puniri iuxta arbitrium prefati Rmi dni Episcopi..

A. 1513, Augusti 26, in consistorio Poltoviensi.

372. (Acta offic. X). In causa vener. dni Nicolai Zukowsky, cantoris Wladislaviensis et plebani Lomzensis, contra honestos Petrum de Konarzycze, Petrum de Gyelczino, Andream de Staralomza, Stanislaum de Szyemyen, Martinum de Konarzycze et Paulum de Podgorze, mgr. Iacobus de Brzoze procurator dni Nicolai reproducto monitorio.. contra eosdem advocatos ob non solucionem decime alias denegacionem decimacionis, [non] solucionem canapalium, denarii [2]) s. Petri, petivit eosdem sentenciam excommunicacionis.. incidisse declarari.. Ex adverso advocati per se comparentes petiverunt resolvi monitorium in vim citacionis, contra quos ibidem proposuit, quod quamvis omnes et singuli advocati de iure ad decimacionem et alias solucionem omnium et singulorum ecclesie, cui subsunt, pro-

[1]) Wyrazy te pisarz prawdopodobnie przez nieuwagę opuścił. [2]) Cod. denarium.

ventuum teneantur et equales incolis villarum, in quibus morantur, in decimacione et solvendis eisdem proventibus esse debent, nichilominus prefati advocati postquam per prefatum dnum Nicolaum Zukowski plebanum Lomzensem pro decimanda de eorum agris sculteciarum decima requisiti fuerint, ne eandem absque decimacione de agris eisdem capere auderent, ausu temerario frumenta et reliqua semina absque decimacione conduxerunt, relinquentes pro plebano et ecclesia tantum, quantum quilibet eorum voluit, sic quod prefata temeraria frumentorum recepcione et non admissione decimacionis prefatum dnum plebanum dampnificarunt ad minus in VII sexagenis, quos procurator petit in eisdem ac racione iniurie in L ducatis et Rmo dno Episcopo X sexagenarum, ut violentos decimarum raptores condemnari et decetero ad decimacionem et canapalium, colende, denarii s. Petri et ceterorum proventuum, secundum quod incole villarum earundem solvunt, solucionem cogi et compelli.. Ex adverso advocati petiverunt terminum deliberatorium et optinuerunt ad octavam..

A. 1513. Septembris 16, in consistorio Plocensi.

373. (Acta offic. IV a).. Constituti personaliter coram dno Iacobo Czyolek de Lypovyecz canonico et officiali Plocensi generali nobiles Iohannes de Sidoczyno, Albertus de Myesczko de terra Dobrzynensi suo ac tocius parochie Syeprczensis nominibus tanquam nuncii ab eisdem missi tenentes.. suis in manibus quoddam rescriptum sub sigillo olim vener. dni Derslai scolastici et protunc officialis petiverunt supradictum dnum Officialem, ut illud actis ingrossandum mandaret. Quiquidem dnus Officialis, attenta eorum huiusmodi peticione iusta, actis ingrossandum decrevit, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

A. D. MCCCCLXXXVII die vero IV[ta] m. Februarii in civitate Plocensi et in curia Rmi.. dni Petri D. g. episcopi Plocensis coram ipso Rmo patre.. necnon.. dnis Michaele de Prasmowo archidiacono, Derslao de Carnycze scolastico, Paulo Sulislai, Iohanne de Gezewo, Bolesta de Zalessye, Petro Pomnychowski, canonicis ecclesie cathedralis Plocensis, personaliter constituti nobiles Nicolaus de Myesczko et Nicolaus de Paprothna terrigene Dobrzynenses suo et aliorum omnium terrigenarum terre Dobrzynensis de parochia Syeprczensi nominibus tanquam eorum nuncii specialiter ad ea missi sponte et ex eorum certis scienciis animisque deliberatis confessi sunt et recognoverunt, quod tam ipsi Nicolaus de Myesczko et Nicolaus de Paprothna quam alii terrigene Dobrzynenses de parochia Syeprcz de cetero et in ante ea solvere volunt et solvent decimam manipularem siliginis post agros eorum honor. dno Iohanni plebano in Syeprcz et eius successoribus plebanis pro tempore existentibus tali modo, quo ipsi terrigene et eorum predecessores dicto dno Iohanni plebano moderno vel eius predecessoribus decimam huiusmodi solvere consueverant et ad solucionem decimarum modo premisso se necnon omnes et singulos terrigenas prefatos suosque et terrigenarum prefatorum omnium et singulorum successores in eadem parochia Syeprcz constitutos submiserunt et obligarunt..

A. 1514, Ianuarii 9, in consistorio Poltoviensi.

374. (Acta offic. X). Mgr. Iacobus de Brzoze procurator nobilium Stanislai, Margarethe, Catherine, Elizabet liberorum nobilis olim Iohannis de Czyarnowo

et contra nobiles Andream de Czyarnowo Lodwigowo, necnon Clementem Alberti de Truski, Adam Stanislai de Filipky, Gregorium de Danowo, Stanislaum Gregorii de ibidem et Iohannem Nicolai de parva Lasko in presentia eorum verbo proposuit, quod cum ipse Andreas per eosdem liberos pro homicidio et occisione Iohannis patris eorum cum suis complicibus, videlicet Gregorio filio suo et Stanislao Petri, Voyslaw de Curzalanka vocatus et citatus in ius terrestre extitit, huiusmodi occisionem negavit, super qua negatione predictos nobiles testes suos, videlicet quod eum olim Iohannem non occidit, induxit et cum eisdem periuravit, cum in rei veritate ipse cum predictis suis complicibus occidit; extimavit iniuriam, damnum et inpensas ad octuaginta sexagenas.. Ex adverso Martinus de Zalyessye procurator Andree et litis consortum respondendo negavit narrata, cum unus alius predictum olim Iohannem interfecit et non ipse, petens se absolvi et huiusmodi suam responsionem ad probandum admitti. Et dnus Officialis mandavit probare actoribus propositionem eorum.

A. 1514, Ianuarii 16, in curia episcopali.

875. (Acta episc. I a).. Testes infrascripti super percussione et captivacione laboriosi Martini Pyrkusch de Iasczolthy per dnum Stanislaum de Kansche canonicum Polthoviensem ex speciali commissione Rmi.. dni Erasmi D. g. episcopi Plocensis.. examinati:

Primus testis laboriosus Iohannes Wroczk de Iasczolthy.. interrogatus, quid sibi constaret de percussione et captivacione Martini Pyrkusch de Iasczolthy per Stanislaum de Kansche canonicum Polthoviensem, respondit, quod anno presenti certo die tempore messium fuit testis in taberna, ubi Martinus propinabat cervisiam et bibebat cum eo, et supervenit canonicus, querebat a Martino, quantum perbibit hospes suus familiaris dni Wylkanowsky; et Martino respondente: aliquot ternarios, quot testis non meminit, et canonicus subiunxit: non dicis verum, non est possibile, quod tam parum iste dominus deberet perbibere; Martino replicante, quod non est tuum cervisiam computare. Et ex illis verbis convinciabantur invicem, quem tandem canonicus percussit flagello in scapulas et arripientes se mutuo et hincinde proicientes ambo ceciderunt in terram. Et testis statim ad iussum canonici posuit Martinum in cippum et tenuit eum per II dies, prout testi videtur; uxorem Martini tandem querulantem coram canonicis Polthoviensibus, postquam rediit ex Polthowsko, simul cum viro suo Martino, in compedes posuit et eciam per aliquot dies in domo vinctos tenebat. Locato tandem iudicio in curia fecit vocari Martinum per scabinos et per alios, ut veniret ad iudicium, quem invenerunt in domo sua infirmum gementem et iacentem et claudum ire non valentem; postquam sic renunciaverunt, quod ire non valebat, mandavit kmethonibus, ut eum portarent, quem portare non valentes in biga in curiam canonici induxerunt ad presenciam scabinorum sive iudicii, et ibidem unus alium inculpabat coram scabinis, et tandem reconciliati sunt ibidem in presencia scabinorum et aliorum kmethonum. Testis vero iterum reduxit Martinum infirmum in domum suam in curru eodem. Interrogatus, si ante percussionem fuit sanus, dixit, quod fuit debilis senio confectus, tamen laborabat

Secundus testis laboriosus Stanislaus Zawily de Iasczolthy.. respondit, quod anno presenti, ut testi videtur, certo die post festum Assumpcionis Marie fuit testis

in curiam canonici vocatus per signum advocati alias *kulya* et ibi vidit Martinum debilem et infirmum adductum in biga desuper sedentem in curia canonici ante viceadvocatum et scabinos iudicialiter sedentes, presente canonico. Interrogatus, si vidit, quando eum canonicus percuciebat, dixit, quod non vidit, sed audivit, quando ita debilis infirmus cum canonico coram scabinis et iudicio altercabatur, ubi dictus Martinus dicebat canonico: Ecce me percussisti et destruxisti, mortem intempestivam a te accipiam; canonico respondente: Fingis te esse infirmum, ego te non tam valde percussi, prout dicis. Interrogatus, si vidit eum in cippo captivum, dixit, quod vidit per aliquot dies sedentem in cippo et tandem in compedibus unacum uxore per aliquot eciam dies detentum..

A. 1514, Martii 10, in curia episcopali.

376. (Acta episc. Ia).. Testes pro parte honeste Katherine de Polthowsko et contra honestum Bartholomeum Mykulycz de Czyechanow inducti et examinati:

Primus testis nobilis Martinus de Lady.. interrogatus ad intencionem inducentis, respondit verum, causam sciencie reddens, quia sepius eum videbat ludentem taxillos et euntem in domum videbat nudum in caligis tantum et omnia quecunque habuit in ludo ammisit et in tabernis quottidie ebrietati insistens. Interrogatus, si maritus suus enormiter percussit uxorem suam, respondit, quod verberavit eam aliquociens tamen anno preterito intulit sibi vulnus enorme cum cultro in caput, ita quod eciam ossa deponebantur de capite.. Interrogatus, si machinatur uxori in mortem, respondit verum, causam sciencie reddens, quia fuit tunc in Polthowsko in foro, quando Bartholomeus maritus inducentis detinebatur in carcere et accessit testis ad carcerem et interrogavit Bartholomeum, cur detineretur in carcere; ille vero causam exposuit, quod propter suam uxorem, tandem adiecit: si me Deus liberaverit ex hoc carcere et potero habere accessum ad uxorem meam, volo eam dehonestare, naso et labiis privare, et acceptis equis ibo in aliam provinciam et applicabo me ad aliquod artificium. Interrogatus, si Bartholomeus cum aliis mulieribus cohabitavit, respondit, quod ab uno anno cum medio, ut testi videtur, pro festo XI millium Virginum in Nur vidit testis Bartholomeum extra oppidum in Nur in una domo publica meretricali ebrium et ludentem taxillos, tandem in nocte vidit iacentem inter duas mulieres, causam sciencie reddens, quia venerat eciam ibi cum equis ad nundinas et fuit in ista domo pariter cum eo.

A. 1514, Martii 25, in consistorio Poltoviensi.

377. (Acta offic. X).. Dnus Officialis.. sentenciam diffinitivam.. pronunciavit huiusmodi sub tenore: Christi nomine invocato.. per hanc nostram sentenciam.. in causa vertente inter nobiles Stanislaum, Margaretham, Catherinam et Elizabet pueros olim Iohannis de Czyarnowo, ex una, et nobiles Andream de Czyarnowo Lodwigowo, Clementem Alberti de Truski, Adam Stanislai de Philipky, Gregorium de Danowo, Stanislaum Gregorii de ibidem, Iohannem Nicolai de parva Lasko, partibus ex altera, occasione falsi testimonii in iure terrestri per eos patrati.. pronunciamus prefatos Andream de Czarnowo cum testibus supradictis periurasse et pro se ipso male testificasse et propterea dictos Andream de Czyarnowo Lodvigowo tanquam periurum et Clementem cum complicibus [tanquam]

falsos testes in summa XLVIII sexagenarum.. condemnamus in expensisque occasione premissorum factis ac ad penitenciam suscipiendam.. cogimus..

A. 1514, Iulii 12, in curia episcopali.

378. (Acta episc. Ia). Testes super verificacione testamenti olim Stanislai Tharnowski plebani in Colaki.. examinati:

Primus testis discretus Stanislaus de Cziarnowo vicarius in Colaki.. deposuit summarie, quomodo de anno preterito videlicet 1513 die certo et tempore, de quibus non bene se meminisse deposuit, dixit tamen, quod carnes edebant, ipse testis cum alio vicario Petro de Gozie vocatus erat ad prandium per plebanum olim in Colaki, ubi invenit plebanum de Rudki et ipsius vicarium Thomam simul cum aliis contestibus suis, ibique prandium omnes habuerunt et plebanus ipse sedebat in loco superiori tanquam prelatus et cum eis pransus est, post prandium vero condidit testamentum hora vesperorum, quod continuabat fere ad crepusculum, et dixit, quod solus ore proprio pronunciabat testamentum et plebanus de Rudki scripsit ad chartam, ex qua charta transsumpsit iterum in pergamenum dixitque eciam, quod audivit, quia omnia et singula in testamento descripta ita sunt pronunciata, prout continetur in testamento, et hoc scit exinde, quia sepius legit testamentum et bene memoratur omnia, et quod executores isti sunt deputati, qui in testamento sunt, et testes iidem interfuerunt; dixit eciam, quod plebanus a tempore revocacionis testamenti vixit usque post sacra Pasche, et de revocacione testamenti nichil audivit, immo dixit se credere et quasi scire, quod ratum habuit, usque ad tempora vite..

A. 1514, Septembris 22, in Polthowsko.

379. (Acta episc. XI). Ingressus Rmi domini in Polthowsko XX m. Septembris alias in crastino s. Mathei. Ibidem sinodus diocesana sabbato post Mathei *(d. 23 Septembris)* usque in diem sequentem celebrata.

A. 1514, Septembris 24, in Poltowsk in sinodo diocesana.

380. (Acta episc. XI).. Rmus dnus.. Erasmus D. g. episcopus Plocensis ex decreto sinodali honor. Iozeph plebanum in Dobrzyyalowo condemnavit in pena medie sexagene, quam solvere debebit pro festo s. Martini prox. futuro..

381. (Ibidem).. Rmus dnus Episcopus honor. Iacobum de Gosthkowo canonicum Warschoviensem et plebanum in Bogathe et Grudosko ex decreto sinodali propter certos excessus et delicta per ipsum scandalose patrata et mores ipsius corruptos eundem condemnandum censuit et in pena XVIII sexagenarum condemnavit et in VII sexagenis eidem graciam fecit; quasquidem XVIII sexagenas infra unum mensem solvere debebit sub censuris, necnon VII coclearia argentea et XII alvearia apum ac XII sexagenas ab ecclesia in Grudosko per ipsum ablata eidem ecclesie restituere infra II menses debebit similiter sub censuris ecclesiasticis. — Solvit V sexagenas, residuum vero Rmus dnus ad intercessionem dni Adriani et aliorum dominorum graciose dimisit.

A. 1514, Octobris 4, in Zlotoria in curia episcopali.

382. (Acta episc. XI).. Comparentes coram Rmo.. dno Erasmo D. g. episcopo Plocensi honor. Abraam curatus in Bransko cum Zacharia fratre germano

suo exposuerunt, quomodo in una domo et mensa communi fraterne commorantes una dierum verbis parum honestis se mutuo affecerunt; proinde dictus Abraam tanquam frater senior et presbiter in vim emende et correctionis flagello, quem tunc in manibus gestabat, Zachariam fratrem leviter percussit, ex qua flagelli percussione aliquid sanguinis in facie visum fuit; proinde dictus Abraam timens, ne forte Canonem incidisset, se ab officio suspendit, et extunc se absolvi per suam Rmam Ptem postulavit. Et Rmus dominus, premissis intellectis et quod vera sunt cognitis dictum Abraam in quantum aliquas censuras incurrisset propterea, attento quod in communi mensa et una domo commorati sunt et quod leviter et causa correctionis percussit et statim se sibi invicem reconciliaverunt, absolucionis beneficium in Dei nomine impendit et eundem absolvit.

A. 1514. Octobris 23, in Zlotoria in curia episcopali.

383. (Acta episc. XI).. Infrascripte littere Rmo dno Episcopo Plocensi pro parte Valentini prepositi in Wyelyschewo satisfaciendo termino, in s i n o d o d i o c e s a n a in Polthowsko pro die sabbato post Mathei celebrata eidem ad docendum de institucione sua assignato, [sunt] oblate sigilloque abbatis et conventus Czyrvenensis, ut prima facie apparebat, sigillate, quarum tenor sequitur et est talis:

A m b r o s i u s, divina providencia s. Augustini canonicorum regularium monasterii ecclesie s. Marie Czyrwenensis abbas, universis presentes litteras nostras visuris pariter et audituris salutem et oraciones. Noveritis, quia per Sedem apostolicam est nobis et monasterio nostro indultum accipiendi et recipiendi loca tam facta quam de novo construenda a quocunque Christifideli, eciam si ecclesie parochiales existant et quibus cura animarum imminet ipsaque per nos aut fratres ordinis nostri ad nutum nostrum deputandos tenere ac illorum curam animarum libere et licite exercere. Proinde vacante ecclesia parochiali in Wyelischewo per mortem vener. Alexii canonici ordinis et monasterii nostri illius ultimi et immediati possessoris, que de iure patronatus nostro et monasterii nostri existit, dictam ecclesiam cum omnibus iuribus ad illam pertinentibus die date presencium ad nos et ad monasterium nostrum recipere decrevimus recepimusque illi nostro et monasterii nostri nominibus vener. Valentinum canonicum ordinis et monasterii nostri professum preficere censuimus preficimusque curam animarum ac administracionem in Spiritualibus et regimen in temporalibus eidem committentes nostra et monasterii nostri vice. Que omnia voluimus vestris universitatibus per has litteras patentes nostras significare, et ne quempiam de premissis l[ateret], ad noticiam de consensu venerabilium et religiosorum fratrum monasterii nostri nobiscum pro capitulo nostro generali die date presencium congregatorum deducere voluimus. In quorum omnium et singulorum fidem presentes litteras sub appensione sigilli nostri communivimus. Datum in monasterio nostro Czyrwenensi XVIII Septembris anno Dni MDIV.

A. 1514, Novembris 9, in Brok in curia episcopali.

384. (Acta episc. XI).. Contractus cum Orzel molendinatore in Danylowo pro tribus domibus similibus in curia Brokoviensi per eum laborandis ad similitudinem et quantitatem domus, quam in Zlothoria idem fecit penes vivarium, alias *sadzawka*, a qualibet earum habebit X sexagenas, tria brasea, V choros tritici,

V ordei et V avene aut *yarky*, IV parnas lardi, unam iuvencam alias *ialowycza*, II choros pisi, chorum milii, salis pro I fertone, siliginis X choros; ipse vero solus cum laboratoribus suis cum tota impensa propria sine aliquo adiutorio hominum et molendinatorum nostrorum [laborabit], excepto hoc, quod homines nostri debent secare et conducere robora, solucionem vero hoc ordine accipiet: quando ligna incipiet planare, habebit I sexagenam; quando maiorem partem planatorum lignorum habebit, recipiet mediam sexagenam; quando incipiet locare cameram primam, habebit I sexagenam; quando finiet palacium utrumque inferius et superius, habebit I sexagenam; quando incipiet tigna ponere supra domum, habebit sexagenam mediam; quando incipiet tegere domum cum tegulis, habebit unam sexagenam; quando totam tecturam et totam domum complebit, habebit residuas II saxagenas; similiter et alia supra descripta, que sibi per capitaneum nostrum Zlotoriensem pro auxilio expensarum dari debent, prout supra descripte sunt, eciam successive cum pecuniis extradentur; et quando finiet totum laborem, habebit tunicam rubei coloris. Acta sunt hec in Brok.. presentibus ibidem Rdo patre dno Petro suffraganeo et vener. Iohanne Gnyewyeski capitaneo Zlothoriensi, Carolo Anthonio de Bononia canonicis Plocensibus et me Fabiano huius actus scriba.

A. 1515, Iunii 1, in arce Polthoviensi.

385. (Acta episc. XI).. In causa officii contra Rdum patrem dnum Ambrosium abbatem Czyrwenensem et suos in hac parte complices circumspectus vir mgr. Iacobus de Brzoze procurator et instigator officii.. in presencia religiosi fratris Iohannis gibosi ordinis s. Augustini canonicorum regularium in Czyrwyensko asserti procuratoris prefati abbatis accusavit contumaciam dicti Ambrosii abbatis cum suis in hac parte complicibus.. quos petivit ut violentos invasores bonorum ecclesie curie episcopalis in Czyrwyensko sentencias et censuras a iure communi et per statuta provincialia contra huiusmodi violentos invasores promulgatas.. incidisse declarari et interdictum extendi. Et Rmus dominus.. sentenciam tulit et promulgavit huiusmodi sub tenore: De iurisperitorum consilio et assensu per hanc nostram sentenciam.. declaramus quendam Ambrosium assertum abbatem oppidi Czyrwenensis nostre diocesis necnon Nicolaum ipsius abbatis presbiterum, Mathiam Wyssoczski, Iohannem Orzechowski, Iohannem Skarzynski, Iohannem notarium, Iohannem Ponykyewski, Nicolaum de Gawarzecz aurigam, Abraam Chelchowski, Adam Myeczkowski, Bronysch Lampyczski et Iacobum Przyborowsky clericos et laicos dicti Ambrosii abbatis complices et familiares curiam nostram episcopalem in dicto oppido Czyrwyensko vi et violenter intrasse et invasisse, portas effregisse ac eas destruxisse et alias violencias et iniurias fecisse, irrogasse aliasque et alia fecisse, prout in quadam summaria informacione.. continetur, ob hocque penas, sentencias et censuras a iure communi et [per] statuta provincialia contra huiusmodi violentos invasores promulgatas.. incidisse.. interdictumque generale iuxta huiusmodi statuta provincialia contra eosdem extendimus.. actionem vero super rebus et pecuniis ibidem in curia factori nostro raptis pronunc obmittimus, postquam non ad nos, sed ad eundem factorem nostrum pertinere videtur. Lecta, lata et in scriptis pronunciata fuit hec sentencia per Rmum.. dnum Erasmum D. g. episcopum Plocensem prefato Iohanne monacho appellante..

A. 1515, Novembris 16, in consistorio Plocensi.

386. (Acta offic. IV a). Nicolaus de Barthnyki custos cathedralis et prepositus collegiate s. Michaelis ecclesiarum.. vicarius in spiritualibus et officialis Plocensis generalis significamus.. quomodo comparens in iudicio.. mgr. Augustinus de Vyschegrad mansionarius ecclesie cathedr. Plocensis causarum consistorii Plocensis et generosorum dnorum Andree de Kyaskowo castellani Slonensis, Petri de Sokolowo castellani Conariensis et Iohannis Rokythnyczki executorum testamenti olim generosi Iozeph Xyenycski legitimus procurator.. testamentum per prefatum olim Iozeph Xyenyczski.. confirmari.. postulavit.. cuius testamenti tenor.. est talis:

In nomine Dni amen. Anno.. MDXV.. die vero Martis XV^ma^ mensis Augusti coram me Mathia plebano in Swyedzyebna Plocensis diocesis et nobilibus dnis Iohanne Rokythnyczki, Bartholomeo Sdanowski generosus dnus Iozeph Xyenyczsky de Xyenythe et Swyedzyebna.. presens suum testamentum.. condidit et publicavit, volens et obsecrans, ut post mortem suam voluntas sua huiusmodi per executores suos infrascriptos in toto impleatur: Imprimis itaque ipse testator.. protestatus est, quod in fide catholica.. moritur.. Item animam pecatricem Sacratissime Virgini Marie.. et Omnium Sanctorum patrocinio commendavit, corpus vero terre, ex qua duxit originem, tradendum commisit in ecclesia parochiali in Swyedzebna. Item ipse testator demonstravit apud generosam dnam Elizabeth relictam olim generosi Procopii Szyeprsky capitanei Plocensis certi mutui debiti CX sexagenas ad numerum solidorum, in quamlibet sexagenam LX grossos solidorum computando, quasquidem CX sexagenas legavit.. pro fundacione.. certi altaris in ecclesia parochiali in Swyedzebna.. cuius altarista singulis septimanis.. III missas leget pro anima ipsius testatoris et predecessorum suorum, et censum, qui pro ipsis CX sexagenis emetur, habebit.. pro labore et onere suo huiusmodi. Quequidem CX sexagene nullo unquam tempore ab ipsa parochiali ecclesia in Swyedzebna transferri debent, ius patronatus vero eiusdem altaris.. semper pertinebit.. ad successores suos et heredes in prefata Swyedzebna. Casu vero, quo census perpetuus pro dictis CX sexagenis.. inveniri non possit, extunc ipsas CX sexagenas ad elemosinas et cetera pia opera convertere et exponere commisit.. Item idem testator demonstravit apud magnificum dnum Nicolaum de Radzykovy castellanum Dobrynensem eciam certi mutui debiti XV sexagenas similes, quas deputavit et legavit pro calice comparando et emendo ad ipsum altare in Swyedzebna fundandum.. Item prefatus testator demonstravit eciam apud nobilem dnum Iohannem Zvaraczki de Schadlovo similiter certi mutui debiti XX sexagenas.. quas pro ornamentis necessariis et duobus ornatibus: uno solenni et alio feriali, ad altare supradictum comparandum.. legavit. Item ipse testator apud providum Nicolaum Burnibel oppidanum in Brodnycza IX sexagenas.. mutui debiti, medium in moneta solidorum et medium in medientibus, demonstravit, quas pro imaginibus altaris supradicti.. legavit. Item testator.. demonstravit apud magnificum dnum Nicolaum Dzyalynsky succamerarium Dobrinensem L flor. in moneta sibi concessos, quos pro campana ecclesie prefate in Svyedzebna deputavit.. Item ipse testator commisit et legavit michi Mathie plebano in Svyedzebna XXVII sexagenas numeri consueti, quas sibi certo modo tenetur nobilis Iohannes Kozyroczski. Item dato casu.. quod si omnes pueri ipsius testatoris morerentur, extunc

super hereditate sua et bonis suis Svyedzebna CL sexagenas.. pro fundacione alterius altaris in dicta ecclesia parochiali in Svyedzebna sub eisdem condicionibus.. que circa primum altare sunt descripte, demonstravit.. et legavit. Et quis tunc propinquior ad ipsa bona in Svyedzebna fuerit, eadem redimendo solverit ipsas CL sexagenas. Item ipse testator demonstravit apud supradictum dnum Nicolaum Dzalynsky certi debiti mutui C½ florenos Hungar. auri.. quos ipsi reformavit.. super bonis suis in Sczuka; quosquidem C½ florenos.. nobili Ade Rokyczski filiastro suo pro studio legavit et consignavit.. ut dum ex eo sacerdos fuerit, memoriam ipsius singularem habeat. Quamdiu autem steterit in studio et antequam in sacerdotem promovebitur, censum ex ipsis C½ florenis.. singulis annis.. percipiet.. Summa autem capitalis.. manebit.. in manibus et disposicione dnorum executorum suorum infrascriptorum. Si autem Adam prefatus a studio cito declinaverit et illud dimiserit aut ante ordinum suscepcionem ex hac vita decesserit, extunc dictos C½ florenos.. et censum ex ipsis provenientem ad elemosinas.. exponere ipse testator commisit.. Item legavit idem testator pro emendacione seu melioracione plebani in dicta Svedzebna XX marcas pecuniarum, quas sibi providus Nykyelbyey oppidanus Brodnicensis tenetur, necnon XIV sexagenas, quas sibi N. Rogowski scultetus in Sczuka tenetur; quequidem XX marce et XIV sexagene manebunt perpetuo circa plebanum dicte ecclesie in Swyedzebna. Item testator supradictus legavit pro fabrica ecclesie in dicta Svyedzebna II sexagenas, quas sibi tenetur nobilis Nicolaus Xenyczski filiaster suus. Item eciam II sexagenas, quas sibi tenetur Alexius de Strzynyno; necnon apud Stanislaum Stabrina de Gorzno I½ sexagenam; apud Stanislaum Masz II marcas pro equa et III sexagenas pro capite; apud nobilem Derslaum de Goczernycza III sexagenas; apud Taday de Galkovo ½ sexagenam; apud Iohannem Trak X grossos et alia debita sua omnia, quecunque fuerint eciam pro frumentis preter superius descripta, pro fabrica ipsius ecclesie in Svyedzebna legavit.. Item.. testator demonstravit certi mutui debiti apud generosum dnum Nicolaum Malynski vexilliferum Dobrinensem CXXXVI flor. per mediam sexagenam Polonicalem et apud nobilem dnam Annam relictam olim nobilis Bartholomei Dolski de Osszyek LXX flor. similes, quos deputavit.. [pro] inpinguacione et emenda plebani in Xyenythe.. ut rector eiusdem.. cum ministris melius et decencius in servicio divino manere.. possent in futurum. Quiquidem rector singulis septimanis.. leget pro anima testatoris.. III missas et censum, qui premissis florenis emetur.. percipiet.. Item.. si omnes pueri ipsius testatoris morerentur, extunc in et super hereditate sua et bonis suis Xyenythe CC flor. pro fundacione.. certi altaris sub eisdem condicionibus.. que circa primum altare in Svyedzebna fundandum sunt descripte, necnon tercium centum pro.. melioracione plebani in Svyedzebna, qui pauper est, demonstravit; et qui propinquior ad ipsa bona in Xyenythe fuerit, eadem redimendo solveret ipsos CCC flor. Item testator supradictus demonstravit.. apud generosum dnum Andream de Kyaskowo castellanum Slonensem XL flor., quos fratribus monasterii in Scampe legavit.. Item memoratus testator demonstravit.. apud generosum dnum Petrum Sokolowski castellanum Conariensem XXX flor., quos fratribus de observancia monasterii b. Marie Virginis in Thoruny legavit.. Item pecunias omnes, que sunt in cista ipsius testatoris deposita in ecclesia parochiali s. Crucis in Brodnycza, et alias pecunias, que sunt in domo ipsius testatoris, de quibus scit

uxor sua, et alias omnes et singulas res et pecunias et vestimenta, que hic non sunt descripta et que post mortem suam fuerint inventa, commisit.. in manus.. executorum infrascriptorum, ut easdem distribuant pro salute anime sue iuxta voluntatem eorum. Item eciam legavit ipse testator VI coclearia argentea pro ampulis ad altare suum in Svyedzebna fundandum faciendis et residua VI coclearia similia uxori sue, si vivet, que si mortua fuerit, extunc eadem legabit eciam pro ampulis ad altare suum [in] Xyenythe fundandum faciendis. Huiusmodi autem sui testamenti executores.. ordinavit generosos dnos Andream de Kyaskowo castellanum Slonensem, Petrum de Sokolowo castellanum Conariensem et Iohannem Rokythnyczki filiastrum suum, quibus se et omnia bona sua commisit. Presentibus dnis Bartholomeo Sdanowski et aliis pluribus fidedignis, testibus ad premissa vocatis..

A. 1516, Ianuarii 23, in Viskow in curia episcopali.

387. (Acta episc. XI).. Honor. dnus Stanislaus plebanus in Gromadzyno principalis.. in presencia nobilis Iohannis Gostomski.. verbo proposuit, quod ipse de anno presenti feria V^ta infra octavas Epiphaniarum hora meridiei.. una cum fratre suo Ieronimo duos equos cum sella et curru ac famulum suum tunc mandato dicti plebani ad patrimonium pro avena euntem ac nonnullas res et presertim pisces matri dictorum nobilium deferentem in dicta villa Gostomyno rapuerunt et receperunt nec dimittere currum, sellam, equos et famulum voluerunt, donec metu, ne equi morerentur aut destruerentur eisdem nobilibus, I sexagenam dictus plebanus solvit, et hiis non contenti et sexagenis huiusmodi receptis sellam hucusque detinent nec restituere volunt in iniuriam et damnum dicti plebani, que estimavit.. ad XXX sexagenas in mediis grossis.. Ex adverso dnus Iohannes Gostomski.. allegavit, quod ipso die per partem adversam designato.. quidam laicus in curru et II equis in dictam villam veniens certam mulierem cum puero in dictis bonis Gostomyno adductam dimisit et ipse iuxta patrie consuetudinem, prout eandem consuetudinem in patria fore asserit, dictum laicum cum curru et equis accepit et facto iudicio omnia sibi adiudicare obtinuit; quare petit se conservari in consuetudine patrie, offerens se premissa probaturum..

A. 1516, Februarii 23, in Wyschow in curia episcopali.

388. (Acta episc. XI).. In causa honor. Alberti vicarii in Barczycze contra nobilem Nicolaum Iaczkowski.. honor. Iohannes plebanus in ibidem procurator assertus vicarii.. proposuit, quod anno presenti die vero lune post Dom. Septuagesime, dum ipse Albertus vicarius in certis suis negociis cum alio presbitero consocio ipsius ad villam dictam Popowo iret et transeundo per villam Iaczkowo ad domum certi kmethonis dicte ville descendisset, nonnulli laici dicte ville ipsum presbiterum pluribus iniuriosis verbis invaserunt et nonnulla probra ei obiecerunt, dictus Albertus volens de predictis coram dicto Nicolao tanquam patrono dictorum laicorum conqueri et sibi iusticiam ministrari accessit ad dictum Nicolaum; dictus Nicolaus videns eum ad se ire.. manus violentas in eum iniecit ac eum gladio, quem tunc dictus presbiter cuidam adolescenti causa restituendi portabat, spoliare volens dictum gladium arripuit, et cum dictus Albertus mittere nolebat, eum in manus usque ad sanguinis effusionem vulneravit, et hiis non contentus

sed mala malis accumulans cum certis suis complicibus manus violentas iniciens eum detinuit et captivavit et exutis vestimentis ipsius duntaxat in camisia per villam ipsius hincinde ducebat et duxit in maximam iniuriam et vilipendium ipsius et status tocius clericalis, que omnia extimat.. ad CCC ducatos auri in auro.. petens per prefatum Rmum dominum ipsum dictum nobilem.. in sentencias canonis: »Si quis suadente dyabolo etc.« incidisse.. declarari ac in dictis CCC ducatis condempnari.. Ex adverso dictus Nicolaus per se.. proposuit, quod cum ipse Albertus anno et die supradictis in villam Iaczkowo et ad tabernam dicte ville descendisset ac ibi potu repletus et ebrius de dicta taberna exiens et in domum cuiusdam kmethonis dicti Zawol intrasset ibique mulierem dicti kmethonis opprimi ac eam ad actum illicitum cogi innixus esset, vir dicte mulieris audiens clamorem uxoris sue in domum venisset et eam a dicta violencia liberare voluisset, dictus Albertus premissis non contentus in dictum kmethonem virum dicte mulieris irruens eum gladio verberavit et vulneravit et mala malis accumulans per dictam villam cum face ardenti discurrens dicti nobilis curiam ac villam predictam incendere volebat et conabatur, quod effecisset, nisi magna diligencia per eundem nobilem et ipsius kmethones facta fuisset, in maximum dampnum et iniuriam dicti nobilis, offerens se legitime probaturum premissa, in quantum pars adversa negaverit, et premissa extimavit ad D ducatos.. petens eum.. ad solucionem cogi..

A. 1516, Februarii 28, in curia episcopali.

389. (Acta episc. Ia).. Testes pro parte nobilis Nicolai Iaczkowski et contra discretum Albertum vicarium in Barczycze.. inducti et examinati:

Primus testis laboriosus Iohannes Zoraw de Iaczkowo.. est kmetho inhabitans.. deposuit, quod anno presenti certo die ante dies Carnisprivii una septimana fuit testis in taberna cum laborioso Stanislao Zawol et cum aliis kmethonibus bibendo hora vesperorum et venit uxor dicti Zawol querulans coram marito suo super discretum Albertum vicarium in Barczycze, quod eam in domo preveniens oppressit; supervenit tandem dictus Albertus vicarius ad tabernam et Zawol cepit sibi exprobrare factum suum in uxore patratum et tandem post multa verba inter se habita cepit capillare et percutere dictum kmethonem et insecutus est eum fugientem per villam, quem tandem kmethones alii defenderunt, causam sciencie reddens, quia fuit presens. Tandem hora fere II^da^ noctis dictus Albertus venit cum face ad domum testis, quem postquam testis prohibuit intrare, ivit ad horreum dicendo, quod incendam horeum aut aliquem occidam et folvam pedibus, et si me interficient, ponetur interdictum propter me in ecclesias..

390. (Ibidem).. Testes pro parte discreti Alberti vicarii in Barczycze et contra nobilem Nicolaum Iaczkowski inducti et examinati:

Primus testis Iacobus vicarius in Barczycze.. deposuit, quod anno presenti f. II^da^ post Dominicam Septuagesime fuit testis in Iaczkovo in alia parte ville, et audivit clamorem mulierum dicenciam, quod dnus Albertus est captivatus per dnum Iaczkowski et gladius sibi receptus, tamen testis non vidit nec fuit presens, ymmo sedebat in stuba neque exivit. Interrogatus, si audivit ab aliquo, quod fuit detentus, deposuit, quod hoc non audivit, sed ab istis mulieribus audivit, quod ducitur per villam. Interrogatus, si vidit vulnera apud Albertum, deposuit, quod vidit parvum vulnus, solum cutis prensionem et non taliter, sed quasi laceratam;

dicebat tamem idem Albertus coram teste, quod solus me lesi, quando voluerunt michi eripere gladium..

Secundus testis discretus Martinus Klukowski minister in Barczycze.. est frater inducentis.. deposuit, quod f. II[da] post Dom. Septuagesime supervenit testis circa occasum solis ad villam Iaczkowo ad tabernam et invenit ibi inducentem dormientem, et interrogabat consocium Iacobum, quare tam cito dormirent et ille respondens dixit: Dormiunt nostri compulsi, ductus est dnus Albertus per villam tanquam ursus. De aliis nichil scit, quia tunc non fuit presens circa huiusmodi gwerram. Interrogatus, si fuit vulneratus dnus Albertus, deposuit, quod in crastino vidit vulnus parvum circa digitum et audivit ex ore Alberti, quod esset vulneratus per nobilem Iaczkowski, testis tamen non vidit nec fuit presens..

A. 1516, Maii 2, in curia episcopali.

391. (Acta episc. I a). Testes infrascripti pro parte laboriosorum Mathie et Iohannis cmethonum de Czarnostowo super violencia ipsis per nobiles Derslaum et Albertum Buncza de Grochy illatis inducti et examinati:

Primus testis laboriosus Nicolaus de Byschewo.. interrogatus, si quid scit de violencia illata laborioso Mathie et Iohanni Pyegly cmethoni[bus] de Czarnostowo, qui respondit, quod anno presenti die certo ante Carnisprivium dum testis sedivit (s) in collacione inducentis ac domo ipsius circa horam terciam noctis, dum inducens audivit strepitum circum parietes, fecit claudere hostium uxori, que dum exivit ex stuba, irruerunt nobiles Derslaus et Albertus Buncze de Grochy in domum inducentis euntes de taberna et mandarunt eis dare cervisiam, hospita dicente quod: domini non propinatur hic cervisia, sed paratam bibatis, quam invenistis. Ipsi dixerunt inducenti: Quare nobis non facis dare cervisiam. Qui eis dixit: Bibatis hanc, quam habetis et quam videtis. Et postea ex hiis verbis fuderunt sibi vitrum cervisie inter oculos et eidem canem interfecerunt; causam sciencie reddens, quia fuit presens et vidit, nichil sibi constat amplius, quia exivit de domo, postquam inceperunt rixari.

Secundus testis laboriosus Nicolaus Baczk de Czarnostowo.. respondit, quod anno presenti die vero certo tempore hyemis. dum sedivit (s) in domo inducentis rogatus ad collacionem, audivit inducens strepitum circum parietes, interrogavit filios: quisnam esset. Et sui filii dixerunt, quod Grochowye vadunt de taberna. Qui illico fecit claudere hostium et antequam exiverunt ad claudendum hostium, ipsi Albertus et Derslaus irruerunt in domum, et mandarunt eis dare cervisiam, sed inducens eis dixit: Domini, bibatis hanc cervisiam, que est in mensa, quia nos non propinamus cervisiam. Et postmodum aliquandiu sedentes fuderunt cervisiam inter oculos inducenti commemorantes sibi priores controversias, que inter eos fiebant. Postea filius Iohannes inducentis dixit eis: Domini, cur nobis infertis violenciam, quare non bibitis pacifice sedentes. Et unus ex eis proiecit in eum securim, qui ad partem secessit et ex illo iactu interfecit vitulum stantem post fornacem; et postea exiverunt pueri et familia de domo inceperunt clamare ad violenciam, qui posthac perterriti fugerunt de villa; canem etiam in principio controversie eidem inducenti interfecerunt.. Ibidem constitutus in presencia mei notarii laboriosus Iohannes deposuit, quod circa eandem violenciam fuit vulneratus per Derslaum Groch in pedem sinistrum. Comparuit etiam ibidem labo-

riosus Stanislaus de Czarnostowo, recognovit et medio iuramento deposuit, quod ibidem dictus Iohannes venit ad eum tanquam scabinum protestatus[que] est, quod eum vulneravit Derslaus Groch, causam sciencie reddens, quia vidit vulnus in pede.

A. 1516, Iunii 16, in Raciąż in curia episcopali.

392. (Acta episc. XI).. Rmus.. dnus Erasmus episcopus Plocensis satisfaciendo propinquis et partibus pro advocacia in Raczyansz talem cum eis fecit contractum: Et primo honor. dnus Albertus Boyanowsky vicedecanus ecclesie Plocensis pro medietate advocacie in Raczyansz ipsum concernente habebit XL sexagenas in mediis gr. a nobili Mathia Cossobuczski, quas se eidem solvere obligavit pro festo s. Michaelis prox. futuro et hoc pro decimis in villis Rzewnyno, Koczurowo, Wapynagora et Rczylyew apud Rmum dnum Episcopum emptis. Item Nicolao Boyanowski pro quarta parte advocacie in Raczyansz XXIII sexagene dande in mediis et XV gr. Recepit iam et in effectu levavit de thesauro Rmi domini XIII sexagenas in mediis et XV gr., residuum vero videlicet X sexagenas habebit ab honor. dno Urbano plebano in Sulyszyrz factore decimarum Rmi dni Episcopi clavis Iuneczensis pro festo s. Margarethe, ad quem data est sibi quittancia. Item Alberto et Zophie, pueris olim Stanislai Boyanowsky, eciam pro quarta parte advocacie in Raczyansz XXIII sexagene dari debent, verum quia uxor secunda eiusdem Stanislai, nobilis Anna Snyegoczska, habebit quartam partem in eadem porcione dicti Stanislai, itaque pueri prefati habebunt XVI sexagenas pro parte ipsorum minus XI gr., dicta vero Anna quartam partem eiusdem solucionis habebit videlicet VI sexagenas in mediis minus XI gr. Item prefatus Nicolaus Boyanowsky recepit et manualiter levavit de thesauro Rmi domini XVI sexagenas minus XI gr. in mediis pro parte Alberti et Zophie puerorum olim Stanislai Boyanowsky nepotum suorum. Item debita, que olim Stanislaus defunctus tenebatur, sunt ista: Primo nobili Iohanni Wyssel II sexagenas in solidis; item Iohanni Kozka oppidano in Radzanow XXXIV gr. in solidis; item Kuznemu kmethoni de Osszyek mediam sexagenam in solidis; item Nywska oppidane in Raczyansz 6 gr. in solidis; item Maczkowa in Szyasthy 6 gr. in solidis; item Sampolka sexagenam I in solidis, facit summa debitorum III sexagenas in mediis et XII gr. in solidis, ad quam de porcione prefate Anne defalcari debent XLVIII gr. Accipient omnia hyemalia et estivalia de canapis advocacie, que seminaverunt, preter illa, que per factorem et oppidanos seminata sunt. Ibidem coram Rmo.. dno Erasmo D. g. episcopo Plocensi personaliter constituti prefati honor. dnus Albertus vicedecanus ecclesie Plocensis suo et nobilis Nicolaus de Boyanowo eciam suo et Alberti ac Zophie puerorum olim Stanislai Boyanowsky nominibus.. recognoverunt, quia Rmus dnus Episcopus prefatus pro dicta advocacia in Raczyansz in toto satisfecit et ibidem pro maiori certitudine et securitate privilegia maius et minus ad eandem advocaciam spectancia.. ad manus Rmi domini tradiderunt, promiserunt eciam ibidem et fideiusserunt Rmo domino pacem ab omnibus propinquis..

A. 1516, Septembris 3, in Polthowsk in curia episcopali.

393. (Acta episc. XI).. Honor. Dominicus Bromyrsky procurator nobilis Iohannis Skaschewsky.. in presencia honor. Michaelis Pnyewsky plebani in Prze-

wodowo verbo proposuit, quod ipse anno presenti infra octavas Corporis Christi ipsius kmethonem in ecclesia arripiens manibus percussit et his non contentus in scolam adducens scolaribus virgis cedi mandavit, extimans iniuriam ad III sexagenas.. Exadverso Michael allegavit eum non percussisse, sed eo, quod nesciebat oracionem dominicalem, ad scolam correctionis causa misisse; et insuper super omnibus, in quibus iniuriatus fuisset eidem laico, concordiam per medium dni capitanei Polthoviensis fecisse, ad quod probandum se admitti petivit pro adventu Rmi domini.

A. 1517. Martii 21, in Polthowsk in curia episcopali.

394. (Acta episc. XI).. Comparuit in iudicio nobilis Michael de Curzanthky reproducta citacione contra honor. dnum Nicolaum rectorem ecclesie parochialis in Romany.. peciit se a censuris.. absolvi et alias de processibus doceri. Exadverso dictus dnus plebanus docendo de processibus, quibus denunciatur, produxit processum vener. dni Nicolai de Wylkanowo tunc archidiaconi Dobrzynensis ac commissarii per Rmum.. dnum Erasmum D. g. episcopum Plocensem ad officium visitacionis in tota diocesi Plocensi deputati sigillo suo munitum, in quo expresse cavetur dictum Michaelem fuisse monitum et excommunicatum propter cohabitacionem certe mulieri, quam in domo sua tunc fovebat; et insuper allegavit ipsum a V annis non fuisse confessum nec communicasse; et dominus visis processibus dictum nobilem a dictis censuris absolvit tali tamen modo et condicione, quod in toto desistat a dicta muliere et quod confiteatur et suscipiat ecclesiastica sacramenta; et in eventum, in quem premissa neglexerit aut a cohabitacione mulieris desistere noluerit, habebit idem rector in vim dictorum processuum facultatem ipsum ut prius excommunicandi..

A. 1517, Aprilis 22, in Poltowsk in curia episcopali.

395. (Acta episc. XI).. Comparuit in iudicio nobilis Michael de Curzanthky et.. contra honor. dnum Nicolaum plebanum in Romany.. proposuit, quomodo ipse eundem confessionem audire licet requisitus recusavit, et quod peius est ad iudicia secularia significatoriales, quomodo ipse excommunicatus esset, dedit, per que nonnulla damna passus est, extimans iniuriam et damna ad summam ducatorum CC.. Exadverso plebanus respondendo allegavit dictum nobilem fuisse excommunicatum per vener. dnum Nicolaum Wylkanowsky archidiaconum Dobrzynensem et visitatorem diocesis ad hoc specialiter per Rmum dnum Episcopum deputatum propter cohabitacionem ipsius inhonestam cum certa muliere suspecta, et quod tunc nolebat eum audire confessionem, donec se prius fecisset a dictis sentenciis excommunicacionis absolvi; et insuper deducendo ipsius temeritatem dixit, quod licet anno presenti circa medium quadragesime fuisset a dictis censuris absolutus, nichilominus ut obstinatus confiteri, licet fuerat requisitus per presbiteros, recusavit, prout nec confessus est. Quare peciit se ab istancia iudicii absolvi et partem adversam propter indebitum tractum in expensis condemnari. Et Rmus dnus Episcopus.. constito premissa allegata per plebanum fuisse vera ex confessatis dicti Michaelis eundem dnum plebanum ab instancia et impeticione dicti Michaelis absolvit, et nichilominus eidem Michaeli terminum ad confitendum et se procurandum ecclesiasticis sacramentis hinc ad festa Penthecosten sub penis

et censuris et declaracionis heretice pravitatis.. prefixit, et dicto plebano sub pena sinodali mandavit, ut requisitus aut per se aut per quemcunque dicte ipsius parochialis ipsum Michaelem confessionem audiret et ecclesiasticis sacramentis, quatenus dictus Michael idoneus existat, procuraret..

A. 1517, Aprilis 27, in Polthowsk in curia episcopali.

396. (Acta episc. XI).. Nobilis Stanislaus Bogyensky vicenotarius Lomzensis summisit se Rmo dno Episcopo Plocensi solvere sexagenam $1^1/_2$ iuxta et secundum antiquam consuetudinem pro destructione pontis Polthoviensis per III struges lignorum, quas asseruit dominorum esse, facte pro festo Penthecosten, et alias ad adventum dni notarii Woyslawsky, quem in hoc principalem et evincere ab omnibus dixit sub censuris ecclesiasticis..

A. 1517, Aprilis 28, in Polthowsk in curia episcopali.

397. (Acta episc. XI).. Comparuit in iudicio nobilis dnus Andreas Losz de Wronowo principalis.. [et] contra discretum Adam vicarium in Szyedlecz vrebo proposuit, quomodo ipse Adam anno prox. preterito et proxime ante festum Nativitatis Dni quendam Iohannem Kostrek de Draszdzewo ipsius kmethonem et subditum.. gladio vulneravit usque ad sanguinis effusionem, penam non modo sacrorum canonum sed et statutorum dicti ducatus et provincie incurrendo in damnum et iniuriam dicti dni Andree, quam iuxta statuta ducatus et provincie ad II sexagenas numeri et monete in terra currentis extimavit, petens responderi..

A. 1517, Iunii 14, in Ploczko in curia episcopali.

398. (Acta episc. XI).. Rmus.. dnus Erasmus D. g. episcopus Plocensis ad intercessionem magnifici et generosorum Andree de Nysczycze palatini Plocensis, Sigismundi Laschewsky, Andree et Felicis de Osznycza II sexagenas gr. in mediis gr. nobili Iohanni Cosynsky eunti versus Lithuaniam contra Moskos, in quibus eidem Rmo racione vulneracionis discreti Stanislai Rachoczsky apud acta erat obligatus, dimisit ac eum liberum fecit et facit per presentes..

A. 1517, Iulii 10, in Ploczko in curia episcopali.

399. (Acta episc. XI).. Constituti personaliter coram Rmo dno Episcopo vener. dnus Iohannes Chrosczyczski canonicus Plocensis principalis, ex una, et nobilis Iozeph Kozyk de Mlycze exadverso principalis, partibus ex altera, in causa iniuriarum inter dictas partes coram vener. dno Stanislao de Trzemeschna decretorum doctore canonico vicarioque et officiali generali Plocensi, vertente terminum presentis diei videlicet ferende sentencie hinc ad feriam VI^{tam} prox. sequentem ob spem concordie et amicabilis composicionis prorogarunt et distulerunt, summittentes se hincinde in eventum, in quem concordatum non fuerit, die eadem velle comparere et audire sentenciam, feriis in favorem messium ex consuetudine patrie indictis non obstantibus. Ibidem vener. dnis Iacobo Zalyeski et Iohanne Wythynsky canonicis Plocensibus testibus. Cuiusquidem sentencie diffinitive prolacionem, quam pro se Rmus dominus reservaverat, eidem dno Officiali prolacionem et eius execucionem committendam duxit..

A. 1517, Augusti 26, in consistorio Plocensi.

400. (Acta offic. III a).. In causa coram nobis inter nobilem Nicolaum Molenda de Clobukowo actorem, ex una, et honor. dnum Stanislaum plebanum in Kykol et notarium terre Dobrzynensis reum pro de et super certa quittancia ex libro terrestri Dobrzynensi ad requisicionem suam, ut asseruit, dari et extradi prohibita [1]) et illius occasione, partibus ex altera, vertente per ea, que ex processu cause huiusmodi testiumque deposicionibus.. cognovimus.. diffiniendo pronunciavimus prefatum dnum plebanum allegacionem suam super consuetudine terre, quod notarius non habet facultatem aliqua rescripta extradere, nisi sit consensus dni iudicis, sufficienter probasse et ob hoc ab impeticione eiusdem Nicolai dnum plebanum absolvendum fore, prout absolvimus, perpetuum silencium occasione premissorum eidem Nicolao imponentes..

A. 1517, Augusti 26, in Poltowsk in curia episcopali.

401. (Acta episc. XI).. Comparuit in iudicio honor. dnus Nicolaus plebanus in Szwyelycze.. in presencia laboriosorum Iohannis Popyelek et Martini advocati filii de Gosczyeowo verbo proposuit, quomodo ipse denegat et recusat decimacionem de agris dicte advocacie, petens eos cogi ad decimandum et dandum decimam iuxta terre consuetudinem et prout alii advocati solvunt. Exadverso dicti Iohannes et Martinus allegaverunt nunquam eis decimatum esse, sed solum decimam pro eorum arbitrio in campis dimittere et quam rectores colligebant eorum impensis. Et dominus auditis propositis et responsis decrevit, ut amodo rector predictus dictis advocatis decimet iuxta consuetudinem aliorum advocatorum et quod conducant ipsi advocati in locum per rectorem deputatum, dummodo dictus rector locum non deputet extra granicies dictorum bonorum Gosczyeowo, alias si voluerit extra limites ducere, ducat suis propriis impensis, et mandavit, ut amodo dicti advocati non faciant aliquod impedimentum sub pena X sexagenarum etc.

A. 1517, Novembris 27, in Polthowsk in curia episcopali.

402. (Acta episc. XI).. Discretus Andreas Burnak procurator generosi dni Iacobi Laschewsky castellani Raczyanszensis.. in presencia nobilium Petri Thyburczycz de Cruschenycza, Alexii de ibidem, Alberti Fideyka de Cywyno, Mathie de Pansche, Gothardi de Grochowarsko verbo proposuit: quamvis idem castellanus ex iniuncto sue castellanie officio prefatum Gothardum ad ius seculare districtus Plocensis pro capite et alias puero per filiam ipsius Katherinam iugulato et interempto citaverat, qui in termino eiusdem iudicii comparens, id nunquam per filiam suam effectum allegando, eosdem testes suprascriptos super verificacione intencionis sue induxit, qui inducti licet horum nichil conscii existentes, nisi, ut presumitur, conventi et donis allecti veritatem opprimentes in animarum eorum grave periculum ausi sunt iurare, prout iurarunt ex certa sciencia dictam Katherinam puerum nunquam in domo patris sui iugulasse, cum contrarium fuit verum, propter quod peciit eos in pena huiusmodi capitis iuxta statutum regni castellanis concessum condemnari et ut periuros puniri. Exadverso Bartholomeus Zuchora procurator nobilium allegavit eos vere et iuste iurasse; procuratore dicti castellani periurium offerente se probaturum, quod probabit.

[1]) Cod. prehabita.

A. 1518, Ianuarii 18, in Polthowsk in curia episcopali.

403. (Acta episc. XI).. Coram Rmo.. dno Erasmo episcopo Plocensi comparens personaliter discretus Dominus Bromyrsky instigator officii dicti Rmi domini contra honor. et honestos Martinum vicarium ecclesie parochialis et priorem conventualem s. Martini in Czyechanow necnon Petrum Burkath, Stanislaum Iascz et Iohannem frenificem, executores testamenti olim Alberti Czurylo civis Czyechonoviensis.. verbo proposuit, quod licet testamenta et ultime voluntates mortuorum sint et debeant iuxta iuris tam canonici quam civilis disposicionem ab executoribus per mortuum deputatis diligentissime exequi, ita ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, nichilominus isti executores testamenti olim Alberti Czurylo in execucione et onere eis per testatorem commisso minus diligentes apparent, prout sunt: ex publica enim fama constat [per] eosdem pecunias bonaque alia, mercancias et res plures per testatorem derelictas ad usus privatos aliquorum hominum conversas et non ad pios, prout idem olim testator disposuerat; et cum Rme domine ad V. Ptis officium pertineat invigilare, ut voluntates extreme debito effectui mancipentur teneaturque Ptas V. ab executoribus de suscepte execucionis officio racionem exigere sufficientem, peto eos cogi inprimis ad reddendum racionem de dispensatis, et tandem ut id, quod hucusque non dispensarunt, dum negligentes sunt, deponant in aliquo loco certo, ubi per eum, cui Ptas V. commiserit, dispensari et ad pios usus iuxta testatoris voluntatem converti possent, ne salus anime defuncti negligatur. Exadverso providus Petrus Burkath nomine omnium ibidem astancium.. dixit, quomodo ipsi de rebus omnibus et singulis per prefatum Albertum derelictis nichil scirent nec aliquam curam haberent, postquam alius videlicet dnus Paulus Trampsky notarius Czyechonoviensis, qui eciam unacum ipsis per defunctum Albertum in executorem deputatus fuerat, solus per se absque omni sciencia se de rebus huiusmodi intromiserit et eas ad se recepit, quas sibi extradere coacti sunt ad mandatum domine ducis; super quo mandato litteras ibidem sub titulo et sigillo dicte illustrissime dne ducis exibuit et produxit, petens se et omnes alios ab impeticione absolvi. Ibidemque Dominicus Bromyrsky.. petivit litteras publice legi et.. contra illas.. excipiendo dixit: Rme domine, iste littere non aliud sonant, nisi quod princeps mandat, ut res derelicte per mortuum dno Trampsky extraderentur ab eis, non tamen constat, quod eas extradidissent, posito tamen et non concesso, si extradite per eos sunt, utique per hoc ipsi excusari non possunt a facienda racione de perceptis et dispensatis, postquam res taliter derelicte non minus ad eorum quemlibet singulariter et ipsorum dispensacionem spectabant, quam ad prefatum dnum Trampsky, et ita debuerant merito coram dna duce allegare causas racionabiles, cur in hac re obtemperare litteris sue Dnacionis non deberent, presertim cum et hec causa testamentaria non ad alium quam ad forum iudicis spiritualis pertinet, quod si fecissent, procul dubio dna dux eos in execucione testamenti non impedivisset. Postquam itaque ipsi acceptarunt onus execucionis et ex facili causa res ad manus unius dederunt, presumitur, quod eas dederunt non causa dispensandi per ipsum solum, sed causa custodie et per modum depositi, ut videlicet ex illo loco de omnium sciencia ad pios usus, prout defunctus pecierat, dispensarentur; peto itaque eosdem ad racionem debitam et ad disposicionem rerum non dispensatarum.. cogi et compelli., Et Rmus dominus.. mandavit, ut ipsi exequutores pecunias, mercancias, res, bona

omnia, per prefatum dnum Czurylo quomodolibet testamentaliter ipsis ut executoribus commissa et per eos nondum dispensata, apud honor. Martinum plebanum in Czyechanow infra hinc et XII dies sub excommunicacionis pena deponerent dispensanda iuxta testamentum per illum vel illos, cui vel quibus sua Ptas id commiserit faciendum, utque infra eosdem XII dies racionem sufficientem de rebus huiusmodi in Polthowsk aut cui id sua Ptas Rma commiserit, faciant in effectu, similiter decrevit..

A. 1518, Ianuarii 31.

404. (Acta episc. XI). Ingressus Rmi domini Cracoviam ad convencionem generalem pro felici coronacione Srme domine Bone regine Polonie Dominica Septuagesime, que fuit ultima Ianuarii.

A. 1518, Augusti 15.

405. (Acta episc. XI). A. D. MDXVIII die XV Augusti Reverendus pater dnus Nicolaus Vylkanowski archidiaconus ecclesie cathedralis Plocensis per Rmum.. dnum Erasmum D. g. episcopum Plocensem, tunc in negociis rei publice Polone a Srmo principe dno Sigismundo rege Polonie, magno duce Lithwanie, Russie, Prussieque etc. et sue Srtatis ac regni consiliariis ad s. sedem apostolicam simul et ad Cesaream Mtem oratorem destinatum, ad exercendum sue Ptis sub huiusmodi absencia a diocesi et regno iurisdiccionis totalis officium in administratorem creatus, volens iniuncto eidem officio feliciter ex Dei clemencia intendere, ut decet, autenticum creacionis sue prefate michi infrascripto notario ad acta presencia de verbo ad verbum inseri et ingrossari mandavit..

A. 1518, Novembris 3, in Plock in curia episcopali.

406. (Acta episc. XI).. Generosus dnus Iohannes de Crysko castellanus Czyechonoviensis oblata citacione contra nobiles Gregorium Cristini de Sobanicze, Iohannem Mathie de Skwari et alios in citacione contentos.. in presencia nobilium proposuit verbo, quod dum alias ipse quendam nobilem Petrum Arassowicz de minori Zukowo ad ius seculare pro pena capitis, quam incurrerat exinde, quia puer seu infans suffocatus de domo eiusdem eiectus et bestiis distractus fuisset, que pena X sexagenarum ad ipsum tanquam castellanum loci spectare debuit, prout spectat, prefati nobiles salutis sue immemores in animarum ipsorum periculum et scandalum Christifidelium non modicum false iurare ausi sunt, quod premissa, per dnum castellanum tunc in iudicio seculari proposita, vera non fuissent, ex quorum testimonio et iuramento ipse dnus castellanus penam predictam in iudicio seculari ammisit, petens eosdem in predicta pena et in expensis tam [in] iudicio seculari quam hic factis condemnari et eos tanquam periuros, prout de iure, puniri. Exadverso nobiles negaverunt se false iurasse. Et dnus castellanus intencionem suam tam in iudicio seculari quam hic propositam probaturum se obtulit, quam probabit infra dilaciones.

A. 1518, Novembris 29, in Plock in curia episcopali.

407. (Acta episc. XI).. Mgr. Paulus organista instigator officii coram dno Administratore lacrimose in querela deposuit, qualiter anno presenti.. die Presen-

tacionis gloriosissime virginis Marie quidam nobilis Stanislaus Mynski armata manu cum nonnullis complicibus suis animo deliberato occidendi dnum Andream Vodinski, Plocensem et Varschoviensem canonicum, parochialiumque in Garvolin et Cossowo plebanum actu presbiterum, venit in villam Camyon Plocensis diocesis ad ecclesiam, ubi ipse olim dnus Vodinski divinis officiis vacabat, quem oracionibus insistentem inermem et nichil huiusmodi suspicantem idem Stanislaus ante portas cimiterii expectabat, quo exeunte irruit in eum imprimis verbis improperiosis et tandem gladio evaginato manum sinistram sibi amputavit et multis vulneribus in capite et manibus seu brachiis afflictum dimisit, qui sic ab eo crudeliter necatus post unam horam vel paulo post interiit; revocavit ipse Paulus nomine ecclesie premissa ad animum et extimavit iniuriam ecclesie ad X milia flor. Hungar. in auro, petens ante omnia, ut pro talium verificacione.. dnus Administrator notarium aliquem ad locum, ubi delictum huiusmodi patratum est, pro recipiendis testibus super notorietate facti.. deputaret. Et dominus honor. Laurencium Zambrzinski deputavit..

A. 1518, Decembris 10, in Płock in curia episcopali.

408. (Acta episc. XI).. Nobilis Stanislaus Otholski factor ville in Slup nomine kmethonum de ibidem.. contra honor. N. plebanum in Slup.. verbo proposuit, quod quamvis ab antiqua consuetudine omnes plebani in Slup pro tempore existentes consueverant simul cum cmethonibus eiusdem ville aggerem piscine in eadem villa reformare casu quolibet necessitatis occurrente, ipse tamen plebanus eam consuetudinem infringens recusat familiam mittere pro huiusmodi aggere reformando, petens eum ad id cogi.. Ex adverso plebanus per se consuetudinem predictam non negavit, sed dixit eam ob id evenisse, quod plebanus habebat liberam attricionem frumentorum in molendino eiusdem piscine et piscaturam piscium ibidem quodque cessantibus premissis cessavit eciam seu cessare vult a reformacione aggeris. Et dominus allegacionem ipsius mandavit probare infra mensem..

A. 1518, Decembris 11, in Płock in curia episcopali.

409. (Acta episc. XI).. Rdus pater dnus N. de Wylkanow archidiaconus et administrator ecclesie Plocensis ad instantem peticionem mgri Pauli organistha instigatoris officii occasione necis et presbitericidii vener. olim Andree Vodinski mgri arcium, Plocencis et Warschoviensis canonici, parochialium in Garvolyn et Cossovo ecclesiarum rectoris, per nobilem Stanislaum Minski patrati volens statutum provinciale extendere generaliter omnia loca diocesis Plocensis ecclesiastico in scriptis subiecit interdicto..

A. 1519, Ianuarii 18, in Płock in curia episcopali.

410. (Acta episc. XI).. Coram Rdo patre dno Nicolao de Wylkanow archidiacono et administratore ecclesie Plocensis.. nobilis Stanislaus Mynsky necator olim dni Andree Vodynsky canonici Plocensis corde conpunctus scelus detestabile per ipsum patratum recognoscens correccioni sponte se subiecit et penitenciam sibi iniungi ac se unioni Christifidelium restitui humiliter genu flexo supplicavit, pro quo intercedendo magnificus et generosus dni Andreas de Nysczicze palatinus Plocensis et Adrianus Golynsky.. se manu coniuncta ecclesie Plocensi alias in

manus prefati Rdi patris dni Administratoris pro pena, quam dictus Stanislaus Minski racione necis predicti dni Vodinski canonici incurrit, DC sexagenas gr. in mediis ad tempora infrascripta, videlicet CCCC sexagenas infra spacium III septimanarum a die presenti continuandarum et C sexagenas pro die Nativitatis Christi primo venturo, residuas vero C sexagenas pro alio festo Nativitatis alias a prox. preterito per biennium sub censuris ecclesiasticis in forma camere apostolice solvere obligarunt petiveruntque eidem Stanislao Minski sinum pietatis et misericordie aperiri et ipsum s. matri ecclesie reconciliari ac ad cor et gremium eiusdem reduci tanquam vere penitentem. Et dnus Administrator attentis premissis, acceptata inprimis obligacione prefata, per dictos dnos Andream palatinum et Adrianum Golinski de solvendis DC.. sexagenis facta, quam obligacionem ipsi iterum et iterum manibus solenniter stipulantibus repetiverunt et se principales pro solvenda dicta pena posuerunt et obligarunt, prout supra, cum prefato Stanislao Minski nomine ecclesie composuit et pro reconciliato s. matri ecclesie habuit ac inter penitentes connumeravit ipsum pro remedio anime et obtinenda penitencia salutari ad confessorem, qui ad id potestatem habeat, et pro absolucione a censuris et penis canonis, quas incurrit, ad sedem apostolicam remisit..

A. 1519, Februarii 3, in Plock in curia episcopali.

411. (Acta episc. XI).. Convenit Rdus pater dnus Petrus D. g. episcopus Lacedemonensis suffraganeus et canonicus ac factor fabrice ecclesie cathedralis Plocensis suo et Rdorum venerabiliumque dnorum prelatorum et canonicorum tociusque vener. capituli Plocensis nominibus cum Ioachim pictore et socio ipsius Iohanne de Cracovia coniuncta manu, qui pavimentum superius in choro ecclesie cathedralis Plocensis noviter extructum colorare et depingere debent, ita videlicet, quod rosas omnes et *sprangle* sculptas ac *lysthwy* auro bono et puro Hungaricali, proprio nuncupato *phengulth,* deaurare et ponere debebunt, alia vero loca et cistas eiusdem pavimenti electissimo lazurio, qui alias ad probam datus vener. capitulo Plocensi placuerit, colorare diligenter et non evasive secundum placitum et voluntatem ac prout predictus dnus Suffraganeus cum dominis modum dederit, depingere in toto. Racione cuius laboris dnus Suffraganeus proprio et tocius vener. capituli Plocensis nomine debebit eisdem dare et impendere in effectu tricentos minus XV florenos usuales numeri et monete Polonicalis, super quam summam predicti Ioachim et Iohannes recognoverunt se iam recepisse L flor. usuales ex manibus dni Suffraganei racione arre et pro comparandis ad laborem necessariis; et hicidem personaliter comparens famatus dnus Iohannes aromatarius Plocensis posuit se fideiussorem et cavit eidem dno Suffraganeo et toti capitulo Plocensi pro predictis L flor. et eorum recepcione, ita videlicet, quod ipse Ioachim laborem ipsum continuabit et quamprimum ad incipiendum picturam et laborem predicti pavimenti Ioachim per se venerit vel miserit, dnus apotecarius a fideiussione liber esse debebit, quemquidem dnum Iohannem apotecarium predicti Ioachim et Iohannes pictores ex ipsa fideiussione eliberare et indemnem facere debent ac se ad omnia racione huiusmodi fideiussionis principales et evictores ponere sub omnium bonorum suorum obligarunt pariter et ypoteca ac censuris ecclesiasticis se obligaverunt in forma camere apostolice cum omnibus clausulis lacius, dum opus sit, extendendis..

A. 1519, Februarii 25, in Plock in curia episcopali.

412. (Acta episc. XI).. Dnus Nicolaus de Wylkanow archidiaconus et administrator ecclesie Plocensis ad instanciam instigatoris officii receptis super summaria informacione testibus iuratis et eorum deposicionibus debite recensitis, attenta nece discreti Iacobi Slawkowski presbiteri per nobiles Iohannem Podoski et complices suos certos Nicolaum fratrem suum et Iohannem Czech eiusdem servitorem eidem inflicta in parochia Schyedlyecz, eandem parochiam ac totum decanatum Polthoviensem ecclesiastico supposuit et subiecit interdicto, et nichilominus citacionem contra prefatos patratores sceleris pro feria II post Dom. Oculi decrevit ad videndum fieri contra ipsos, prout de iure..

413. (Ibidem).. Dnus Administrator prefatus ad instanciam instigatoris officii .. attenta nece discreti Iohannis de Grothki clerici in minoribus et cantoris ecclesie parochialis in Rosczyschewo per nobiles Iohannem Dramynski et Stanislaum Myoduski eidem inflicta in parochia et villa Rosczyschewo eandem parochiam totam ecclesiastico supposuit.. interdicto, et nichilominus citacionem contra prefatos patratores sceleris pro feria II post Dom. Reminiscere decrevit..

A. 1519, Martii 16, in Plock in curia episcopali.

414. (Acta episc. XI).. Dnus Nicolaus de Wylkanow archidiaconus et administrator ecclesie Plocensis ad instanciam instigatoris officii.. attenta nece discreti Martini ministri ecclesie parochialis in Radzanow per nobilem Martinum Cownaczki factorem et Stanislaum cocum servitores generosi dni Iohannis Radzanowski eidem inflicta ibidem in Radzanow, eandem parochiam totam ecclesiastico supposuit.. interdicto..

A. 1519, Augusti 12, in Dzirzgowo in curia episcopali.

415. (Acta episc. XI).. Honor. Laurencius Ząbrzuski.. coram.. dno Nicolao de Wylkanow archidiacono et administratore ecclesie Plocensis nomine instigatorio officii contra honor. et religiosum fratrem Paulum de Byelawy ordinis s. Augustini canonicorum regularium actu presbiterum proposuit, quomodo ipse datus in sensum reprobum immemor status sui sacerdotalis et professionis regule, quam circiter V annos in ordine canonicorum regularium s. Augustini loci Trzemeschnensis observari asseruit, proiecto clericali et ordinis sui habitu, in diocesi Plocensi et extra palam et publice cuidam mulieri maritate Agneti, quam a marito ipsius de Gąschowo abduxit, circiter annis duobus cohabitando apostasiam exercuit, petens eundem propter abolendum exemplum perniciosum aliorum similia presumere intendencium condigna penitencia et pena corrigi atque ad emendam provocari.. Et ibidem frater Paulus.. narrata in libello confessus est esse vera. Quibusquidem proposicione et responsione exauditis.. dnus administrator eundem fratrem Paulum ad peragendum penitenciam ad fratres eiusdem fore remittendum et ad ordinem suum redeundum decrevit, et interim, ut avisarentur superiores dicti apostate, eundem remitti in Polthowsk ad custodiam iussit..

A. 1519, Octobris 3, in consistorio Poltoviensi.

416. (Acta inquis. I).. Testes inducti pro parte honor. plebani in Ostrowya et ipsius ecclesie parochialis.. contra honor. Stanislaum ordinis s. Augustini

conventus Czerwynensis et suam ecclesiam parochialem in Lubothyn.. singulariter deposuerunt:

Primus testis nobilis Stanislaus Ubnyewsky annorum XL.. habens in bonis ad C sexagenas.. interrogatus.. utrum ville Clymunthi et Snylowo spectarent ad ecclesiam parochialem in Ostrowya deposuit, quod sicut recordari potuit, sic ipse ville Climunthi et Znylovo spectabant ad ecclesiam in Ostrowya; interrogatus testis, si sciret, quod ipse ville specialibus nominibus et cognominibus vocarentur, deposuit testis, quod villa, que nunc nuncupatur Clymunthi, vocatur ab herede Clemente, sed ex radice cruda et de iure hereditario dicitur et vocatur Malynowo; interrogatus testis, si ipse ville sint distincte ab aliis bonis et presertim Podbyele specialibus graniciebus, deposuit quod sic..

Secundus testis nobilis Iohannes de Lyubyewo de armis *Trzaski*.. annorum LXX vel ultra, habens in bonis que estimavit ad $C^1/_2$ sexagenas.. interrogatus.. ad quam ecclesiam decime de villis Clymunthi et Znylowo spectarent et iure parochiali pertinerent, deposuit, quod ad ecclesiam parochialem in Ostrowya; interrogatus testis, a quo tempore, deposuit, quod ab eo, cuius hominum memoria non existit.. Interrogatus, quis pro tempore plebanus existens decimas aut proventus dictarum villarum ad ecclesiam in Ostrowya levabat, respondit, quod Petrus plebanus; interrogatus, a quo tempore, deposuit, quod XL anni lapsi, sicut clausit diem extremum.. interrogatus, quomodo et unde venit, quod ille prepositus dnus Stanislaus aut ipsius ecclesia se intromisit ad dictas villas, dixit se testis nescisse; interrogatus testis, a quo tempore se intromisit in villas et parochiam ecclesie Ostrowya spoliare cepit, deposuit, ut estimavit. ab annis XX; interrogatus testis de spolio, deposuit esse sufficiens spolium, cum quis recepit, quod non suum est; interrogatus, utrum villa Climunthi cum Snylowo sint specialiter distincte in suis metis et graniciebus a villa Pobyelye, antequam villa Pobyelye sit ascripta ecclesie in Lubothyn, deposuit testis: annis XL vel ultra, sicut erant illa bona limitata, antequam ecclesia in Lubothyn esset erecta; interrogatus testis, quomodo dicte ville nominantur, deposuit, quod cognominata est villa Clymunthi a Clemente herede, sed ex radice cruda dicta est Malynowo, que testis dixit spectare ad ecclesiam parochialem in Ostrowya iure parochiali; interrogatus, per quem episcopum predicte ville sint ascripte et incorporate ad ecclesiam in Ostrowya, dixit testis, quod per.. olim.. Petrum episcopum Plocensem.. Interrogatus, qui heredes erant et quomodo nominabantur, qui ad ecclesiam parochialem in Ostrowya decimabant de villis Clymunthi, dixit testis nosse Clementem heredem et alios de villa Snylowo Iacobum et alium Iacobum Gumowsky novit..

Tercius testis nobilis Petrus Phalislai de Ubnyewo de armis *Yunossa* annorum LX vel citra, habens in bonis, que extimavit, ad C sexagenas.. interrogatus ad interrogatoria contra honor. dnum Clementem plebanum.. producta, qui heredes decimabant ad ecclesiam in Ostrowya, deposuit: in Clymunthi Clementem et [in] Snylowo Iacobum et Stanislaum Vylkowycz.. causam sciencie reddidit, quia et vicinus et in domo ipsius Iacobi cum esset scholaris cum sacerdotibus ab ecclesia in Ostrowya pro columbacione missis cum campana ambulavit et sepius fuit.. Valorem decimarum de dictis villis proveniencium taxare nescivit.. tantummodo testis meminit, quod tempore felicis recordacionis Cazimiri et Petri episco-

porum, dum scholaris fuit,. decimam percipiebat Petrus plebanus antecessor moderni ad ecclesiam in Ostrowya et postea et modernus eciam percipiebat..

A. 1519, Octobris 10, in consistorio Poltoviensi.

417. (Acta inquis. I).. Testes pro parte honor. Petri plebani in Nur et ipsius ecclesie parochialis inibi contra honor. dnum Nicolaum plebanum et suam ecclesiam parochialem in Czissewo inducti..

Primus testis nobilis Mathias de Conarze de armis *Pobossenye*.. habens in bonis.. ad C sexagenas..

Secundus testis nobilis Martinus de Cutylowo de armis *Cholyewi*.. habens in bonis.. ad CC sexagenas..

Tercius testis nobilis Mathias de Boguthi de armis *Pobossenye* annorum LX habens in bonis.. ad C sexagenas.. deposuit.. quod quidam Stanislaus Dmoch parochianus ecclesie in Czyssewo cum emisset XX mansos illius silve, cepit ab annis XXX decimare ad Czyssewo..

Quartus testis nobilis Daczbogius de Przydanowo alias Drewnowo de armis *Iunosse* annorum L.. ad interrogatorium.. si testis meminit, quod quidam Stanislaus Dmoch emisset certam quantitatem terre, deposuit se meminisse.. Interrogatus de decimacione deposuit patrem suum nobilem Iohannem Dolyeczk nunquam decimasse, quia silva fuit, sed ipse decimabat, deducta silva in agros ad Czyssewo.

A. 1519, Octobris 17, in consistorio Poltoviensi.

418. (Acta inquis. I).. Testes pro parte honor. Stanislai ordinis s. Augustini Conventus Czervienensis prepositi ecclesie in Lubothin contra honor. Clementem plebanum et ipsius ecclesiam parochialem in Ostrowya.. occasione decime manipularis in villa Climunthi et Snylowo inducti..

Primus testis nobilis Stanislaus Podbyelsky annorum LX.. habet in bonis.. ad CC sexagenas.. ad interrogatorium quartum, ubi dicitur, si tempore eo, quo ecclesia in Lubotin erigebatur, ville predicte Znylowo et Climunthi a villa Podbielie sint limitate et distincte specialibus graniciebus, deposuit, quod prius sunt limitate et consignate, antequam ecclesia est erecta, et cognominantur alio modo Malinowo.

Secundus testis nobilis Iacobus de Znylowo de armis *Trzaski* annorum LX.. habens in bonis.. ad CC sexagenas..

Tercius testis nobilis Mathias de Podbyelye de armis *Trzaski* annorum XL..[1])

A. 1519, Novembris 20, in Płock in curia episcopali.

419. (Acta episc. XI).. Personaliter constituti.. Rdus pater dnus Petrus suffraganeus et canonicus ac fabricator ecclesie cathedralis Plocensis cum Iohanne pictore de Cracovia publice recognoverunt: dnus Suffraganeus prefatus, quod idem Iohannes de Cracovia pictor terminavit et finivit laborem circa depictionem et coloracionem pavimenti superioris in choro ecclesie cathedralis Plocensis iuxta et secundum contractum ad acta presencia secum superius habitum, ibidem-

[1]) Zeznania drugiego i trzeciego świadka nie przynoszą nic nowego.

que idem Iohannes pictor recognovit sibi per prefatum dnum Suffraganeum nomine tocius capituli illius ecclesie plenariam et sufficientem solucionem iuxta contractum, ut premissum est, factam fore, pro quo se mutuo hincinde quietarunt, presentibus notariis.

A. 1519, Decembris 12, in consistorio Poltoviensi.

420. (Acta inquis. I).. Testes pro parte honor. dni Gotardi plebani in Goworowo contra nobilem Laurencium Ponykyewsky factorem decimarum Rmi dni Episcopi Plocensis occasione decime in Ponykyewo inducti..

Primus testis nobilis Boguslaus de Czerznya de armis *Prussy* annorum XL.. habens in bonis.. ad L sexagenas.. interrogatus.. quid sibi constaret, utrum agri, pro quibus intentatur actio et in quibus nobiles ville dicte Ponykyew sunt et [qui] fuerunt ab antiquo extirpati et ad predia ex antiquo spectarent; deposuit.. quod quidam dominus ville Andreas Chanscha nuncupatus, iam elapsi anni, ut estimavit testis, XXX vel ultra, agros suis impensis dictos cepit extirpare et eradicare, tandem cmetonibus annuatim causa victus dabat per partim ad tempus illius terre, quam datam, quando placebat eidem, alienabat ab ipsis. Interrogatus testis, quis levabat decimam de dictis agris, deposuit, quod plebanus; interrogatus, quis ergo plebanus fuit, qui primum percipere cepit decimam ex dictis agris et a cultoribus eorundem agrorum, deposuit testis, quod fuit quidam Ozaczynski nomine, ut estimavit, Bartholomeus et successive quidam Nicolaus Szelyga successor Bartholomei, tandem usque ad presens modernus plebanus nullo impediente pacifice levabant post culturas nobilium; interrogatus, a quot annis decimare inceperunt plebani, deposuit, quod a XL annis; interrogatus, utrum pro mensa dni Episcopi Plocensis de agris predictis aliquando decimabatur, deposuit: nunquam; interrogatus de causa sciencie, quam reddidit, quia a iuventute sua nobili Ade patruo ipsius, contra quem inducitur, servivit, qui Adam semper residebat in graniciebus dicte ville Ponykyew alias Minori et in eadem villa tenet bona hereditaria et est parochianus ecclesie..

A. 1519, Decembris 14, in consistorio Poltoviensi.

421. (Acta inquis. I). Testes inducti pro parte nobilis Iohannis Lada contra discretum Stanislaum ministrum ecclesie in Golinino.. deposuerunt..

Primus testis nobilis Venceslaus Gzowsky.. deposuit, quod Iohannes inducens venit in domum testis cum quodam notario familiare, ut asserebat, dni Archiepiscopi et rogabat hospitem ipse Iohannes inducens quatinus ipsum notarium per noctem conservaret in domo sua; quem hospes suscepit et ibidem sedebant invicem, et interim ipse notarius ivit dormire in locum per hospitem sibi assignatum, ipse eciam inducens Iohannes Lada prostraverat se in stuba, ubi eciam sedente adhuc hospite et non dormiente venit Stanislaus minister.. et intravit in domum hospitis, quem hospes suscepit grate et rogatum habuit, ut sederet, qui nolens sedere perambulabat se per stubam, dicens: nimis sum fatigatus, quia maxime via est hodie mala; et postea vidit Iohannem inducentem ipse Stanislaus minister iacentem et cepit eum demonstrare digito, dicens: ecce hic rasus iacet; et ipse respondit iacens: quid me benedicis et demonstras tuo digito, tanquam sacerdos; ipse respondit Stanislaus, contra quem inducitur: bone frater, si tibi est

iniuria, ego desinam, verum est, non sum sacerdos. Tunc ipse surgens inducens dixit: tu me adhuc invadis et ambulas cum meis armis, ecce video sagittam; et interim mandavit suo servitori gladium in manus dare; tunc surrexit de loco, ubi iacebat, tenens gladium in manibus et dixit: des michi meam sagittam; ipse respondit minister, contra quem inducitur: bone frater, ubi tu perdidisti tuam sagittam, ibi queras, ego ipse non sum furatus eandem tibi; et recepit ipse Stanislaus minister de vagina sagittam, quam ipse Iohannes asserebat esse suam, et voluit sibi tetigere ad os, nisi testis removit, dicens: ecce tuam sagittam; quam sagittam tunc testis eripiens de manibus suis reiecerat eam; tunc illi invicem tam inducens quam eciam Stanislaus.. cum gladiis evaginatis ad se irruerunt, quibus testis tanquam hospes non admisit vulneracionem stans in medium; tunc ipse Iohannes inducens dixit ad suum servitorem: et tu nequam stas, percucias; et tunc ipse servitor percussit bis in caput baculo ipsum Stanislaum ministrum.. qui percussus est ad effusionem sanguinis et cecidit in terram, quem testis sublevans de terra eduxit de stuba; et mox ipse Iohannes inducens recessit et ipse Stanislaus minister ecclesie pro nocte ibidem mansit. Interrogatus testis, si ipse Stanislaus minister recepit servitorem et eundem captivavit, respondit testis, quod vidit, quando ipse Stanislaus duxerat captum servitorem ipsius inducentis de alia villa Gzy; interrogatus testis de nomine ipsius servitoris, dixit nomen eius esse Andreas Cossdroy; interrogatus testis, que racio fuit, quod ipsum captivavit, dixit testis, quod asserebat sibi ipse Stanislaus minister sellam furari per ipsum servitorem inducentis..

A. 1519, Decembris 30, in Płock in curia episcopali.

422. (Acta episc. XI).. Coram.. dno Nicolao de Wylkanow, archidiacono et administratore ecclesie Plocensis.. mgr. Mathias Raczlaw instigator officii sue Rme Dnacionis gravi in querela exposuit, qualiter anno presenti quidam Felix Rzechowski plebanus in Krolewo in sensum reprobum datus, uti filius temeritatis et rebellionis erga suos superiores, dum sibi processus monitorii sive excommu nicatorii ab auditorio vener. dni Nicolai de Brolino, in ecclesia Plocensi archidiaconi et officialis Polthoviensis, per certum notarium publicum intimarentur, ille inprimis contra notarium verbis inhonestis irruit et tandem contra suum superiorem, a quo processus huiusmodi emanarunt, quos processus postea de manibus dicti notarii vi arripiens in minutas porciones laceravit in magnum dedecus superioris sui, vilipendium iurisdicionis ordinarie et scandalum plurimorum secularium presertim qui eo exemplo facilius in peiora labi tentarent; et quoniam, ut idem instigator dicebat, interest dno Administratori scandala de medio tollere et excessus impunitos non relinquere, peciit ipse instigator de remedio oportuno provideri, extimans iniuriam officio illatam ad M florenos.. Et dominus.. citacionem contra dictum Felicem decrevit..

A. 1520, Ianuarii 16, in consistorio Poltoviensi.

423. (Acta inquis. I).. Testes pro parte honor. dni Petri Belski rectoris ecclesie parochialis in Nur contra honor. dnum Nicolaum plebanum in Czyszewo inducti..

Primus testis nobilis Martinus Pauli de Camyenyecz nobilis de armis *Rawy*.. habens in bonis.. ad CC sexagenas.. interrogatus.. de existencia silve deposuit.. quod infra limites parochie ecclesie Nurensis fuit et est silva iam pro maiori parte extirpata vocata Drewnowo, quam quidam Iohannes de Przydanowo communi vocabulo nominatus Drewno iure hereditario ex vi donacionis dnorum ducum Mazovie possidebat.. causam sciencie reddens, quia et eum Iohannem possessorem, dum in humanis ageret, bene novit et dictis bonis, que possidebat, est conterminus et modicum ab ipsius bonis Camyenyecz distat. Item.. deposuit testis, quod interea dum successit in bona prefata et cum factus est possessor prefate silve fuit.. parochianus et sui successores sunt usque ad presens parochiani ecclesie in Nur decimasque tam ipse quam ipsius cmethones ac alios proventus et obventiones ad dictam ecclesiam dabat et dat; causam sciencie reddens, quia vidit sepissime stantem decimam in villa Drewnowo apud successores dicti Iohannis et quod est vicinus dicte ville Drewnowo, tempore autem illius Iohannem non meminit. Item.. dixit testis.. quod prefatus Iohannes Doleczki primum cepit exeradicare silvam ex cruda radice ac ad culturam deducendo seminabat et decimabat ad ecclesiam in Nur plebanis pro tempore existentibus, videlicet: Francisco Franczek et successive Martino Pyenyaszek etc. aliisque locavitque villam in ea parte eradicata, villam Przydanowo, causam sciencie reddens, quia sepius rogatus per supranominatos plebanos ducebat decimam et in villa, ut vicinus, sic locata sepissime fiebat. Item.. testis dixit.. quod alia pars silve est exeradicata et extirpata et alia villa Vola Dmochowa locata..

Secundus testis nobilis Stanislaus de Vaszyno alias de Czyecrzewki de armis *Awdancsi*, annorum LXX.. habens in bonis.. ad C$^{1}/_{2}$ sexagenas.. dixit.. quod [prefatus Iohannes Doleczky] reducendo ad culturam prefatam silvam seminabat et ex semine omnis grani tam ipse quam incole, quos in illis agris locaverat, decimam dabant; reddidit causam sciencie, quia dum iuvenis erat, protunc gregem pascebat et solus propriis manibus exeradicabat..

A. 1520, Ianuarii 20, in consistorio Poltoviensi.

424. (Acta inquis. I).. Testes pro parte honor. dni Stanislai prepositi in Lubothyn contra honor. dnum Clementem plebanum in Ostrowya inducti..

Primus testis nobilis Iacobus de Chmyelyewo de armis *Slyepowrony* etatis LXXX [annorum].. habens in bonis.. ad DC [sexagenas gr.].. dixit.. quod [heredes ipsius ville] uno privilegio utuntur, tantummodo sunt divisi ab invicem, illi autem qui divisi sunt, vocantur uno nomine Podbyelye Nowa, et quidam alii manentes in loco vocantur Antiqua Podbyelye, cuius divisionis tempus dixit XX anni sunt elapsi..

A. 1520, Ianuarii 20, in consistorio Poltoviensi.

425. (Acta inquis. I).. Testes pro parte honor. Nicolai plebani in Czyszewo contra.. honor. dnum Petrum Belski plebanum in Nur.. examinati..

Primus testis nobilis Petrus Lypski de armis *Pobozanye* annorum LX.. habens in bonis.. ad CLX [sexagenas gr.].. interrogatus.. respondit, quod secundum quod testis se meminisse dixit, a LX annis.. dicta villa Przydanowska Volya est infra limites et intra parochiam ecclesie in Czyszewo et quod est extirpata

per quendam Stanislaum Dmoch, qui primus successit iure empcionis in bona dicta Przydanowska Volya, de qua hereditate, quamprimum inceperat eandem incolere, decimabat tantummodo de suis prediis et non de agris cmethonum ad ecclesiam in Czyszewo; causam sciencie reddens testis dixit suum patrem interfuisse empcioni et istud se audisse ex patre suo, respondit dicta bona emisse pro XL sexagenis et alia contenta in articulo dixit testis fuisse vera, quod decimabant ad ecclesiam in Czyszewo et ecclesiastica ministrabant sacramenta, ibidemque dictum Stanislaum Dmoch et filium suum Nicolaum interfectum in Nur et adductum in Czyszewo sepultos, ex causa sciencie, quam reddidit, quia eorum sepulture interfuit, annos elapsos dixit XXX.. Item.. deposuit bona Drewnowo nuncupari a primo aduc possessore, quem nominabant Przydanowski, que tunc extirpari ceperunt, cum ea acquisivit et eam incolere cepit; tempus dixit non meminisse et dixit partem consistere sub parochia Nurensi et partem sub parochia Czyszewo, et adiecit, quod tunc decimare ceperunt, cum laborare et colere dicta bona inceperunt; illa pars ex XX mansis puta Dmochowska Volya ad Czyszewo et alia ad Nur; causam sciencie reddens: ea a patre audivisse dixit et cetera inter crescendum ex puericia solus meminit, quia parochianus est.

Secundus testis nobilis Wlodek de Dmochi alias de Lathowo de armis *Pobozany*..

Tercius testis nobilis Stanislaus Gumowski de armis *Buyny*..[1])

426. (Ibidem) Tercius testis ex duobus inductis pro parte honor. et religiosi Stanislai prepositi in Lyubothyn contra honor. dnum Clementem plebanum in Ostrowya occasione decimarum inductus.. Generosus Iacobus de Gyelyenye iudex Nurensis annorum, ut apparuit, XL.. deposuit, quod est quedam villa Podbyelye caput et origo aliarum villarum, que vocantur Znylowo et Clymunthy, et ille ville descendentes a primeva Podbyelye utuntur uno iure et privilegio ex causa certa sciencie, quam reddidit, quia dum aliter in eorum citacionibus ponitur, quam Podbyelye, citaciones in iure destruuntur; interrogatus, quo iure ergo prepositus illas possidet, deposuit testis, quod audivit a dno Ambrosio olim abbate Czyerwenensi seniore dicti prepositi, quod pro villis Znylowo et Clymasze dedit villam Comorowo per commutacionem dno Episcopo; interrogatus, ad quam ecclesiam spectabant predicte ville ante erectionem in Lubothyn ecclesie, deposuit se nescisse.

A. 1520, Februarii 9, in consistorio Poltoviensi.

427. (Acta inquis. I).. Testes pro parte discreti Stanislai de Golymyno ministri schole contra nobilem Iohannem de Lady occasione verberacionis inducti..

Primus testis nobilis Venceslaus Gzowsky annorum XXX.. habens in bonis.. ad CC sexagenas.. de armis *Osthoya*.. deposuit, quod eo tempore, quo in proposicione, anno presenti, die et mense certis f. IV ante s. Hedvigis venit dictus inducens in domum testis et deambulando per stubam reperit Iohannem, contra quem inducitur, iacentem in una parte stube penes ostia, et testis audivit inducentem loqui: ecce rasus iacet. Tandem postea a familia domus sue audivit, quod sibi e capite maniculum et suidonem, quo caput maditatum involverat,

[1]) Zeznania świadka drugiego i trzeciego nie przynoszą nowych wiadomości.

extraxit et rapuit et per os eius digito tangebat et testis audivisse se dixit a eadem familia domus, sed non ex ore ipsius, contra quem inducitur, quod Iohannes ex adverso mandasset famulo gladium portasse, quo acquisito cepit loqui: Mi domine, miror, quid cause sit, quod nedum in eo, sed in aliis locis me superequitando vexas ac multociens irritas; cui respondentem testis audivit ex ore: bone Iohannes sine modo ista, ego in eo loco quicquam faciam. Iohannes autem dixit: adhuc meum arcum, quem omnino habere a te volo, portas. Quem testis vidit extractum e vaginis per Stanislaum inducentem porrigi Iohanni in promptu; et adiecit testis prosiliisse in medio ipsorum et ex manibus ipsorum arcum extraxisse et ad partem proiecisse audivitque ex ore Iohannis.. ad suum familiarem dixisse: quid stando faceret; et ibidem testis non vidit, sed audivit ex sonitu, quod baculo per familiarem Iohannis est percussus in caput, testis non vidit, quot vicibus, sed audivit, quod tribus; postea utrique evaginatis post lesionem gladiis ceperunt primo magis ac magis instare, quos testis educens separavit et ex sua domo abire iussit. Et testis refert se ad deposicionem, quam pro parte sua, contra quam inducitur, [se dixit] fecisse et deposuisse. — Item interrogatus, quid sibi constaret de sella, deposuit se nescisse, quod eo tempore laicus et familiaris Iohannis.. [sellam furatus esset], sed vidit, quod iste ligatus per inducentem ducebatur ad testem et scit, quod eo tempore perdita est sella inducentis. — Item interrogatus testis ad intencionem secundam deposuit, quod anno quo supra die lune veniens Stanislaus inducens de termino ex Polthowsko consedit in domo cauponis Iaron et ad mandatum inducentis sive ad peticionem testis dixit se venisse et quem secum in domum recepit; quibus modicum consedentibus iterum venit Stanislaus frater Iohannis.. in domum testis, ubi fuit inducens, quo viso loqui cepit, ut ab eo discederet, quia secum negocii nichil habuit facturum. Qui testis exiens reperit in palacio stantem Iohannem.. et acceptis illis, ut conservaret illos in pace, discessit de domo et abiit in tabernam, in qua prius cum Stanislao inducente fuit, interque tractandum cepit dicere Iohannes: nichil sibi de Stanislao inducente iniuriari et si hic venisset, libenter cum eo cobibissem reversusque ad Andream patruum dixit sibi et iussit, ut pro eo iret, qui consurgens [dixit]: non est racio, quare ire non debeam; et ivit et in curiam testis venit, ubi testis dixit se non interfuisse nec quicquam vidisse, sed a familia domus sue audivit, quod occurrit Stanislao inducenti in medio ville, ubi audivit, quod est ibi vulneratus, sed nescit testis, per quem, nisi ex fama audit, quod per Stanislaum inducentem; et subiunxit testis, quod postquam nunciatum est Iohanni et suis complicibus, quod eorum patruus sit vulneratus, proruperunt in auxilium patruo et invenerunt ostia domus per magistrum inducentem cum suis complicibus occupata et ibi audivit vocem inducentis, sed non vidit personam, quia post parietem et ostia domus stetit et etiam nox tenebrosa fuit; et ibi testis vidit foramina perforata, sed nescit per quem, solummodo scit, quod ex illa parte, in qua magister stetit; nichil aliud testis scit..

Secundus testis nobilis Stanislaus de Obydzyno de armis *Dambrowczyk*, habens in bonis.. ad XX sexagenas..

Tercius testis nobilis Iacobus de Oldaki de armis *Nyedzwyada*.. habens in bonis.. ad LX sexagenas..[1])

[1]) Zeznania drugiego i trzeciego świadka nie przynoszą żadnych nowych szczegółów.

A. 1522, Aprilis 2, in consistorio Poltoviensi.

428. (Acta inquis. I).. Testes inducti pro parte honor. dni Sasini plebani in Sulyrzys.. et examinati..

Primus testis nobilis Iacobus Sydlowsky.. deposuit, quod super agris ville Grzypsko resident kmethones, qui colebant a memoria dicti testis pro predio per incolas dictos *rathaye*, qui tollebant seminum collectorum decimam partem et plebanus decimam decimatam de Sulyrzys percipiebat. Item testis adiecit: postquam dnus Episcopus Vincencius statuit istam consuetudinem, quod post aratra kmethonum debuit tollere episcopus, recipiebatur dicta tandem decima pro episcopo et tandem predecessorem moderni plebani Urbanum de Lapycze testis dixit induxisse testes, quod dicta decima sua et ecclesie ipsius erat, post cuius induccionem dictus plebanus eandem recipiebat et tollebat pro sua ecclesia in Sulyrzys..

Secundus testis nobilis Borek de Ruthky.. deposuit, quod plebani de Sulyrzys recipiunt decimam de predictis bonis Grzypsko ab eo tempore, quo fecit dnus Episcopus statutum, quod post predia debuit recipere plebanus et post incolas dnus Episcopus; facto dicto statuto tollebant pro dno Episcopo et tandem successu temporis plebanus induxit testes, quod erat predium, cui tandem dicta decima est restituta et eandem dictus Urbanus plebanus predecessor moderni recipiebat..

A. 1522, Iunii 27, in consistorio Poltoviensi.

429. (Acta inquis. I). Testes inducti pro parte dni Iohannis plebani in Czerwyno et Pnyewnyk contra dnum Episcopum Plocensem..

Primus testis laboriosus Nicolaus de Radoszyna kmetho.. deposuit, quod Radoszyna Vola adiacet bonis Pnyewnyk, ex quibus est emensurata, que villa Radoszyna Vola habet in se XXX et unum mansum, et predicta bona Pnyewnyk testis dixit ex prima dotacione ducum debere habere in se LX mansos et unum mansum, ubi in prefatis bonis Pnyewnyk sunt tantummodo XX mansi in Zakrzewo, X mansis eisdem bonis Pnyewnyk adiacencia [s] et in tercia villa Radoszyna Vola XXXI mansi, post quas villas Pnyewnyk et Zakrzewo preter Radoszyna Vola, que aduc sedet in libertate, plebanus modernus et a memoria testis sine impedimento aliquo existens percipiebat decimam usque ad nunc; causam sciencie reddens, quia in eisdem bonis Pnyewnyk sedebat et post incepcionem locacionis ville dicte Radoszyna Vola per suum dominum, illic ad dicta bona dixit se transtulisse ab XI annis..

Secundus testis laboriosus Nicolaus Yemyol de villa Radoszyna Vola kmetho dne Pnyewnyczska.. respondit, quod bona Radoszyna Vola sunt emensurata ex bonis Pnyewnyk et in dictorum bonorum limitibus et graniciebus sunt, in quibus bonis XXXI mansus est: in Pnyewnyk XX mansi et in Zakrzewo secunda villa X mansi, ex quibus bonis dicte ville Pnyewnyk he due ville sunt emensurate et unaqueque post locacionem suam est nominata suo nomine: Zakrzewo prima et Radoszyna Vola secunda; in istis bonis testis prefatus dixit esse XXX mansos et unum..

Quartus testis laboriosus Stephanus de Pnyewnyk molendinator.. deposuit, quod dni duces dederunt certum gyrum nemoris, qui vocabatur Pnyewnyk et

in dicto nemore Pnyewnyk kmethones dixit locare post locationem eiusdem, testis prefatus dixit locum aptum esse pro locanda villa alia, que et locata est tempore memorie sue, que vocata est Radoszyna Volia, in qua sunt XXX et unus mansus et in Zacrzewo X mansi, in Pnyewnyk vero dicta, in quo dicte due ville sunt situate, sunt XX mansi..

A. 1524, Ianuarii 11, in consistorio Plocensi.

430. (Acta offic. V a).. Venerandus dnus Lucas de Czyechonow decretorum doctor, archidiaconus Dobrinensis in ecclesia Plocensi.. peciit sibi.. decerni executorem per dominum ad citandum venerabilem et nobilem ac honor. dnos Bartholomeum Bromirsky canonicum Plocensem, Iohannem Garwasky et Nicolaum Zelechowsky executores testamenti Rdi olim patris dni Nicolai de Vilkanow archidiaconi et administratoris ecclesie Plocensis.. ibidemque.. prenominatus dnus Lucas.. proposuit contra eosdem [executores] pro XXV flor. Hungar. auri puri.. per dnum olim administratorem Plocensem eidem solvi promissis et debitis, petens eosdem executores, qui bona ipsius mobilia adierunt, ad solucionem debiti predicti.. compelli. Exadverso dni executores.. negaverunt narrata.. dno archidiacono probaturum se offerente.. Ibidemque.. prefatus dnus Lucas archidiaconus peciit me notarium actorum infrascriptorum compelli ad.. deponendum.. de quibus michi in eodem negocio constiterit. Et ego notarius infrascriptus.. recognosco.. quod die illa, qua dnus olim Nicolaus de Vilkanow archidiaconus et administrator ecclesie Plocensis ex civitate Plocensi versus Pyotrkoviam pro convencione generali egrediebatur, ego tunc tanquam notarius et servitor sue Ptis accessi habitacionem superiorem ipsius in stubellam, ubi dnum olim administratorem audivi dicentem dno Luce inducenti his verbis: Dne archidiacone, melius est, recipiatis. Dnus vero inducens respondebat: Nolo, vere nolo. Non expressit tamen protunc aliquis illorum, si appodixam vel pecunias dnus Administrator dare se obtulisset vel ille nollet; ex calamaris tamen arrepcione per dnum inducentem ex mensa armarii, ubi et circa quam ambo stabant ac ex declaracione dni inducentis, qui postea michi retulit, dnum olim Administratorem voluisse sibi extunc dare appodixam super debitum ipsius XXV florenorum in auro, conicior et opinor voluisse dare dnum Administratorem aliquam scripturam dno Luce, quam habere noluit, dicendo: nolo, erit istud in tempore. Nihil tamen hincinde expresse per eos nominatum fuit. Et tantum me fateor vidisse et audivisse. Et dominus.. causam eandem ad futuram diem Mercurii.. prorogavit..

A. 1524, Aprilis 11, in consistorio Plocensi.

431. (Acta offic. V a). Honor. Mathias Raczslai de Ploczka.. retulit se.. citasse nobilem Ubislaum de Thlubycze.. ad instanciam vener. dni Felicis Naropinski archidiaconi Lanciciensis et canonici Wladislaviensis.. et relacione facta comparuit Ladislaus baccalarius dicti dni archidiaconi.. procurator et.. in presencia nobilis Ubislai de Thlubicze.. proposuit, quomodo ipse proficiscendo ad bellum versus Bidgoscza et Snyno intrando villas Sczepankowo et Voynyczew, quorum dictus dnus Felix possessor tunc fuit et est, bona tam ipsius in curia, quam kmethonum videlicet: avenam, triticum, carnes porcinos, oves, vaccas et alia domorum suppellectilia, una cum complicibus rapuit et in usus suos con-

vertit, damnum tam dicto dno Felici quam dictis kmethonibus inferendo, que damna extimavit.. ad summam X sexagenas.. Exadverso nobilis dnus Ubislaus.. peciit et obtinuit terminum deliberatorium ad quindenam.

A. 1524, Aprilis 13, in consistorio Plocensi.

432. (Acta offic. V a). Comparuit Mathias Marella procurator officii oblata citacione.. contra laboriosum Iacobum Czab de Redzino.. et in eius presencia verbo proposuit, quomodo ipse instinctu diaboli certo die in contemptum ac levipendium ecclesie et religionis cristiane ac scandalum Cristifidelium plurimorum iniuriamque et maximum dedecus sacratissimi Corporis Dominici se presbiterum fingens ac certa vasa loco calicis assumens ad quandam mensam in modum misse ad honorem diabolicum instituens calicem et successive Corpus Dominicum quasi consecrare ausus fuit ac signa et alia circa talia per presbiterum fieri solita exercuit in anime sue perpetuam damnacionem, petens eundem ad respondendum medio iuramento cogi et, quatenus negaverit, ad probandum admitti et, cum legitime de premissis constiterit, eum iuxta canonicas sanctiones puniri penitenciamque iniungi et alias iusticie ministrari complementum. Exadverso laicus comparens.. negavit.. Et dominus procuratori officii mandavit probare intencionem..

A. 1524, Aprilis 18, in consistorio Plocensi.

433. (Acta offic. V a). Comparuit honestus Iohannes sartor de Raczyansch.. et.. contra laboriosum Iohannem de Obramb.. proposuit, quomodo ipse accepta eius sorore in uxorem suam recepit post eam res racione dotis videlicet vestes, vestimenta, pecunias et apparatum muliebrem valoris X sexagenarum.. Que tandem nulla prole remanente et superstite de hac vita decessit, propter quod dicta bona iuxta consuetudinem et laudum terre sunt ad eum tanquam ad fratrem devoluta, petens eum ad restitucionem seu ad solucionem valoris dictarum rerum compelli. Exadverso laicus.. allegando dictam causam spectare ad iudicium domini sui.. peciit se remitti ad forum proprium. Et dominus dictas partes pro consequenda iusticia remisit, ea tamen condicione servata, quod quatenus dictus Iohannes principalis iusticiam debitam consequi non posset, quod ad se recursus habeatur, in quo casu, videlicet defectu iusticie, iurisdiccionem sibi reservavit..

A. 1524, Maii 13, in consistorio Plocensi.

434. (Acta offic. V a). Comparuit Ladislaus baccallarius, discreti Nicolai Malpycz de Zakroczym.. procurator, et.. contra nobilem Paulum Slupeczki burgrabium Zakroczymiensem.. proposuit, quomodo ipse post mortem honeste Anne Malpyna de Zakroczym matris dicti Nicolai certas res per mortem eius derelictas et ad eum tanquam heredem et filium legitime devolutas.. videlicet cingulum argenteum deauratum valoris X sexagenarum in mediis gr., IV coclearia argentea valoris IV sexagenarum, II monilia argentea valoris II sexagenarum, XXVI fibulas argenteas deauratas.. valoris I sexagene.. II$^1/_2$ sexagenas in mediis gr. pecunie numerate recepit et rogatus.. restituere recusat in damnum et preiudicium ipsius.. Exadverso comparens honor. dnus Laurencius Zambruski.. dicti Pauli Slupeczki procurator.. negavit dictum Nicolaum esse clericum ordinatum, petens ad ius seculare remitti. Exadverso Ladislaus baccalarius allegavit eum esse studentem alme

universitatis Cracoviensis et successive particularium scolarum et dantem operam literis et propterea gaudere foro et iudicio spirituali, petens eundem [Paulum Slupeczki] ad respondendum cogi. Et dominus attento, quod dat operam litteris, mandavit respondere..

A. 1524, Iunii 10, in consistorio Plocensi.

435. (Acta offic. V a). Comparens discretus Martinus Vyrzykowski venerandi dni Stanislai de Strzelcze decretorum doctoris canonici Plocensis.. procurator.. accusavit contumaciam magnifici dni Nicolai de Nysczycze castellani Sieprcensis et capitanei Plocensis.. in cuius contumaciam peciit pignus superius per dominum distrahi decretum per aurifices extimari. Et ibidem produxit citacionem.. contra circumspectos Iohannem Polewka et Stanislaum aurifices de Ploczka.. petens eos contumaces pronunciari. Exadverso comparens Stanislaus aurifex per se allegavit se dictum pignus non posse extimari, dum non esset sine eius magno apud dnum capitaneum odio, quare peciit se liberum fieri a dicta extimacione. Et deinde comparuit Ladislaus baccalarius et dni capitanei procurator.. et allegavit dictum dnum capitaneum esse in precinctu itineris ad convencionem in Colo, petens dicto dno capitaneo aliquem terminum competentem prefigi ad conspiciendum dictum pignus offerens dictum dnum capitaneum in eodem termino dictum pignus redempturum, quatenus integrum et sanum compertum fuerit. Et dominus quindenam, quatenus dicta convencio non plus duraverit, prefixit..

A. 1524, Octobris 19, in consistorio Poltoviensi.

436. (Acta inquis. I).. Testes inducti pro parte honor. Nicolai in Rzekunye plebani contra honor. dnum Iacobum Bagyenski in Ostralanka plebanum occasione decime..

Quartus testis nobilis Iohannes de Caczino.. deposuit, quod Illmi dni duces fecerunt commensuracionem cum nobilibus Czaczinsczy inter bona ipsorum Caczino et bona Ostralanka, circa quam commensuracionem pars agrorum nobilium Caczinsczy cessit dnis ducibus ad bona Ostralanka, de quibus agris, qui cesserunt dnis ducibus, semper plebanus Rzekunensis decimam tollebat ante prefatam commensuracionem; post commensuracionem vero plebanus Ostrolanczensis decimam tollit de eisdem agris post granicies et limites bonorum Caczino, que facte sunt circa commensuracionem bene signate, quam decimam plebanus Ostralaczensis percipit a VII annis citra etc. quamprimum post commensuracionem plebano Rzekunensi tunc a domo absente, sed in curia Romana erat; dixit testis, quod a tempore antiquo et non meminit testis, a quo tempore, plebanus ecclesie Rzekunensis decimam tollebat de eisdem, qui cesserunt agri dnis ducibus commensuracione facta; interrogatus testis, quo iure nobiles Caczinenses possidebant dictos agros ante commensuracionem factam, respondit.. hereditate possident secundum iura eorum..

A. 1524, Decembris 7, in consistorio Poltoviensi.

437. (Acta inquis. I).. Testes inducti pro parte nobilium Pauli, Nicolai, Stanislai filii Nicolai et Iohannis de Zaleschye ac Martini Czach, Nicolai olim Stanislai et Stanislai olim Derslai de Cansche contra honor. dnum Mathiam Tykyewsky plebanum in Dzyerschenyno..

Primus testis nobilis Albertus filius Iacobi de Cansche.. annorum ut apparebat XXX.. de armis vulgariter dicta *Lady*, residet in bonis Cąnsche, nescit, quantum sub se habet in bonis.. respondit, quod noscit partes collitigantes.. a VII annis noscit dnum Mathiam plebanum et ipsum cognovit in Lyph ante festa Nativitatis Dni protunc, quando fuit liberatus de carceribus; dixit, quod iste testis fuit ibidem in suis negociis apud duces Mazovie; ubi residebat anno MDXXVI (s) nescit.. Ad tertium [interrogatorium] respondit, quod non vidit, quando prefati nobiles rapuerunt decimam in villa dicta Obrąp Maior, sed audivit, quod receperunt isti nobiles istam decimam eo iure, quod fuerunt condonati prefata decima post villam Obrąp ad XIV annos per prefatum dnum Mathiam in Lyph pro intercessione eorum pro ipso; dixit, quod audivit et erat ibidem presens, quando eisdem gracias faciebat pro intercessione. Nobiles de Zalesye dixit, quod sunt dno Tykyewsky fratres clenodiales, et eundem dnum Tykyewski dixit de eisdem armis, videlicet *Cosczyesche*. Ad quartum.. dixit, quod [dnus Tykyewsky] plus reputatur pro parco, quam pro hilari apud homines..

Secundus testis nobilis Stanislaus olim Ade de Lady.. annorum XXX.. de armis *Lady*, residet in bonis Lady, in bonis habet I mansum.. de raptu decime nichil sibi constare dixit; de donacione decime respondit, quod donavit istis nobilibus decimam prefatam ad XII annos in oppido Lyph.. De cirographo nichil sibi constat; parcus reputatur inter homines et non hilaris..

A. 1524, Decembris 23, in consistorio Plocensi.

438. (Acta offic. V a). Comparuit discretus Mathias notarius castri Plocensis et.. contra providum Iohannem balneatorem civem Plocensem.. proposuit, quomodo sabbato prox. preterito, dum ille ad balneum commune, cuius ipse est patronus, animo lavandi accessisset et vestimentis suis se exuisset ipsaque in domo et in habitacione ipsius Iohannis speciali reposuisset et dimisisset, camisia eidem eius incuria et familie eius valoris XLIII gr. numeri solidorum subtracta est in damnum eius, petens ipsum ad solucionem alias ad respondendum cogi. Exadverso dictus Iohannes.. allegavit sibi nichil fuisse commissum ad custodiendum dictumque locum, in quo deposuerat, fuisse et esse communem et illic, ubi singuli reponunt suas vestes, nec hoc damnum fuisse [ex] incuria eius. Exadverso Mathias contra allegacionem excipiendo dixit allegacioni locum non esse, cum iuxta consuetudinem aliarum civitatum et presertim capitalium debet et tenetur habere custodem ad custodiendas res, cum sequeretur, [quod] si non habuerit custodiam, singule res hominum passim subtraherentur..

A. 1525, Martii 20, in consistorio Poltoviensi.

439. (Acta inquis. I).. Testes inducti pro parte honestorum Nicolai Gral, Iohannis Barthcovicz et aliorum in proposicione contentorum contra honor. Paulum in Dambrowka plebanum:

Primus testis laboriosus Gregorius de Dambrowka subditus dne Carpinska.. deposuit, quod ipse dnus plebanus equitando de Laskowo de collacione descendit ad tabernam in Dambrowka volens ibi intrare, quem illic intromittere noluerunt, iterum ad aliam tabernam ivit ad Nicolaum Gral et ibi fenestram repercussit gladio, et postquam ibi non invenit in illa domo nisi pueros, iterum ivit ad aliam taber-

nam ad Iohannem Iemyolo et prestitit laicos ante domum, qui laici timentes eum, fugam dederunt in ortum ad Martinum Zaronnyk, qui plebanus postquam laici fugerunt, cepit mulierem percutere, et laici dixerunt: quare percutis mulierem; et ipse ad eosdem laicos in illum ortum intravit; tandem fugam dederunt de orto et plebanus post illos, et interim proiecerunt baculis, lignis hincinde inter se et laici clamaverunt ad violenciam, quos [insequebatur] usque in domum, et postea dum dicti laici viderunt sanguinem in uno illorum, exiverunt ad eum, quem pulerunt usque ad sanctuarium, sed laici non intraverunt in sanctuarium. Interrogatus, si sui complices fuerunt cum eodem plebano, videlicet: Martinus vicarius, Marcus minister, Czanowski et coca, respondit testis, quod omnes fuerunt preter Martinum vicarium, quem testis non vidit. Interrogatus testis, quomodo premissa scit.. dixit se vidisse stans circa domum suam et per fenestram respiciens, quia timebat exire de domo. Interrogatus, quota hora premissa facta sunt, respondit testis: se iam dormivisse cum ipsius familia, sed postquam audivit clamores, surrexit cum uxore sua et respiciebat, que facta erant..

A. 1525, Aprilis 3, in consistorio Plocensi.

440. (Acta offic. V a). Comparuit nobilis Iacobus de Sanchoczino et.. contra honor. Thomam commendarium in Lanthovo.. verbo proposuit, quomodo ipse.. dum pro columbacione cum reliquiis in domum eiusdem Nicolai Mythek incole ville Vyczyeyewo iuxta huius patrie consuetudinem venisset et dictus nobilis flexis genibus reliquias osculari vellet, dictus Thomas presbiter eidem labia oris signo crucis, in quo tunc reliquie recondite erant, percuciendo vulneravit usque ad notabilem sanguinis effusionem in eius iniuriam, quam ad XXX sexagenas gr. in mediis gr. extimavit.. petens eum in dicta summa racione iniurie predicte condemnari..

A. 1525, Maii 15, in consistorio Plocensi.

441. (Acta offic. V a). Comparuit vener. dnus Derslaus canonicus Plocensis.. et.. contra generosum dnum Andream Osznyczky castellanum Raczyaziensem.. proposuit, quomodo ipse dnus Andreas.. robora pro edificanda stuba preparata valoris III sexagenarum numeri solidorum violenter de bonis Boguszino ad prepossituram suam spectantibus accepit, in bona sua Iurzyschewo adduxit et his non contentus certo anno, die et mense subditos et incolas dicte ville depactando per IV choros avene et ortulanos per I chorum ac eciam per aliquot gallos spoliavit seu sibi dari fecit et mandavit ac in effectu recepit ac eos ad labores certorum dierum astrinxit et compulit in dicti dni Derslai iniuriam et damnum, quam iniuriam et damnum extimat ad IV sexagenas.. petens eum ad solucionem.. cogi..

A. 1525, Maii 26, in consistorio Plocensi.

442. (Acta offic. V a). Comparuit discretus Iacobus Zdunowsky.. et.. contra nobilem Mathiam Czyarnowski burgrabium Zakrocimiensem.. proposuit verbo, quomodo ipse anno presenti.. in eius iniuriam non obstante quod ille sit scholaris et actu studens ac minister ecclesie in Zakroczim, eum in certo hospicio, ubi dictus Iacobus [habet] continuam mansionem, accedens baculo ferreo alias *bulawa*

in caput percussit et vulneravit ac per capillos capillavit et his non contentus ipsum tanquam aliquem malefactorem in carceres dicti oppidi coniecit et per V dies continuos.. detinuit in eius iniuriam, quam extimavit.. ad C ducatos auri.. Exadverso nobilis citra approbacionem iurisdiccionis, petens se remitti ad forum seculare, allegavit eum esse personam secularem in nullo gradu ordinis constitutam, item dixit, quod dum die terminorum ipse in iure terrestri nonnulla negocia ageret, et deinde ad quoddam hospicium descendens quendam nobilem Albertum de Voyny vulnerasset et eidem VII vulnera, tria cruenta et quatuor livida intulisset et ad ipsum tamquam officialem vulneratus recurrisset et defensionem implorasset, ipse ex officio accedens iuxta consuetudinem tanquam violatorem detinuit et in carceres, ubi tales poni solent, posuit, petens se ab instancia absolvi et ipsum in expensis condemnari. Exadverso Iacobus dixit allegacioni non esse locum, attento quia scholaris et quod ipse eo tempore eum scivit scholarem esse, nec aliquam violenciam fecisse aut aliquem vulnerasse, sed eum per dictum burgrabium ex odio detentum fuisse, petens se premissa ad probandum.. admitti..

A. 1525, Septembris 11, in consistorio Poltoviensi.

443. (Acta inquis. I).. Testes inducti pro parte honor. dni Iohannis plebani in Vangra super excepcionibus contra honor. Iacobum vicarium in Zyelona..

Primus testis Laurencius vicarius in Vangra.. deposuit, quod quidam Stanislaus vicarius in Vangra circa festa Pasche obiit, cuius servicium plebanis adimpleverat ad festum Petri: missas cantabat, sermonisabat; et vendidit dnus Iacobus adhuc cum olim dno Stanislao decimam pro LXXX gr., pro qua decima dnus Iacobus tulit decimam partem suam et partem olim Stanislai socii sui de consensu dni plebani pro construenda domuncula, que domus, quam dnus Iacobus construxit, parva est: stuba in VII cubitis et circa stubam palacium adhuc minus. Item.. testis deposuit, quod dnus Iacobus post mortem olim Alexandri altariste in Vangra ex commissione plebani vendidit II tunicas, non meminit testis, cuius coloris erant.. pro C grossis.. Item.. deposuit, quod dnus Iacobus, contra quem inducitur, visitabat ad quandam Nyemyerzina et ipsa eciam ad eundem Iacobum visitabat, de procreacione puerorum nichil testi constat, fuerant tamen multe querele contra eundem Iacobum coram dno plebano ex parte patronorum..

Secundus testis nobilis Abraam Sbyroski.. deposuit, quod.. sepius.. patroni querulabantur coram plebano contra Iacobum prefatum; dixit testis, quod quando ipse Iacobus non rogabat eosdem patronos ad collacionem, tunc contra eum querulabantur, quando autem rogabat, pro parte sua erant..

A. 1525, Septembris 15, in consistorio Poltoviensi.

444. (Acta inquis. I). Testes inducti pro parte religiosi Iohannis prepositi in Zuzola occasione decime in Panthkowo evincendo nobilem Venceslaum Panthkowski, qui erat citatus pro eadem decima pro parte Rmi dni Episcopi Plocensis:

Primus testis nobilis Iohannes de Zakrzewo.. etatis ut apparebat L [annorum], habet in bonis ad LXXX sexagenas.. interrogatus de decima in Panthkowo, ad quem spectaret.. deposuit ita, quod dicti agri sunt prediales et nunquam fuerunt cmethonales a tempore immemorabili, quod dum unicus possessor erat dictorum agrorum, videlicet Venceslaus Panthkowski, iste habuit ortulanos, quibus dabat

per certam quantitatem agri, parum tamen, de predio suo, et pro tempore non dederat; tandem filii eiusdem Venceslai creverunt et nepotes, qui eosdem agros inter se diviserunt et colunt pro prediis, et semper de dictis agris ecclesia in Zuzola percipiebat decimam pacifice a tempore, quo testis meminit, et a suis predecessoribus testis audivit, quod semper ecclesia in Zuzola percipiebat decimam de prefatis agris in bonis Panthkowo. Interrogatus testis, si aliquando dicta decima tollebatur pro mensa dni Episcopi, testis respondit: nunquam dnus Episcopus fuit in possessione prefate decime, sed semper ecclesia in Zuzola erat in possessione eiusdem decime, nemine impediente, solum uno anno voluit factor olim Vansowski eandem tollere, sed non tulit, quia consideravit dictos agros esse prediales et non cmethonales a tempore immemorabili.

A. 1526, Maii 9, in consistorio Poltoviensi.

445. (Acta inquis. I). Testes inducti pro parte nobilis Elisabeth de Ropele contra Martinum de ibidem occasione inpregnacionis.

Primus testis nobilis Andreas de Ropele pater inducentis.. deposuit, quod ipse Martinus sepius visitabat ad ipsam Elisabeth filiam testis in domum eiusdem testis ab annis tribus et ultra et ibi semper cum ipsa sedebat, loquebatur silencio et contigit testem surgere nocte circa auroram et exivit de stuba prestititque ipsum Martinum cum Elisabeth in palacio et ipsi, ut testis credit, factum carnale exercebant, non bene tamen conspexit, prout nocte; et ipse Martinus quamprimum testis exivit de stuba, ipse mox saltum fecit ab ea de hostiis et in horto ipsos testis prestitit invicem et quottidie secum conversabantur, quandocunque voluit ipse Martinus, tunc veniebat ad eam; de promissione ipsam ducendi in uxorem nichil testi constat. Dixit testis: quando miserat certos bonos homines ad ipsum Martinum, ut ipsam duceret in uxorem, quia ipsam impregnavit, et de prole ut diligenciam habeat, ipse Martinus respondit: postquam procreabit, ego puerum providebo, quem et nunc servat; et tantum testis deposuit. Adiecit testis, quod non ex alio deflorata et impregnata, nisi ex ipso Martino..

Secundus testis nobilis Stanislaus frater germanus Elisabeth inducentis.. deposuit, quod dum testis dormiebat in palacio, ipse Martinus venit ad ipsam Elisabeth nocte et cepit vigilare testis, tunc vidit penes hostias ipsum Martinum cum Elisabeth actum carnalem exercentem, et ibi ipsa Elisabeth dixit: ecce hic frater est; et ipse Martinus recessit.. Dixit testis, quod sepius et quottidie prefatus Martinus visitabat ad ipsam Elisabeth et sedebant secum et loquebantur tacite, nemine id audiente.. ab annis multis ibi visitabat et puerum genitum ipse Martinus servat et nutrit, quem puerum recepit statim post puerperium ab ipsa Elizabeth.. Et quod promittebat ipsam ducere in uxorem, testi nichil constat..

A. 1527, Martii 13, in consistorio Poltoviensi.

446. (Acta inquis. I).. Testes inducti pro parte providi Iohannis sellatoris de Lomza contra discretum Raphaelem de Podbielye..

Primus testis providus Procopius frenifex de Lomza.. deposuit, quod prefatus discretus Raphael.. eodem die, quo subtracte sunt pecunie inducenti, venit in domum testis, habens pecuniam in facileto latam et minutam et nondum ligatam in facileto, interrogatus testis, quantum potuit habere de pecuniis.. dixit,

quod potuit habere ad III sexagenas aut modico plus, tandem post parvam horam prefatus Raphael interrogavit testem, si aliquid haberet ad comedendum, cui testis dixit: statim habebimus; tandem successu temporis postquam iam erant saturati et cibo repleti, Raphael cepit testem evocare ad ludendum secum taxillos vulgariter *byrek*, et lusit secum testis et lucravit in illo I sexagenam, XLV gr. medientorum (s) et XV gr. minutorum denariorum nigrorum; interrogatus testis, si prefatus Raphael recepisset pecuniam et argentum inducenti, testis deposuit ita: estimo et ita est, quod ipse et non alter; causam sciencie reddens, quia cum testis eciam morabatur apud inducentem, scivit et vidit propriis oculis, quod uxor inducentis habuerit L gr. denariorum nigrorum, exceptis aliis pecuniis, et ita in ludendo agnovit prefatam pecuniam minutam, et quod testis dixit sibi: Raphael, vere tu aliquo ubi in ecclesia.. aperuisti columnam, in quam imponunt per obulum propter Deum, cum ita habundas in minutis; cui Raphael dixit: non, sed dixit: quod pater meus habundat in ista pecunia denariorum nigrorum, asserens patrem suum illos habere ad III pileos. Interrogatus testis de argento, si ipse recepisset, testis deposuit, quod ipse; causam sciencie reddens, quia sibi invadiabat pectorale argenteum, quod erat subtractum inducenti, postquam cepit ammittere pecuniam in ludendo propter pociorem fortunam, quod testis eciam novit apud uxorem inducentis et quod publice restituit, postquam rescivit inducens de rebus sibi receptis..

A. 1528, Octobris 19, in consistorio Plocensi.

447. (Acta offic. VIa). Comparuit honestus Albertus de Lukoszyno principalis.. contra honestam Dorotheam de eadem Lukoszyno.. et.. proposuit, quomodo ipsa anno presenti die et mense certis contrahendo secum sponsalia in ecclesia parochiali Bandkoviensi, sub qua agunt, et matrimonio contracto per verba de facto (s) sub binis bannis de iure et consuetudine observari solitis dataque sibi fide per certas subarrationes de perpetuo matrimonio carnaliter sibi adhesit et cohabitavit et eundem per copulam carnalem cognoscens, dum ipse Albertus pro die dominica necessaria nupciarum et victualia comparasset, alium tandem quendam Casparum de dicta Lukossyno laicum.. extra ecclesiam parochialem Bandkoviensem in ecclesia parochiali Sudragy rectore instituto et commendario carente clandestine et surrepticie superduxit et cum eodem copulata fuisse dicitur, et tandem sibi licet nulliter et de facto ac inique cohabitasse, petens huiusmodi copulam tanquam clandestine et surrepticie nullis bannis premissis cum predicto Caspero subsecutam ac matrimonium inter eos pronunciari nullum.. ac dirimendum dictamque Dorotheam tanquam coniugem legitimam ad legitimum matrimonium huiusmodi consumandum.. alioquin ad expensas et dampna ac interesse, que extimavit ad VI sexagenas.. cogi et compelli. Exadverso nobilis Albertus Lukoski dicte Dorothee procurator.. allegavit, quod dictus Albertus ipsam Dorotheam violenter a parentibus eius rapuit et tandem deveniens ad conscienciam, quod male fecisset, eandem libere ad contrahendum matrimonium cum Caspero marito suo libere dimisit..

Item.. honestus Albertus de Lukoszyno.. contra honestum Casperum de eadem Lukoszyno.. proposuit, quomodo ipse datus in sensum reprobum.. honestam Dorotheam coniugem dicti Alberti, cum qua alias sponsalia et matrimonium

per verba de futuro contraxerat, anno presenti die dominica, dum ipse Albertus pro publicando dicto matrimonio et nupciis necessaria procurasset et cum ea in ecclesiam parochialem Bandkoviensem, sub qua agit, descendere voluisset, in domo dicti Alberti in Lukoszyno violenter rapuit et raptam extra parochialem ecclesiam Bandkoviensem in Sudragy detulit cum certis complicibus ad hoc ordinatis, ubi clandestine sibi copulatus fuisse dicitur licet nulliter et de facto, petens.. huiusmodi matrimonium clandestinum.. de iure dirimi et eundem ad reddendum dictam Dorotheam coniugem dicto Alberto.. compelli. Exadverso nobilis Petrus Lukoszky, dicti Casper de Lukoszyno procurator ibidem per eum constitutus.. negavit violenter recepisse dictam Dorotheam, quantum vero ad clandestinum matrimonium confessus est cum ea matrimonium contraxisse in ecclesia parochiali Sudragy, allegando, quod ecclesia parochialis in Sudragy et rector ipsius ac collatores dicte ecclesie habent ius et privilegium super contractione matrimoniorum clandestina nullis bannis premissis et extra parochiam; dicto Alberto negante huiusmodi privilegium dictam ecclesiam habere. Et dominus probare mandavit allegationem et dicto Alberto violentam receptionem hincinde.

A. 1528, Octobris 23, in consistorio Plocensi.

448. (Acta offic. VI a).. Comparens vener. dnus Laurentius Zambrzuski, prepositus s. Catherine extra muros Plocenses, nomine instigatorio officii proposuit contra honor. dnum Paulum in dicta Sudragi commendarium, quomodo ipse non habita commenda nec commissione aliqua a sede ordinaria audet se intromittere ad officia divina, missas et alia in dicta ecclesia Sudragy et nichilominus his non contentus in contemptum sacrorum canonum et vilipendium ac ceterorum scandalum frequentius audet copulare homines de extraneis parochiis clandestine in matrimonium, quibus obstare solent canonica impedimenta et qui alias in aliis extraneis parochiis non permittuntur propter impedimenta, prout et nuper quendam laicum Casperum de Lukoschyno cum quadam Dorothea de Grodan (s), que alias erat alteri legitime.. desponsata, clandestine copulavit et errorem ac scandalum inter prius desponsatos commisit, petens eundem ratione premissorum in pena sinodali condempnari condempnatumque ad solucionem compelli et a talibus deinceps prohiberi. Exadverso prefatus presbiter per se comparens.. confessus est narrata fuisse vera et allegavit, quod haberet fideiussores certos, qui sibi pro pena sinodali caverunt, petens sibi contra eos citacionem reservari. Et dominus locumtenens ex confessatis dictum dnum Paulum in pena sinodali III marcarum condempnavit et prohibuit, ne deinceps se intromittere deberet ad divina officia et huiusmodi copulaciones sub pena carcerum et XX sexagenarum gr. in mediis gr. officio persolvenda, et nichilominus actionem contra fideiussores eidem reservavit..

A. 1529, Februarii 26, in consistorio Plocensi.

449. (Acta offic. VIa) Comparuit in iudicio Mathias Marella, procurator discreti Nicolai Sulenski ministri ecclesie in Byelsko.. contra nobilem Gallum de Thlubycze.. proposuit, quomodo ipse ab annis V citra vel ultra ab eodem Nicolao V volumina librorum, videlicet: postillam minorem super Ewangelia, tractatus Petri Hispani, IV comedias Poliserne, Plauti, Terencii et exercitium Donati

recepit pro filio suo Iohanne, quorum librorum valorem extimavit ad III flor. in moneta, petens eundem ad solucionem.. cogi..

A. 1529, Martii 5, in consistorio Plocensi.

450. (Acta offic. VIa) Comparuit in iudicio honestus Stanislaus vitreator de Ploczka.. et.. contra honor. Nicolaum vicarium ecclesie parochialis s. Bartholomei in Ploczka.. proposuit, quomodo ipse.. veniens in domum ipsius noctis sub silencio eidem membranam vitream ecclesie parochialis in Mnyschewo cum certis imaginibus et figuris destruxit et confregit, pro racione cuius dictus vitreator dampnum extimavit ad I sexagenam..

A. 1530, Maii 11, in consistorio Plocensi.

451. (Acta offic. VIIa).. Honesta Dorothea Boguschowna de Golawyno.. contra honestum Laurencium Dryaschewicz de eadem Golawyno.. proposuit, quomodo ipse visitando pluries domum parentum ipsam blandis verbis et pollicitacionibus variis inducens ad hoc, ut sibi copulam carnalem consentiret, promittens eam per verba de presenti matrimonium contrahencia in uxorem ducere; quibus promissionibus ipsa ducta eidem in huiusmodi carnalem copulam consensit, ita quod per eum deflorata et impregnata est prolemque ex eo masculinam suscepit; pro qua defloracione et impregnacione .. dum eundem Laurencium ad tribunal et presenciam Rmi dni Episcopi Plocensis versus oppidum Polthowsk traxerat, dicta Dorothea iuramento ipsius Laurencii, quod videlicet eam non defloravit nec impregnavit.. detulit, coniciens ipsum esse bone consciencie; quod dictus Laurencius salutis sue immemor.. false iurando prestitit periuriumque commisit. Que tandem Dorothea racione pene huiusmodi sue impregnacionis vaccam cum vitello valoris I½ sexagene.. nobili Dunyn Golawynski, sub cuius dicione est, dare coacta extitit, petens eundem Laurencium tanquam periurum infamem pronunciari necnon ad solucionem dicte pene, quam ipsa suo domino prefato dedit, sentencialiter cogi.. Exadverso prefatus Laurencius.. confessus est se huiusmodi iuramentum iuxta ipsius delacionem iuste prestitisse. Et dominus actrici intencionem probare mandavit..

A. 1530, Iunii 10, in consistorio Plocensi.

452. (Acta offic. VIIa).. Cristi nomine invocato.. in causa.. que coram nobis inter honestam Dorotheam Boguschowna de Golawyno.. et laboriosum Laurencium Dryaschewicz de eodem Golawyno.. de et super periurio ex causa impregnacionis dicte Dorothee.. per ipsum in iudicio Rmi dni Episcopi Plocensis prestito.. vertitur.. ex his, que.. intelleximus.. pronunciamus prefatum Laurencium iuramentum corporale sibi per dictam Dorotheam.. delatum false.. prestitisse periuriumque.. se ipso facto perpetuo infamem reddendo commisisse.. et propterea eundem Laurencium in periurii.. penis.. necnon in pena I½ sexagene.. quam ipsa Dorothea domino et possessori suo racione huiusmodi prolificacionis sue iuxta communem consuetudinem dare compulsa est, necnon in expensis per dictam Dorotheam .. factis.. condempnamus ac eum ad solucionem dicte pecunie racione pene predictae.. compellimus, quarumquidem expensarum taxacionem nobis reservamus hac nostra sentencia diffinitiva mediante..

A. 1530, Iunii 13, in consistorio Plocensi.

453. (Acta offic. VII a). Comparens iudicialiter dnus Mathias Raczlai honor. dni Nicolai Grambeczki plebani in Gosdowo principalis sui procurator.. et in presencia vener. dni Iacobi de Biskupicze arcium magistri generosi dni Petri Prazmowski vexilliferi Lyvensis exadverso principalis procuratoris.. verbo proposuit, quomodo anno presenti die et mense certis dum quidam laboriosus Mathias Andree de Camionki in borram pro conducendis roboribus ivisset et valter ipsius dni plebani ipsum Mathiam cum eius canibus versus dictam borram concomitatus est, eo tempore prefatus dnus Petrus Prazmowski vexillifer cum sua familia venatum equitans locum, ubi dictus Mathias stabat, aliquantisper appropinquavit; qui valter canes et valtros ipsius dni Prazmowski prospiciens ad eos cucurrit et inde aliquantulum cum eis progrediens eundem dictus dnus Prazmowski in sua lora accipere et illinc quantocius per quendam suum servitorem abducere versus curiam et villam suam Radzikowo iussit, qui et in crastino illius diei apud eundem in dicta villa visus est, in eius iniuriam et dampnum, quod et quam dictus procurator nomine quo supra ad L flor. in moneta extimavit, petens eundem in dictis L flor. racione dampnorum et iniuriarum extimatis condempnari et ad solucionem alias ad respondendum compelli..



VIII. ACTA IUDICII ECCLESIASTICI WLADISLAVIENSIS.



A. 1422, Februarii 23, in consistorio.

454. (Acta offic. I). In causa Leonardi prepositi Strzelnensis contra Cristinum scoltetum et matrem eius in Bronislaw, Egidius procurator prepositi accusavit contumaciam dicti Cristini non respondentis sue proposicioni. Ex adverso Cristinus suo et tamquam evictor matris sue nominibus.. allegavit solucionem singulis annis a temporibus, quibus recordatur, videlicet per VIII gr. monete currentis de quolibet IV mansorum racione decime, racione vero missalium per I mensuram siliginis et per aliam avene de quolibet manso, et anno preterito se soluturum obtulit; sed quia eandem decimam et missales recipere noluit, sed quia prenominatus Egidius proposuerat, quod obligatur ad dandum racione decime per X grossos.. annis singulis, quam non solvit anno presenti, licet solverit per VIII [gr.] currentis monete, et est indicta probacio ambabus partibus: videlicet Cristinus probabit, quod ab annis XL solvit per VIII gr. currentis monete de quolibet manso, quam et anno presenti se obtulit soluturum, racione vero missalium per I mensuram videlicet siliginis et avene; prepositus vero probabit, quod debet solvi per X gr. latorum grossorum..

A. 1422, Martii 9, in consistorio.

455. (Acta offic. I).. Dnus Gregorius plebanus in Raczans cum Swanthoslao herede in Prziweczerzino super quibusdam decimis manipularibus inibidem in honor. dnos mgrum Laurencium, Iohannem archidiaconum et officialem et Ianusschium de Mlodawino prelatum et canonicos ecclesie Wladislaviensis.. compromiserunt, offerentes se hincinde stare ipsorum sentencie arbitrali; quiquidem dni pronunciaverunt ipsum Swanthoslaum fore liberum a solvenda decima necnon fatigis, processibus et expensis per ipsum dnum G. extractis, ita tamen quod idem Swanthoslaus inantea et expost tenebitur requirere dnum G. plebanum aut decimatorem ipsius super colligendis suis decimis ad ipsum protunc spectantibus; et nisi dnus G. sic, ut prefertur, requisitus huiusmodi decimas colligere neglexerit, idem S. licite poterit frumenta sua colligere, decimam vero dno G. aut suo successori in campo relinquere; sin autem idem S. eundem dnum G. aut plebanum protunc in

in Raczans existentem super colligendis decimis non requisierit, extunc licebit dno G. processus monitorios cum excommunicacionis sentencia sub uno contextu contra ipsos extrahere..

A. 1422, Martii 20, in consistorio.

456. (Acta offic. I). In causa dni Pauli Wladimiri canonici Wladislaviensis cum dno Iohanne plebano in Sgowanthca continuatur terminus..

457. (Ibidem). In causa dni Io. plebani in Chalino contra Iacobum scoltetum de ibidem, Laurentius succentor scole procurator plebani.. proposuit pro decima lini anni presentis in valore II gr. et pro avena in valore ½ marce. Ex adverso Iacobus laicus negavit narrata.. quantum pro decima lini, sed avenam dixit se dedisse XX manipulos, sed propter negligenciam et non recepcionem plebani dicta avena per pecora et pecudes in campo existit depasta. Et dominus mandavit probare plebano non solucionem dicte decime, layco vero solucionem, et idem dominus eundem laicum in I grosso pro dicta decima lini condempnavit, quam solvat ad VIII^am diem sub penis excommunicacionis.

A. 1422, Aprilis 3, in consistorio.

458. (Acta offic. I).. In stuba dni Io. archidiaconi et officialis Wladislaviensis et coram eodem in causa mgri Pauli Wladimiri canonici Wladislaviensis contra Io. plebanum in Zgowanthca, dnus Andreas plebanus in Ludbrancz procurator mgri Pauli petivit interloqui super libello suo.. dno Io. hoc ipsum petente. Et dominus interloquendo verbo mandavit libello pro parte dni mgri Pauli oblato ad primam diem iuridicam responderi. Et nichilominus repulit libellum reconvencionalem dni Io. plebani super illo verbo »ausu sacrilego«, mandans eidem dno Andree loco illius verbi ponere »spoliavit contra Deum et iusticiam«; prefato dno Io. de gravamine et appellando protestante..

459. (Ibidem). In causa iuris patronatus Gagowi cum Luben, Michael procurator nobilium de Gagowo citatis dnis Sandivogio decano Cruschwiciensi, Petro Clawconis canonico Wladislaviensi, Nicolao Wychowsky, Gregorio vicecustode vicariis et Iohanne Gamleschek procuratore causarum consistorii Wladislaviensis ..petivit.. eosdem dnos compelli ad recognoscendum manum et signum notarii necnon sigillum, instrumento publico pro parte sua in supplementum iuris sui producto subappensum. Quiquidem domini.. per iuramentum recognoverunt asserentes ipsum instrumentum ratificacionis concordie sic, ut prefertur, productum de manu Stanislai Budconis de Carnkowo notarii publici Plocensis diocesis scriptum sigillumque eidem instrumento appensum esse officialatus Wladislaviensis. Presente Stanislao Grabcowsky procuratore ex adverso ad videndum recognosci sigillum et manum similiter citato, ibidem eciam citatis dominis ad recognoscendum manus et sigilla, peciis, investituris necnon iuribus in subsidium iuris partis sue productis subappensa, videlicet Petro Cluka canonico, Sandivogio decano Cruschwiciensibus, Paulo de Iaxicze vicario Wladislaviensi, et similiter.. petivit ipsos compelli medio iuramento ad recognoscendum sigilla et manus notarii; et ibidem iidem dni facto corporali iuramento recognoverunt sigillum uni pecie subappensum fuisse et esse olim dni Sbiluti episcopi Wladislaviensis manumque asseruit fuisse cuiusdam dni Petri notarii curie eiusdem, socii sui, quem dixit se bene novisse; alii autem dni

predicti presumebant ita esse, ut idem dnus P. deposuit viso sigillo et manu, in alia autem pecia sive investitura recognoverunt sub certa presumpcione manum fuisse cuiusdam Mathie Dobronis tunc notarii curie dni Io. olim episcopi Wladislaviensis; verum quia eidem littere seu pecie sigillum subappensum intus, ubi cera rubea fuit impressa, omnino lesum existit et oppressum, salvis dumtaxat quibusdam reliquiis caracterum eiusdem rubee cere, que inibidem apparuerunt, ideo iidem testes non potuerunt discernere, cuius fuit sigillum, ex coniecturacione tamen et remanencia huiusmodi cere rubee presumebant ipsum fuisse eiusdem dni Io. episcopi Wladislaviensis, et ad maiorem evidenciam dominus mandavit citare eundem Mathiam notarium ad recognoscendum manum et sigillum et litteras decrevit oportunas.

A. 1422, Aprilis 6, in consistorio.

460. (Acta offic. I).. In stuba dni Io. archidiaconi et officialis Wladislaviensis et coram eodem in causa iuris patronatus Gagowi cum Luben, Sta. Grabcowsky procurator nobilium de Luben citato Mathia Dobronis olim notario dni Io. episcopi Wladislaviensis ad recognoscendum manum suam necnon Michaele ex adverso procuratore ad videndum eundem recognosci.. petivit ipsum compelli medio iuramento ad huiusmodi recognicionem sigilli et manus suorum, quiquidem M. iuramento corporali prestito recognovit dictam peciam seu investiture litteram fuisse manu sua scriptam necnon sigillum predicti dni Io. episcopi olim Wladislaviensis esse, non obstante eius oppressione et lesione, prout apparebat ex remanenciis rubee cere ibi apparentibus; et ibidem mox et incontinenti dicti procuratores unus alterum citando per Nicolaum de Bobrowniky presbiterum et relacione facta petiverunt in causa concludi; et dominus conclusit cum potestate revocandi..

A. 1422, Aprilis 20, in consistorio.

461. (Acta offic. I). In causa mgri Pauli Wladimiri contra dnum Iohannem plebanum in Zgowanthca, dnus Andreas plebanus in Ludbrancz procurator mgri Pauli petivit eundem dnum Io. compelli ad solvendum medietatem decime, quam alias recognovit de media Kobilsko, dno Iohanne negante se confessum fuisse medietatem Kobilsko, quam colit iudex in Ludbrancz, sed confitetur medietatem Kobilsko post araturas kmethonum et nobilium in Maiori Sulkowo, quam medietatem semper idem magister P. percipit; sed idem dnus Io. asseruit esse et asserit aliam Kobilsko, quam iudicis, quod probabit ad XIV dies, alias ipso die s. Gothardi, sed dnus Andreas probabit, quod dnus Io. spoliavit eundem mgrum Paulum a III annis de decima de media Kobilsko, quam tollit iudex in Ludbrancz et probabit eodem die..

A. 1422, Maii 6, in consistorio.

462. (Acta offic. I). In causa Andree notarii monasterii Strzelnensis contra nobilem Io. Zogothczky, E. procurator Andree accusavit contumaciam dicti Io. non respondentis.. Ex adverso dictus Io. reconveniendo verbo proposuit contra eundem A., quod licet idem Io. fuerit ex utroque parente n o b i l i s laudabilis conversacionis, tamen idem A. infamando eundem Io. appellavit ipsum rusticum et la-

tronem coram multis et honestis, iniuriam estimat ad M flor., quos petit et revocacionem verborum; terminus infra hinc et unum mensem ob spem concordie alias hincinde ad respondendum est prefixus..

A. 1422, Maii 18, in consistorio.

463. (Acta offic. I).. Iacobus laicus de Sandzino asserens, quomodo alias indicta fuit sibi caucio fideiussoria pro eo, quod Swanchnam uxorem suam non deberet ledere, mutilare et in facie deturpare neque cultello afficere, sed pro excessibus licite virga affligere ut uxorem. Et ibidem constituit fideiussores Barthoschium et Stephanum Kunkowycz scoltetos, qui fideiusserunt in manibus dni Io. archidiaconi et officialis Wladislaviensis, quod idem Iacobus sic, ut prefertur, non debet dictam uxorem suam mutilare, crudeliter afficere neque in facie deturpare, sed pro excessibus, in quantum excesserit, virga affligere; quiquidem scolteti submiserunt se penam LX marcarum ecclesie Wladislaviensi soluturos, dummodo contra eundem Iacobum aliqua lesio probaretur; et insuper idem Iacobus promisit eandem uxorem suam ad partes alienas non educere, alias si eduxerit, extunc dicti fideiussores a caucione fideiussoria sunt protestati se exonerandos. Et ibidem Laurencius Sulo ibidem de Sandzino eodem modo cavit pro Swanchna filia sua, quod non debet contra eundem Iacobum maritum suum morte, toxico aut aliquo mortis zelo nec per se nec per amicos aut alias personas [machinare], sed ipsum ut maritum honeste pertractare, alias si oppositum probaretur, extunc idem Sulo LX marcas ecclesie tenetur persolvere..

A. 1422, Iunii 15, in consistorio.

464. (Acta offic. I).. In domo vener. dni Iohannis archidiaconi et officialis Wladislaviensis, nobilis Iohannes heres de Zegoczicze ad proposicionem verbalem circumspecti Andree notarii prepositi Strzelnensis.. respondit, quod quidquid locutus est, hoc locutus est ad verba ipsius Andree, non aliud solum hec verba: ego nescio, an tu es clericus vel laicus, sed ex quo ita facis, es utique ribaldus alias *chlop;* et non plus, cetera autem negavit..

A. 1422, Iunii 19, in consistorio.

465. (Acta offic. I). In causa Laurencii clerici de Liszcowo contra dnum Martinum vicarium de Parchane, Io. Gamleczsko procurator clerici proposuit contra vicarium, quod cum ipse vicarius per clericum fuisset conventus ad scribendum ipsi clerico primam, secundam et tertiam partem Allexandri, sic ipse vicarius recepta solucione, videlicet iopula barchani valoris XX gr., non curat scribere, prout est conventus, petit valorem iopule iam destructe, protestando de expensis..

A. 1423, Ianuarii 29, in consistorio.

466. (Acta offic. I).. Stanislaus oppidanus Cruschwiciensis citato religioso Leonardo preposito Strzelnensi ad dicendum causas racionabiles, cur ipsum monere procuravit.. petivit easdem contra se allegare. Ex adverso E. procurator prepositi.. proposuit.. contra eundem, quomodo de anno currenti idem Stanislaus non expectato tempore decimacionis, ita quod nullibi adhuc decime decimabantur, decimam, quam eidem preposito et conventui suo de agris suis darę et sǫlverę

tenebatur, dicto preposito aut procuratore suo non vocato, de quolibet capete VI manipulis ante festum s. Bartholomei proiectis et ibidem in campo relictis, decimam integram violenter ad domum suam deduxit, in quo dampnificavit eundem prepositum in sexagena, quam petivit. Ex adverso laicus allegavit, quomodo avisavit vicinos et Mathiam Dambowicz laicum de ibidem, ut conduxisset decimam eandem. E. ex adverso replicante.. eundem Mathiam nec quempiam habere facultatem ad decimandum dictam decimam. Et ibidem de consensu parcium Mathias Dambowicz oppidanus Cruschwiciensis iurabit citatus per partes, quod idem Stanislaus requisivit et avisavit eum tamquam procuratorem dicti Leonardi prepositi mandatum ad hoc habentis IV die post festum s. Adalberti, ut decimasset decimam dicto preposito de agro dicti Stanislai, prout aliis de eodem agro decimavit et sibi conduxit. Et super quocunque iurabit dictus Mathias, partes obligate sunt tenere firme et contravenire.

A. 1423, Martii 1, in consistorio.

467. (Acta offic. I). In causa mgri Pauli Wladimiri contra strenuum Cristinum castellanum Cruschwiciensem, nobilis N. Corzeczniczski asserens se procuratorem eiusdem Cristini citavit Danielem procuratorem mgri Pauli ad allegandum causas racionabiles, cur eundem Cristinum monere procuravit; Laurencio.. procuratore substituto.. dicti mgri Pauli.. proponente, quomodo predictus Cristinus detinet decimam manipularem in Quilyno post agros kmethonum inibidem nec permittit eam triturare cuiquam et trituratores a trituracione repulit nec stramina et granum tollere permisit; iniuriam estimavit ad VI sexagenas, quas petit..

468. (Ibidem). In causa dni Przedwogii cantoris Wladislaviensis contra Gambarth de Bodzanowo, E. procurator dni cantoris.. proposuit pro decima manipulari estivali et yemali anni currentis per depulsionem kmethonis per ipsum retenta et non data in valore I sexagene, quam petivit sibi solvi et insuper quia eandem decimam non conduxit, sicut alii kmethones conducunt, et dampnum in eadem intulit per non conduccionem; dicto Gambarth confitente se debere decimam eidem dno cantori, sed non teneri ad conduccionem sicut kmethones; et dominus diffinivit, quod aut idem nobilis det decimam lini aut conducat, sicut alii kmethones; dnus vero cantor declarabit corporali iuramento dampnum in huiusmodi decima illatum et quodcunque declarabit, idem nobilis tenebitur persolvere.

A. 1423, Martii 8, in consistorio.

469. (Acta offic. I).. Nobilis Krzeslaus de Dowozyno citavit Danielem procuratorem dni Andree plebani in Ludbrancz, cur ipsum monere procuravit. Et ibidem predictus Daniel producendo processus in vim racionum proposuit contra eundem, quomodo licet ipse vendiderit decimam in Redecz kmethonibus inibidem pro certa summa pecuniarum, tamen idem nobilis.. kmethones eosdem ab eadem decima repulit nec permittit eosdem eandem triturare; dicto nobili ex adverso dicente.. se velle eandem decimam racione propinquitatis soluturum, pro quantocunque est empta. Daniele ex adverso asserente dictos kmethones prius fecisse forum pro eadem decima, quam dictus nobilis, nec constabat ipsum nobilem umquam finaliter velle huiusmodi decimam emere. Et dominus amputatis hincinde altricacionibus, recepta sufficienti experiencia, quod dicti kmethones prius, quam

dictus nobilis dictam decimam emerunt, ratificavit forum kmethonum adiudicando eandem emptam dictis kmethonibus et imponendo silencium dicto nobili ab eadem.

A. 1423, Martii 15, in consistorio.

470. (Acta offic. I).. Dominus conservavit dnum Iacobum plebanum in Swinarzewo circa statuta provincialia super testamentis plebanorum.

471. (Ibidem).. Nobiles Philippus Gawronski necnon Przeczslaus Lezniczski armigeri de districtu Lanciciensi asserentes, quomodo ad terminos generales haberent constitui in Dobrzin, modo quia propter discrimen et periculum Visle nullomodo pertransire ibidem potuerunt nec per quempiam transfretari, protestati sunt publice de huiusmodi discrimine..

A. 1423, Iunii 13, in consistorio.

472. (Acta offic. I). In causa Iacobi rectoris scole in Bresth contra Iohannem clericum de Coszczol, Laurentius procurator Iacobi.. verbo proposuit pro XL gr. racione precii deserviti scolastici a V annis per duos gr., ad quod obligabatur, sicut domicellus in Coszczol et in Bresth; clerico respondente se nunquam stetisse sub forma domicelli, sed in forma pauperis serviendo sibi et ecclesie, currendo pro vino et alia servicia ministrando eidem; terminus ad probandum hincinde. Item contra eundem proposuit pro verbis iniuriosis, quia ambulat circa scolas in Bresth et evocavit ipsum ad percuciendum, dicens: male et inique homo, exeas et percuciaris mecum; et alia intulit provocatoria; clerico negante terminus Laurencio ad probandum, quando placet.

A. 1423, Iunii 15, in consistorio.

473. (Acta offic. I). In causa mgri Pauli Wladimiri canonici Wladislaviensis contra dnum Iohannem plebanum in Zgowanthka, Laurencius succentor procurator substitutus mgri Pauli citato Iohanne ex adverso procuratore per dnum Bernhardum vicarium in Craschino.. petivit sententiam diffinitivam ferri; Iohanne G. hoc ipsum petente. Et dominus tulit in scriptis adiudicando dno mgro Paulo Wladimiri decimam de media Kobilska..

474. (Ibidem). In causa eiusdem mgri Pauli Wladimiri contra Michaelem laicum de Staschino, Laurencius procurator mgri Pauli.. proposuit, quomodo ipse nollet tenere forum pro decima pro VIII sexagenis aput dnum Danielem procuratorem eiusdem mgri Pauli empta, nec easdem VIII sexagenas curat persolvere. Et ibidem dominus mandavit solvere Michaeli dictas VIII sexagenas dicto dno Danieli ad festum Assumpcionis s. Marie.

475. (Ibidem). Item ibidem Michael ex adverso contra dnum Mathiam vicarium in Ludbrancz.. proposuit, quomodo dum frumenta huiusmodi decimalia apud ipsum tanquam procuratorem substitutum Danielis emisset, tandem cum eadem frumenta triturare voluisset, sibi intimavit dicens: Domine M., utrum frumenta debeam triturata recipere, quia impediar? Qui dixit: Cum impediris, non consulo tibi eadem recipere, quia cum impediris in recepcione straminum, nec frumenta recipere [debes], sed mittas ea intacta usque ad adventum dni Danielis; — propter quam non recepcionem frumentorum illo tempore dampnificatus est in I sexagena, quam petivit..

A. 1423, Augusti 13, in consistorio.

476. (Acta offic. I).. Dnus Dobrogostius presbiter de Bidgosthia ex officio per dominum citatus et accusatus, quomodo sit potator continuus et inebriator ultra mensuram nunquam celebrans missam a sex annis, sed semper inheret actibus pravis rusticorum, ibidem summisit se coram domino nunquam decetero velle inebriari neque laicis rusticaliter conversari, ad officium divinum et celebracionem misse ad festum s. Nativitatis Marie prox. venturum et aliis temporibus ad devociones et ad divina officia cum devocione dispositurum, alias nisi secus fecerit, extunc submisit se penis carcerum trium mensium puniendum et mulctandum, et post deprehensus maiori et graviori pena puniendum..

A. 1423, Augusti 25, in consistorio.

477. (Acta offic. I). Item nobilis Mathias heres in Brzeze citato dno Ianuschio de Mlodawyno canonico peciit contra se causas racionabiles allegari, cur ipsum monere procuravit. Ex adverso Paulus de Iaxicze procurator Ianuschii.. proposuit contra eundem, quia decimam manipularem post V mansos suos iuxta sentenciam arbitralem adiudicatam, sicut alii kmethones, dare recusat. Ex adverso Laurencius procurator dicti nobilis dixit se eandem decimam velle daturum, ita tamen non sicut laicus vulgariter *wgonithwa*, sed sicut nobilis, dum istos mansos kmethones nunquam coluerunt. Ex adverso Paulo dicente hoc sufficientissime esse per testes probatum, quia iidem mansi fuerunt ab antiquo per kmethones culti. Et dominus ratificando huiusmodi arbitralem sentenciam mandavit fieri satisfaccionem pro decima eadem dno Ianuschio aut iuxta sentenciam dari decimam. Et finaliter nobilis obtulit se pariturum sentencie arbitrali, ita quod si nuncius dicti dni Ianuschii non crederit, quod bene decima sit assignata, iurabit super dampno, et quantum declarabit iuramento, nobilis solvet.

478. (Ibidem). In causa dni Stiborii heredis in Choczen contra Warschium heredem in Sambino, L. procurator dni S. petivit per dominum pronunciare voluntatem suam et se pronunciari iudicem. Ex adverso Warschio petente se remitti ad forum seculare ex eo, cum causa sit mere secularis et in foro seculari cepta, presertim cum quidam Michael, procurator bonorum dicti dni Stiborii tunc existens, vulneraverat letaliter ipsum W. et cum per ipsum W. ad iudicium seculare super eisdem vulneribus fuit tractus et conventus, memoratus dnus Stiborius veniens petivit ipsum per iudicem generalem non debere iudicari, cum sit procurator suus et familiaris, sed offerens se ad dandum iudicem contra eum super huiusmodi vulneribus; tandem vero cum coram eodem iudice per predictum dnum Stiborium dato per ipsum Warschium contra dictum Michaelem super vulneribus ad nonnullos actus et terminos iudiciarios et usque ad sentenciam diffinitivam fuisset processum, extunc dnus Sti. non permisit eundem iudicem per ipsum deputatum eandem sentenciam super vulneribus ferri, dicens: Non iudica, quia nolo, ut tu iudices. Que probabit Warschius infra XIV dies. Et dominus visis probacionibus se pronunciabit iudicem aut causam remittat ad forum seculare.

A. 1424, Ianuarii 13, in consistorio.

479. (Acta offic. I).. In domo dni Ianuschy de Mlodawyno canonici Wladislaviensis Symon plebanus in Conoyeczsko Wladislav. diocesis examinatus et su-

spectus de pravitate heretica Husch et Viclef dampnatorum iuravit in manibus vener. dni Iohannis archidiaconi et officialis Wladislav. in presencia et tamquam commissarii specialis Rmi.. dni Iohannis episcopi Wladislav. coram honor. viro mgro Laurencio canonico Wladislaviensi college(s), quod licitum sit spiritualibus bona temporalia possidere sine peccato et quod layci non possunt auferre ea a spiritualibus sine peccato et quod communio vulgo communi sufficit ad salutem tantum sub una specie tantum panis. Item abiuravit ibidem tactis manibus Ewangelii scripturis et confessus est ore et corde, quod nisi compertus esset expost in aliquo heretico articulo et quod absit relapsus a fide katholica, summisit se severitate canonum puniendum et dampnacioni perpetue, super quibus idem dnus Officialis commissarius et idem Symon petiverunt sibi a me notario Iohanne de Staw publica instrumenta..

A. 1424, Ianuarii 17, in consistorio.

480. (Acta offic. I). In causa nobilis Gambarth contra Iohannem Magnum de Crowyno Redecz, nobilis.. verbo proposuit, quod licet ipse Iohannes laicus aliis annis collegit decimam et conduxit ibidem in Crowyno Redecz dno Cantori, anno autem preterito, dum idem nobilis requisivit ipsum Io. ut conduceret decimam de campo dno Cantori, ut alias conduxit et collegit, ipse autem non conduxit, neque collegit, quam decimam et ipse prius eandem decimam suis pecoribus et pecudibus depavit et alii, ipso non conducente, eandem depaverunt; iniuriam estimavit ad ½ marcam. Ex adverso C. procurator layci petivit se remitti ad forum seculare; et dominus suspendit eandem causam ad adventum domini.

A. 1424, Ianurii 19, in consistorio.

481. (Acta offic. I). In causa [Iohannis] clerici [de Miragonowicze] contra nobilem Przibislaum heredem in Pyaski, Ioh. G. procurator clerici.. verbo proposuit, quomodo ipsum appellavit calumpniatorem coram nobilibus multis in Radzeyow in iudicio seculari anno presenti ibidem tunc celebrato, iniuriam estimat ad C flor. petens eosdem cum verborum revocacione; et datur terminus nobili ad XIIII dies de consensu parcium. Et expost prefatus nobilis Przibislaus dixit se nichil mali scire de dicto clerico, nisi omne bonum, quia ipse clericus est frater meus et peniteret me sibi maledicere.

A. 1425, Februarii 3, in consistorio.

482. (Acta offic. I).. In domo vener. dni Iohannis de Slupowa archidiaconi et officialis Wladislawiensis.. in causa matrimoniali Magdalene mulieris cum Dominico viro suo de Trzaskowo, dictus Dominicus inherendo sue accioni coram honor. dno Iacobo Parusz canonico Cruschwiciensi et tunc officiali Wladislaviensi alias contra ipsam directe super adulterio petivit se admitti ad probandum dictam suam intencionem, ubi mox nobilis Dominicus procuratorio nomine dicte Magdalene mulieris reconveniendo egit in dictum Dominicum virum suum, quod ipse non habitis causis legitimis neque suis demeritis exigentibus asserit ipsam fore adulteram et in adulterio repertam; iniuriam estimavit ad II millia marcarum, que petivit.. Accio pro parte Dominici contra Magdalenam uxorem suam facta fuit talis: Quod cum quadam die ipsa Dominicus vir suus dixisset se equitasse ad

parentes suos et uxoris predicte, tunc recedens posuit sub ea custodiam et clam rediens tempore noctis venit ad dictos custodes et interrogavit eos, si ne viderunt aliquem intrantem ad uxorem suam videlicet Magdalenam; qui dixerunt: Vade, invenies ibi unum laicum cum ea iacentem et primo audivimus, quia coierunt simul; et tunc dictus Dominicus transiens clausit ipsam in stuba cathena cum dicto laico et proclamavit super violencia, et cum convenissent vicini sui ad clamorem, dictus laicus excisa fenestra stube effugit de stuba; offerens se probaturum. Et dnus Officialis admisit ad probandum.. Item ibidem dicta Magdalena mulier constituit nobilem Dominicum vicesubcamerarium Wladislaviensem de Trzaszkowo heredem in dicta causa cum Dominico cum potestate substituendi..

A. 1425, Februarii 27, in consistorio.

483. (Acta offic. I). In causa mgri Pauli Wladimiri canonici Wladislaviensis cum nobili Cristino castellano Cruschwiciensi, mgr. L. procurator canonici.. proposuit contra eundem super straminibus decimalibus in villis Szemunowo et Quelino, quas sibi recepit a II annis, in valore cuiuslibet anni ad II sexagenas, quas petivit..

A. 1425, Martii 19, in consistorio.

484. (Acta offic. I). In causa matrimoniali Grethe mulieris de Oszamborowicze cum Nicolao laico de Sczithno.. dicta mulier.. proposuit contra eundem laicum, quod dictus N. laicus matrimonium cum ipsa Gretha muliere per verba de presenti contraxit et in ecclesia secundum consuetudinem cum eadem bis fuit proclamatus, tamen expost versus in sensum alium dictum matrimonium non vult consumare, unde petivit ipsum compelli ad consumandum. Ex adverso laicus dixit se cum eadem contraxisse matrimonium, sed allegavit, quod invite contraxit et expost ibidem in manibus dni Officialis resumendo verba matrimonium cum eadem contraxit et dictum matrimonium per dnum Officialem confirmare petivit; et dominus confirmavit..

A. 1428, Ianuarii 28, in consistorio.

485. (Acta offic. II). In causa Iacobi vicarii de Sbrachlino.. [idem Iacobus] egit verbo contra Nicolaum laicum de Grabyanowo, quod cum decima fuisset aput eum recollecta, eidem Iacobo vicario pro servicio assignata per plebanum, quam decimam dictus dnus Iacobus vicarius vendidit cum medietate straminum iuxta cursum terre Cuyavie, qui Nicolaus laicus emptorem dni Iacobi vicarii in medietate straminum impedivit, dnum Iacobum vicarium in media sexagena dampnificando.. Et dominus actori probare mandavit.

A. 1428, Martii 19, in consistorio.

486. (Acta offic. II). In causa nobilis Iacuschy Rynarzewsky cum dno N. plebano in Dambrowka, Slawk procuratorio nomine nobilis Iacuschii.. petivit dare causas per ipsum plebanum, quare dictum nobilem excommunicari procuravit, et cum hoc egit in eundem, quod non citatum nec convictum iure excommunicavit eundem; plebano allegante ipsum fuisse legitime citatum et.. contumaciam decre-

tam.. A contrario M. Dobronis procurator plebani reconveniendo proposuit contra eundem nobilem Iacusschium, quod ipse contra laudum tocius parochie sue et in scandalum aliorum recusat dare censum ecclesie per I grossum de quolibet manso, prout et ceteri omnes parochiani solvunt, neque dedit, unde pétit XII gr., quos tenetur de XII mansis..

A. 1428, Martii 30, in consistorio.

487. (Acta offic. II).. In stuba domus habitacionis vener. dni Io. archidiaconi et officialis Wladislaviensis.. Stanislaus Wycher de Antiqua Brest comparens exposuit, quomodo cum alias laborasset ecclesiam in Chotecz et extruxisset eandem ad plenum preter tectum, in recessu suo ad alios labores convenerat quendam alium carpentarium ad tegendum dictam ecclesiam cum choro cum scilindriis et idem carpentarius sic per eum conventus licet texit chorum, tamen male, quia stillat, et medietatem corporis ecclesie adhuc non texit; preterea summisit se sub pena excommunicationis tegere ecclesiam in toto, corpus cum choro, suis scilindriis, clavis et impensis ac expensis signanter scilindriis siccis: corpus ad Penthecosten et chorum ad b. Dominici festa prox. affutura; et si in quantum ecclesia ipsa in structura sua ad aliquam partem, quod absit, declinaverit, ipse suis sumptibus et expensis eandem reedificare et in forma stabilire se summisit; presentibus ibidem discretis et nobilibus S. et Alexandro scribis consistorii, Paulo de Crayewicze herede et Wenceslao Bohemo oppidano de Gombicze, testibus.

488. (Ibidem). Item tria altaria in eadem ecclesia similiter construet ex lignis et si dabuntur sibi lateres murabit unum altare maius; sed si non, tunc ex lignis omnia fiant; eciam et gradus faciet in ecclesia necessarios, prout alias in contractu habuit etc.

A. 1428, Aprilis 16, in consistorio.

489. (Acta offic. II). In causa dnorum Iohannis plebani in Dzirzbicze cum Wernero plebano in Biczina, Iohannes.. egit verbo in eundem super media marca.. quam tenetur sibi pro siligine apud ipsum empta, quam petit. Ex adverso Clemens procurator dicti plebani confessus [est] VIII mensuras siliginis et non pecunias, et Iohannes detulit iuramento plebani.. Item egit in plebanum super infamia, qui dicebat ipsum subtraxisse reliquias et ossa Sanctorum de ecclesia sua, iniuriam estimando ad X marcas..

490. (Ibidem). In causa eiusdem cum Samsone vicario in Byczina, idem dnus Iohannes egit verbo in Samsonem super XV gr. debitis, quos petivit; Samsone confitente, et solvet ad XIIII dies, et infra VII septimanas scribet sibi VII sexternos sermonum, si exemplar sibi dabit.

A. 1428, Iunii 14, in consistorio.

491. (Acta offic. II). In causa N. Alexandri vicarii cum Martino laico de Conogeczsko, idem vicarius.. egit verbo in eundem, quomodo ipse M. laicus inebriatus veniens ad ecclesiam die Dominica infra octavas Corporis Christi, ipso dno N. vicario vesperas decantante, seviens cepit clamare et impedire officium; et tandem ipso N. vicario volente ipsum educere de ecclesia ipse laicus increpavit eum malis verbis, dicens ipsum fore manifestum hereticum et mendacem et quid

in suo sermone diceret, mendacium diceret; et ultimo visa ymagine b. Virginis dicebat: Quid hic ista meretrix facit, — in vilipendium ecclesie; iniuriam suam estimavit ad C flor., quos petit..

A. 1428, Septembris 13, in consistorio.

492. (Acta offic. II). In causa dni Stanislai plebani de Przypust cum nobili Thomkone de Camyenecz, Iohannes Gamlesk procurator dni Stanislai plebani egit verbo in eundem super decima manipulari post araturas kmethonum in villa Calanczino in valore IV sexagenarum, quas petivit. Ex adverso Iohannes heres de Conoyeczsko procurator dicti nobilis Thomkonis.. respondit, quod cum frumenta in dictis agris iam parata fuissent et dictus nobilis Thomas dicta frumenta conducere volens plebano intimavit, ut veniret pro frumentis, que sibi racione decime cederent, qui dnus plebanus venire non curavit, qui nobilis T. frumenta sua conduxit, decimam in campo relinquendo; et postea videns, quod plebanus dicta frumenta decimalia conducere non curavit, altera vice dictus nobilis T. ad plebanum in Przipust descendit, monens et dicens sibi, quod dicta frumenta decimalia conduceret, qui respondit: nolo conducere, quia me non vocato nec decimatore adducto frumenta conduxisti, michi mala relinquendo; qui nobilis respondit: dne plebane ex quo dicitis, quod mala frumenta vobis dimisi, habetis frumenta in campo, que adhuc stant LX vel L capecia, et sicut ista tibi non dixi, defero tuo iuramento. Et dominus mandavit plebano, quod deponat ista per iuramentum et ulterius interloquendo mandavit plebano probare intencionem suam..

A. 1429, Ianuarii 14, in consistorio.

493. (Acta offic. II).. In stuba domus vener. dni Iohannis archidiaconi et officialis Wladislaviensis et coram eodem in causa Wenceslai carpentarii cum nobili et discreto Iarando herede et Stanislao plebano in Clobycza, A. de Lang procurator dicti W. laici.. egit in eosdem, quod cum convenissent eum ad laborandum ecclesiam ibidem in Clobicza pro XXXVI marcis monete usualis, ipse W. laicus iuxta contractum et convencionem laboravit dictam ecclesiam et recepit medietatem pecuniarum et residuo labore, qui adhuc restat circa ecclesiam, licet parvo non expleto detinent sibi residuitatem pecuniarum videlicet XIX marcas, quas petivit sibi solvi..

494. (Ibidem). In causa W. carpentarii cum Iacobo plebano in Brdowo, A. procurator W. laici.. accusavit contumaciam non respondentis suo libello; ex adverso Io. G. [procurator plebani] reconveniendo proposuit contra W. laicum, quod cum dnus Ia. plebanus in B. convenisset dictum W. ad reformandum et faciendum terminum alias *spycza* in ecclesia pro certa summa pecuniali, idem W. receptis pecuniis recessit et labores non explevit, dampnificavit eum in X marcis, quas petivit et ut compellatur ad complendum labores.. A. procuratore laici ad reconvencionem plebani dicente, quod W. voluit complere labores suos et misit ad plebanum, ut daret necessaria pro laboribus, qui non dedit, nec dare voluit et ex eo labores non sunt completi, offerens se probaturum..

A. 1429, Ianuarii 26, in consistorio.

495. (Acta offic. II).. Dnus Iohannes de Slupowa archidiaconus Wladisla-

viensis omnia acta coram eo acticata, sigillum et alteras omnes causas consistoriales in manus honor. viri dni Stanislai rectoris ecclesie de Grabcow vener. viri dni Sandivogii decani Cruschviciensis vicarii in Spiritualibus generalis et officialis Wladislaviensis surrogati causarum tradidit et dedit..

A. 1429, Februarii 11, in consistorio.

496. (Acta offic. II).. Nobiles Paulus de Unyeslavicze et Albertus de Dambrowka heredes venientes ad domum habitacionis vener. viri dni S. decani Cruschviciensis vicarii et officialis Wladislav. recognoverunt, quod emerunt apud dnum Stanislaum rectorem ecclesie in Grabcowo I acervum siliginis anni preteriti pro III sexagenis gr. in moneta, quarum solucionem facere debent expeditam ad festum s. Michaelis nunc prox. venturum.. medietatem tamen straminum de dicto acervo dictus dnus S. rector ecclesie in G. pro se reservavit..

A. 1429, Martii 20, in consistorio.

497. (Acta offic. II).. In stuba domus habitationis vener. viri dni Sandiwogii decani Cruschviciensis vicarii et officialis Wladislaviensis.. in causa nobilium Boguslai de Osszowo et Bernhardi de Ludbrancz, nobilis Boguslaus predictus egit in eum verbo, quod ipse existens persona secularis criminabatur ipsum dicens hec vel similia verba: te dnus Episcopus inculpavit dicens, quod tu sis **hereticus**, de quo minime es purgatus, iniuriam ad M marcas estimando; unde petivit ipsas solvi. Ex adverso Bernhardus.. negavit.. Et dominus ad responsionem nobilis Bernhardi onerata consciencia nobilis Boguslai inquisivit ab eodem, an sentiret hereticum aliquid aut esset defensor, protector hereticorum aut fautor heresis; respondit, quod nullum illorum admisit, nec in aliquo heretice peccavit nec se fore noxium sensit, et petente ipso nobili Boguslao dominus pronunciavit predictum Boguslaum innocentem nec aliquam maculam pravitatis heretice contrahentem; super quibus omnibus et singulis prenominatus B. petivit a me notario publica necessaria instrumenta..

A. 1429, Iunii 20, in consistorio.

498. (Acta offic. II).. In causa dni Iohannis vicarii Wladislaviensis cum nobili Boguslao de Osszowo, Mathias.. procurator dicti Iohannis egit in eum verbo, qualiter ipse Boguslaus suis emptoribus dicti Iohannis decime anni preteriti in Lganowo imposuit comminaciones, sic quod de ea libere non potuerunt disponere, unde dampnificavit eum in media sexagena, quam petivit. Item in eum proposuit super decima anni presentis, quod ipse dnus Boguslaus dictam decimam, non habitis dicti dni Io. voluntate et consensu, in campo recepit et in domum suam deduxit et hucusque apud ipsum stat deposita, ita quod dnus Io. non habet de eadem nec habuit disponendi libertatem in valore V sexagenarum. Ex adverso dictus nobilis petivit terminum ad deliberandum, et statuitur ad XIIII dies, presentibus quibus supra. Ad primam respondit negans narrata, sed ad secundam respondit, quod wlodarius ipsius decimavit et kmethones in domum ipsius conduxerunt et stat in area eius et eam non impedit triturare vel aliter de eadem disponere.

499. (Ibidem). Item in causa dni Andree plebani in Ludbrancz cum nobili

Boguslao de Osszowo, predictus dnus Andreas plebanus proposuit contra dictum nobilem cum querela, quod licet ipse dnus Andreas plebanus sit bonus homo laudabilis condicionis ab annis discrecionis, quibus potuit bonum a malo discernere, laudabiliter conversatus, nullum crimen suis meritis infamie contraxit, rector ecclesie in Ludbrancz salubri doctrina, vita et moribus suos parachianos informans, tamen ipse dnus Boguslaus, nescitur quo ductus spiritu, de anno nunc presenti in medio Quadragesime ipsum verbis infamatoriis et contumeliosis affecit, dicens per expressum, quod sit filius furis et homo superbus et quod prohiberet dare censum et censari, hoc est Regi et regni nobilibus, iniuriam ad C florenos ad animum revocando estimavit cum revocacione verborum infamatoriorum predictorum, quos petivit; et datur terminus ad deliberandum nobili ad XIV dies..

A. 1429, Iulii 6, in consistorio.

500. (Acta offic. II).. In causa dni Stanislai plebani in Grabcowo cum nobili Bronisch de Borucino, dnus Stanislaus.. egit in ipsum verbo super decima manipulari de MCCCCXXVII^{mo} et octavo annis per ipsum de agris kmethonum depositorum cultis rapta et per eum non vocato decimante vel emptore dicte decime in domum ipsius vel alibi, quo volebat, deducta, que debetur sibi et eius ecclesie in Grabcowo in *gonythwam,* quam modo coram.. dno Iohanne episcopo Wladislaviensi allegavit intactam aut quoquomodo non depastam et quam exinde idem Stanislaus ipso die b. Procopii cum certis nobilibus personis in Boruczino condescendens conspexit fore putridam et depastam in valore VI sexagenarum, quas petivit; in presencia mgri Andree de Lang procuratoris dicti Bronisch terminum ad deliberandum petentis, et statuitur ad f. II proximam..

501. (Ibidem).. Circumspectus Michael oppidanus de Nowaneschowa recognovit se teneri honor. viro dno Ianussio de Mlodawyno canonico Wladislaviensi XXVI sexagenas gr. in moneta currenti, videlicet in novis solidis, et unum quartale allecum pro decima anni presentis in Bresze, de quibus XIII ad Pasche et XIII ad Penthecostes festa prox. se immediate sequencia et dictum quartale allecum ad festum s. Katherine prox. sub excommunicacionum penis solvere se submisit, presentibus ibidem Stanislao Petri de Wolya et Petro de Lathcowo clericis. Promisit nichilominus dictus Ianussius prefatum Michaelem in dicta decima indempnem reddere iuxta terre commune laudum.

A. 1430, Ianuarii 16, in consistorio.

502. (Acta offic. II).. In causa matrimoniali Stanislai de Lagewniki cum Machna nata rotificis de Zakrzewyecz, idem Stanislaus.. egit in ipsam verbo, quod licet ipsa de anno presenti f. III prox. post fest. Nativitatis Christi secum per verba matrimonii de presenti manuali stipulacione firmata et insigniis virginitatis hincinde, videlicet crinalibus, receptis contraxit, tamen modo spreto contractu non vult matrimonium in facie ecclesie consumare, unde petivit ipsam compelli ad consumandum huiusmodi contractum. Ex adverso Machna confessa est manualem stipulacionem et mutuam crinalium dacionem, sed dixit, quod post modicum intervallum eodem sero dictum contractum revocavit et crinale de capite dicti Stanislai recepit et dixit, quod ipsam dictus Stanislaus a contractu re-

cedendo absolvit et postea cum quodam Iohanne de Staremyasto contraxit per verba de presenti et illi fidem confitetur..

A. 1430, Ianuarii 17, in consistorio.

503. (Acta offic. II).. In domo dni Stanislai Buthkonis in causa nobilis Boguslai de Osszowo cum dno Andrea plebano in Ludbrancz, idem nobilis Boguslaus corrigendo suam litiscontestacionem.. confessus est, quod non admisit ipsum A. plebanum decimam ad kmethonem sub dicione temporali nobilis Bernardi existentem conducere et locare, ubi de ipsa integram utilitatem haberet, et eo ipso dicta decima in campo stans partim fuit depasta et partim pluvia putrefacta, quo viso dnus Boguslaus ipsam recollegit et conduxit, plebano nonnisi ad hominem Bernardi ipsam ducere et locare volente. Exadverso A. petivit ferri sentenciam super confessatis. Et dominus feret in crastino Purificacionis Marie..

A. 1430, Februarii 17, in consistorio.

504. (Acta offic. II).. Discretus dnus Simon plebanus in Koneczsko citatus certis citacionis litteris.. dni Iohannis D. g. episcopi Wladislaviensis ad presenciam dni Boguslai canonici Poznaniensis et officialis Wladislaviensis super articulis ex officio sibi dandis comparuit et.. de dicenda veritate prestitit iuramentum; tandem prenominatus dnus Boguslaus iuxta sibi commissa interrogatorio ad prefatum Simonem plebanum in Koneczsko directo, isto videlicet, an post fugam de diocesi Martini olim plebani in Kosczol, Nicolai vicarii in Isthbicza et Mathie in Ludbrancz vicariorum de heresi suspectorum coram certis personis dixisset hec verba: dominus Martinus plebanus in Kosczol, Nicolaus de Isthbicza et Mathias de Ludbrancz vicarii extra diocesim Wladislaviensem Pragam aufugerunt et ibi bene habent et quatuor de diocesi sunt eos secuturi; qui audito interrogatorio respondit, quod solum coram unica persona, puta nobili Alberto de Swinky, dixerit, quod predicti recesserunt in Curiam Romanam vel forte in Pragam et forte per peccatum alii de diocesi sunt recessuri et ibidem conpassus coram dicto Alberto dicere se recognovit: Doleo, quod dnus Boguslaus notatus est infamia racione fideiussorie caucionis, quam Nicolao suo vicario fugiente alias fecit. Hec et non plura dicere est confessus. Item interrogatus, si aliquos sentiret vel sciret de diocesi fugitivos, respondit se nescire nec aliquibus suspectis de heresi dixit se dare consilia vel favores.

A. 1430, Iunii 16, in consistorio.

505. (Acta offic. II).. In causa Michaelis et Dorothee ipsius uxoris cum Simone ministro ecclesie in Spital, dicti Michael et uxor eius.. proposuerunt contra ipsum verbo, quod licet ipse Michael cum dicta Dorothea a IV annis matrimonium contraxerit et expost cum ipsa matrimonium in facie ecclesie consumaverit et in continua cum ipsa mansione ex ea prolem procreaverit, tamen ipse Simon impedit modo huiusmodi matrimonium; ex adverso Simon asseruit, quod ideo dictum matrimonium impedit, quia vidit ipsam ut suam filiam cum uno altero laico Iacobo nomine in Clodawa matrimonium per verba de presenti contraxisse manuali stipulacione firmatum in presencia Nicolai et Petri advocatorum in Clodawa, sic videlicet, quod cum per quendam Nicolaum tunc vicarium ecclesie in

Clodawa modo hereticum concrematum fuit interrogata tali modo: Dorothea, vides Iacobum sanum existentem, vis ipsum ut tuum maritum servare ad tempora vite tue; que respondit: volo. Et similiter cum sermonem ad ipsum Iacobum direxit tali modo: Iacobe, vis Dorotheam ad tempora vite tue conservare, ut tuam uxorem; qui respondit: Volo; et inde vidit, quod manualem stipulacionem fecerunt, et hec medio iuramento recognovit et dixit, quod hec facta sunt ante IV annos in domo patris Iacobi predicti post festum s. Pasche, diem ignorat, horam dixit fuisse prandii.

A. 1430, Septembris 4, in consistorio.

506. (Acta offic. II). Swanthoslaus de Makowo Plocensis diocesis vicarius in Gora.. iuravit de parendo iuri et respondendo articulis ex officio obiectis sibi et conformando [se] Ecclesie sancte. Et ibidem ad articulum sibi formatum ex officio, videlicet quod concubinam servaret in sua camera et secum pernoctaret, respondit confitendo, quod concubina fuit apud ipsum in camera tempore noctis. Item ad secundum articulum sibi ex officio obiectum videlicet, quod »Quoniam dilecta« ante celebracionem misse non oraret, respondit, quod quamdiu fuit in episcopatu Chelmensi non oravit dicens: ibi modum fuisse solius pontificis »Quoniam dilecta« orandi, sed postquam hanc diocesim Wladislaviensem ingressus est, oravit et continuo orat. Et ibidem dominus arestando dictum Swanthoslaum inhibuit sibi recessum de loco sub excommunicationis penis et ex vi prestiti iuramenti, et eidem dominus statuit terminum.. ad purgandum innocenciam de premissis.

A. 1430, Octobris 3, in consistorio.

507. (Acta offic. II).. Nobilis Katherina relicta Scarbconis heredis in Dobeslavicze renunciando liti et cause, sibi per universitatem vicariorum ecclesie Wladislaviensis super impedimentis frumentorum decimalium et straminum eorundem vigore commissionis coram certo iudice delegato a Sede apostolica [intentate], se obtulit.. dnos vicarios predictos in decimis ipsorum sub dicione ipsius consistentibus et in straminibus et trituracione earum.. non impedire, sed eos de dictis decimis.. prout ipsis.. placuerit disponere, liberos admisit ac de ipsis voluntatem ipsorum disponendi seu quomodolibet ordinandi pro rato.. habuit, ordinacione tamen et disposicione atque laudo de dictis straminibus decimalibus per dnos regnicolas inposterum semper salva; que omnia et singula predicta discreti Nicolaus vicedecanus et Nicolaus ecclesie Wladislaviensis vicarii perpetui emologarunt.. et pro rato.. universitatis vicariorum nomine susceperunt..

A. 1430, Octobris 9, in consistorio.

508. (Acta offic. II).. In domo habitacionis vener. viri dni Boguslai canonici Poznaniensis et officialis Wladislaviensis discretus dnus Iohannes plebanus in Zakrzewo ad obiectum sibi per prefatum vener. virum dnum B articulum, puta illum, quod de anno presenti festum Exaltacionis s. Crucis celebre non indixit et in parochia eius ipso die S Crucis laboratum est, respondit confitendo, quod non indixit et laboratum est ipso die in eius parochia. Et dominus ex confessatis

ipsius condempnatum eundem ad solvendum penam sinodalem et a divinis suspendit, quod non satisfecit pro pena.

A. 1430, Novembris 3, in consistorio.

509. (Acta offic. II).. In causa dni Stanislai rectoris ecclesie in Choczen cum dno Bartholomeo presbitero de Bresth, mgr. Io. G. procurator dicti S. citacione reproducta.. proposuit contra dictum B. verbo, quod cum ipse B. predicto dno S. et sue ecclesie servivit, de conservacione sua perdidit agendam cum statutis provincialibus in valore ½ sexagene, duo manutergia in valore VI gr., item lantiamina et kusszinos dictum dnum S. de spolio concernentia recepit in valore ½ marce, que omnia petivit. Ex adverso dnus Bartholomeus confessus est tantum II manutergia habuisse et illa cuidam lotrici ad abluendum dedisse; et dominus mandavit reddere confessata. De statutis et agenda negavit; et dominus mandavit probare actori..

A. 1431, Martiii 5, in consistorio.

510. (Acta offic. II).. Citato ex officio Dominus discreto ... [1]) rectore in Bonyewo, iuramento quoque ab eo de dicenda veritate recepto, requisivit ab eodem, utrum fuisset presens in Bonyewo eo tempore, quo inquisitor venit ibidem in Bonewo mutilatus; respondit, quod fuit in dote sua infirmus et scito adventu predicti inquisitoris exivit ad ipsum inquisitorem et manus sibi porrexit et eidem eiusdem mutilacioni et passioni condoluit, et induxit ipsum in domum suam eidem compaciendo, et quamvis tunc infirmus fuisset, sicut et modo infirmus apparuit, rogatus per patrem inquisitorem, post occasum solis ivit ad dnum Andream heredem in Bo. ad referendum sibi violenciam et mutilacionem dicto patri inquisitori [illatam], quam cum exposuit eidem dno Andree, domina ipsius presente, statim idem dnus Andreas cum domina sua cum magno dolore et conpassione ac lacrimarum emissione venerunt ad dotem ipsius plebani, ubi cum venissent, ipse plebanus lumina accendi fecit, quia iam crepusculum erat, et ibi idem Andreas cum sua domina ac ipse plebanus fecerunt emplastra de albugine ovi et de canapis et apposuerunt vulneribus dicti patris inquisitoris et domina dicti Andree certos pannos lineos et uxor fratris plebani alios pannos lineos contulit ad liganda vulnera sauciati et cum iam sic vulnera iam essent ligata, venit quidam nobilis Petrus de Blandna compaciendo eidem inquisitori invitavit eundem inquisitorem, ut se deduci permitteret ad suum amicum nobilem Derslaum heredem in Ierzmanowo, et sic ad suasum eiusdem Petri idem inquisitor petivit ipsum plebanum de Bonyewo, ut eum deduci faceret ad dictum Derslaum, et ipse plebanus quamvis disuasisset ei et petivisset, quod remaneret apud eum, cum sit hora tarda et nox advenisset, et ille remanere nollet, impositis plumatis et pulvinaribus in curru et equis ipsius plebani adiunctis eidem tribus laicis cum armis et qui eum ad caput et ad pedes tenerent, ne sic vulneratus amplius lederetur, misit eundem inquisitorem ad dictum Derslaum in Ierzmanowo. Item interrogatus, quare dictus nobilis Andreas non fuit insecutus prefatos latrones respondit, quod statim quamvis nox esset, descendit ad locum, ubi dicto inquisitori violencia est illata et nesciens, quo

[1]) Luka w księdze rękopiśmiennej.

diverti debeat, cum nox esset, ad fratrem suum Stanislaum castellanum Kowalensem declinavit ad conferendum cum eodem de eadem materia.

A. 1431, Martii 7, in consistorio.

511. (Acta offic. II).. In domo habitacionis.. dni Boguslai canonici et officialis Wladislaviensis.. in causa.. dni Petri canonici Cruschviciensis cum omnibus et singulis kmethonibus et incolis in Bronyewo agros colentibus, idem dnus Petrus proposuit contra eosdem kmethones verbo, quod licet sic, prout est moris et consuetudinis in territorio Cuyavie, omnes et singulas villas regales et quascunque alias in Cuyavia consistentes decimam lini illi vel cuius est decima manipularis in quacunque villarum et hereditatum in terra Cuyavie consistencium dare et solvere aut saltem pro decima lini predicta decimam campestrem et loco solucionis decime lini conducere ad aream, in qua decima locatur, tamen kmethones et incole in Bronyewo predicti spreto illo more, antiquitus tento per kmethones et incolas aliarum villarum tam regalium, quam spiritualium et aliorum quorumcunque heredum spiritualium et secularium, predicto dno Petro decimam lini predictam dare et solvere aut dictam decimam campestrem conducere recusant, unde petivit ipsos compelli ad solvendum eandem aut saltem decimam manipularem conducendum singulis annis, prout mos est et consuetudo antiquata aliarum hereditatum predictarum. Ex adverso Io. S. procurator laicorum petivit terminum ad deliberandum..

A. 1431, Martii 14, in consistorio.

512. (Acta offic. II).. In causa dni Petri canonici Cruschviciensis cum kmethonibus et incolis de Bronyewo, Io. S. procurator kmethonum allegavit, quod dicti kmethones a vectura decime et solucione decime lini sunt libertati litteris regalibus; et dominus mandavit producere libertacionem infra hinc et VIII dies pro prima dilacione.

A. 1431, Martii 21, in consistorio.

513. (Acta offic. II).. In causa Margarethe mulieris de Redecz cum Andrea de Morzicze laico, mulier comparens iudicialiter accusavit predictum Andream laicum de impotencia et frigiditate, et dominus, examinato predicto laico de habicione membri virilis et ipsum habere reperto, mandavit predicto laico predicte Margarethe in lecto, mensa, domo per triennium commanere et ipsam maritali affeccione pertractare et ad actum carnalem operam diligentem adhibere; quod si fecerint operam diligentem pro actu carnali faciendo et nichil inde sequetur et probabile hoc ipsum reperietur, dominus faciet, quod iuris erit.

A. 1431, Aprilis 13, in consistorio.

514. (Acta offic. II).. In causa Andree ministri ecclesie in Spital cum nobili Nicolao herede in Oleschna, idem Andreas.. proposuit contra eundem Nicolaum verbo, quod licet ipse sit prout homo bonus secundum Deum vitam suam dirigens ipsam ab enormitatibus, quibus percussiones et infamaciones mereretur, conservans, clericus ordinatus, tamen ipse nobilis Nicolaus de anno nunc currenti in vigilia Dominice Palmarum ipso Andrea in domo Stanislai Pyeczicurek laici in

Spital, honesta utique et non suspecta, cum duobus clericis sedente, veniens in eandem domum luthnam, quam sibi nobilis Iohannes heres in Spital ad regestandum dederat, de manu ipsius arripiens per caput ipsius A. percussit ipsamque rupit et destruxit, dampnum luthne ad ½ sexagenam et iniuriam ad XXX flor. estimavit, quas petivit..

A. 1480, in curia episcopali.

515. (Acta episc. I). Hic acticate sunt deposiciones inquisicionis super heretica pravitate secte Hussitarum in aliquot foliis continuative de an. Dni 1480:

Religiosus Mathias magister ordinis ad s. Mathiam in Wratislavia, cuius eciam ordo regit ecclesiam ad s. Elizabeth inibidem.

Casper per medium iuramenti dixit, quod audivit ex uxore sua hec verba: quod dum requisivit eum dicta uxor sua, cur dnus Gaszka dispergeret res domesticas, ille Gaszka respondit: bene postmodum rescies.

Petrus filius suus deposuit per iuramentum, quomodo Moyses gener suus dum induceret, ut uxorem suam alias sororem deponentis non induceret ad fidem extraneam etc., qui dixit coram deponente hec verba: Iuro, quod ego volo facere id, quod scio, eciam si debeam decies revocare, et uxorem meam, si nolit, eam mutilabo et consumptis bonis recedam.

Villa Trzeboradzicze, ubi est Andreas de Iuniwladislawia plebanus, que villa iacet et distat a Praga unum miliare.

Item idem Andreas conversabatur cum Gaszka et habuit eum pro mercatore, quem vocabat Petrum coram hominibus, simulando eum mercatorem.

Ibidem Petrus dicebat, quod a Gaszka audivit hec verba coram ipso prolata: Ego tuam sororem plus timeo, quam totam Cuyaviam, et multi boni homines debent dehonestari per istam feminam, et michi non est aliud presidium, nisi fuge. Et cum quereret, qua de causa, ille respondit: non est remedium huic rei, sicut bene audies. Adiecit idem Gaszka: quod si delatus fuero per istam mulierem, dicam, quod fides ei tamquam mulieri non adhiberetur et infamabo eam, quod ipsam penitebit. Quo audito testis se dicturum cum sorore, querens ab ea causam, propter quam Gaszka eam timeret; illa tamen nichil detegere voluit. Et cum iterum testis Gaszkam accessisset et diceret sororis recognicionem, quod nichil sibi de eo constaret, ille iterum eadem verba replicavit: Gratis est, ego sum destructus per sororem tuam.

Dicit tamen testis, quod Gaszka feriis terciis diebus fori comedebat et bibebat in domo patris sui Casper, sed ab eo tempore, quo sororem habuit contra se suspectam, cessavit illic frequentare, sed postmodum in domo dni prepositi extra civitatem stabat.

Istos dicebant, qui habebant hospicia apud eos: Primo dna Stolnykowa de Cosczol cum filia sua Lypstowska et filiis suis Symone et Iohanne; item Coluczky; item Srzemsky hospitabatur circa Nyedoleszalo penes Casper. Nomen prepositi: Andreas, et familiaris sui: Iohannes, coram quo dicebat Gasza cum suspiriis: O Iohannes, Deus scit, quando videbimur invicem in Cuyawia.

Katherine deposicio — Katherina filia Casper postquam vidisset Gaszka communicantem dnam Srzemska in stabulo patris sui, et ipse Gaszka id conside-

rasset, maledicebat eam coram parentibus, ut eam de domo pellerent tanquam inhonestam et astutam mulierem, quia plures homines boni per eam infamabuntur.

Srzemska, Iassyonowa circa Cruszwicza, Dorothea Kamyenyczna de Brzescze, Mathias laycus de Pomyanowicze kmetho circa Iuniwladislaviam; item magister civium in Pakoscz; Fabianus Mancus tactus in Grabye, qui moratur apud dnam matrem Iaschconis in Grabye; item alter Fabianus nobilis de Swynky; item Symon heres de Cosczol non communicavit quatuor annis in propria parochia; Laurencius privignus Nyszyol, Gregorius clericus Symonis; item magister civium pellifex in Nova Nyeschewa; item mulier quedam Thoczkowa, que persuadebat fidem hereticam Elizabeth matri dicte Katherine alias Casprowa.

516. (Ibidem). Item Iohannes kmetho de Ludzyczsko familiaris Andree prepositi hospitalis in Iuniwladislavia interrogatus de domino [1]) Gaszka dixit, quod vidit eum conversantem cum Bohemis in Wratislavia et dixit, quod audivit publicam famam, quod non propter aliud se absentat a diocesi Wladislaviensi, quam propter heresim.

Item alius testis honor. plebanus de Cosczeszicze [2]) interrogatus, an habeat aliquam personam suspectam de heresi dixit: eadem Thworka ex fama communi fuit suspecta, quam testis dixit ex parte illa Goplo mansisse, nescit tamen, in qua villa et parochia mansit, quam dicit conversatam cum quadam Katherina virgine, que mansit in parochia Cosczeszicze nondum sua et visitabat eam Thworkà in patrimonio suo villa Przeslawicze, et eadem Katherina viceversa visitabat prefatamThworkam, que similiter ex fama fuit de heresi suspecta; eademque Katherina an servivit aut qua racione manserit in Cosczol, nescivit narrare. Item interrogatus ut supra dixit, quod de nulla persona habet suspicionem ex sciencia certa preterquam dicit, quod Iassyonowa est soror prefate Katherine et ex iuventute non manebat in domo, sed habuit servicium apud dnum Levin et Grabski et Poczyrmynska. Item interrogatus, an sciret aliquid ex fama de Iassyonowa dixit, quod nichil certi preter hoc, quod ita fuit vulgaris fama, quod Katherine sorori sue sacerdotes conversabantur; dixit ultra testis, quod iste sorores habebant pecora et pecudes, que inferebant dampna vicino vulgo, et ita nescit testis, an sit eis derogatum ex odio vel ex alia causa. Item interrogatus, an pluries per annum affectat communicare ultra modum parochianorum, dixit, quod non. Item interrogatus, an frequenter visitet ecclesiam, dixit, quod singulis diebus dominicis et festivis et communiter feriis quartis et sextis. Item interrogatus an haberet conversacionem familiarem cum aliquo sacerdotum de aliena parochia, ita quod aliquis visitaret ipsius domum vel ipsa presbiterorum et presertim de conversatione Gaszka, dixit sibi nichil constare. Item interrogatus, an ultra communem morem hominum vitam arciorem duceret eadem Iassyonowa, dixit se nescire preter hoc, quod vidit in palacio sue domus lectum plumis ornatum. Item interrogatus, an sermonem audit libenter, dixit, quod sic et elemosinas large distribuit, et subiunxit, quod pro festis Pasce solita est eciam dare duos cereos ad altare et duos ante altare; solita est eciam vestire pauperes et precipue vestivit unum pauperem Iacobellum semifatuum. Item interrogatus, an cum aliquo sacerdote parochiali aut aliene parochie habeat conversationem de sacramento Eukaristie, dixit sibi nichil

[1]) Wyraz przekreślony. [2]) Na marginesie: Martinus in Cosczeszyce plebanus.

constare preter hoc, quod invocat presbiteros tam de sua predicta parochia, quam eciam de Strzelno ad annuam collacionem.

A. 1480, Ianuarii 20, in curia episcopali.

517. (Acta episc. I). Deposiciones Katherine de Iuniwladislavia consortis Moysi de Bresth contra Mathiam de Schelewo presbiterum diocesis Gneznensis in causa fidei.. Katherina de Iuniwladislavia consors Moysi de Brzescze in causa heretice pravitatis, que suspicatur de Mathia de Szelewo presbitero Gneznensis diocesis per Rdum.. dnum Sbigneum.. episcopum Wladislaviensem capto et detento medio suo iuramento corporali per ipsam prestito ad ea, de quibus per prefatum Rmum dnum Episcopum fuit interrogata, respondit.. in die Circumcisionis a quodam audivisse, cum sibi dictum fuit Mathiam predictum in Raczansch fuisse captum. Idem dixit se eum non cognoscere, sed cum testis affirmasset apud eum certos libros suspectos fuisse inventos, ille respondit: Dic sibi, quod nullomodo confiteatur errorem, sed neget usque ad mortem. Quesita de causa, quare ipsum in Raczasz visitaverit, dixit testis, quod idem presbiter, antequam fuisset captus et detentus, promiserat sibi aliquod subsidium facere et precipue in vestimentis et consignavit sibi solidos in cisticula sua repositos; item ad allocucionem testis, quod si quid haberet erroris in se, ut emendam faceret et errorem evacuaret, dixit: Si oportuerit me revocare occulte, tunc viceversa in Bohemiam revertar; sin autem, in kathedra publice, extunc pocius dabo me cremare; eaque verba ibidem in Raczasz existens in captivitate subiunxit dicens: O utinam alium mecum, qui me confortaret, haberem. Cum autem per testem de captivitate sua interrogatus fuisset, quare captus fuerit, dixit se innocue fuisse captum, et cum sibi testis de libris obiecisset, an haberet aliquos libros in heresi suspectos, dixit, quod verum est, quia certi libri sunt inventi et certe truffe alias *klathki*. Item cum testis fecisset sibi mencionem de pellifice, cur se pro eo non interponeret, ut eliberaretur et mitteretur ex captivitate, dixit, quod pellifex non audet facere pro me verbum, nec aliquis me poterit adiuvare, nec et tu. Et subiunxit dicens: Bene pro se egit Gaszka, ex quo in tempore profugit et discessit, cumque casu oblatus fuisset sibi quidam vector Bohemus in Bydgostia apud Bogaczsky, qui inter loquendum dixit: Isti sacerdotes Cuyawienses pepulerunt unum presbiterum bonum Gaszka ad delacionem unius mulieris, qui moratur circa Cleczko Bohemicale.

A. 1480, Februarii 28, in sinodo provinciali Lanciciensi.

518. (Acta episc. I). Copia litterarum admissionis institucionisque de celebrando festo b. Francisci sub celebritate a communi populo cum largicione multarum indulgenciarum per Sixtum papam IV. concessarum — In nomine Dni amen. Iacobus D. g. s. ecclesie Gneznensis archiepiscopus et primas ad perpetuam rei memoriam. Universis et singulis diocesis et provincie nostre Gneznensis sexus utriusque fidelibus salutem in eo, qui est omnium vera salus. Presentibus nobis cum Rdo.. dno Sbigneo eadem gracia episcopo Wladislaviensi ac dnorum Cracoviensis et Poznaniensis pontificum et suffraganeorum nostrorum necnon vener. capitulorum nostre et ecclesiarum predictarum nunciis et oratoribus, mandata plena habentibus, in convocacione alias sinodo pridem Lancicie pro Dominica, qua Reminiscere decantatur, tenta et congregata comparuit coram nobis vener. et re-

ligiosus vir frater Michael alias Bal ordinis Minorum observancie regularis cum IV sui ordinis fratribus professis, habens in suis manibus quasdam litteras sive transsumpta autentica manu notarii publici scripta atque sigillo vener. dni Iacobi de Mucciarellis de Bononia, Smi dni nostri capellani ac ipsius necnon curie causarum camere apostolice auditoris generalis, in formam publicam redacta cuiusdam bulle nuper a Smo dno nostro Sixto papa IV. facte et concesse super celebracione festi illius seraphici viri verique Cristi signiferi b. Francisci, in cuius carne, advesperascente iam seculo, ad confusionem infidelium fideliumque robur in orthodoxa fide stabilimentum modo mirabili Salvator mundi passionis sue misteria necnon redempcionis nostre signacula dignatus est renovare, supplicavit atque humiliter postulando [petivit, ut] admissionem earundem litterarum de festo supradicto solempniter agendo per universam nostram provinciam decerni atque celebritatem Natalis eiusdem Sancti iuxta sacrosancte Sedis apostolice mandatum in litteris predictis contentum cum tot muneribus graciarum transmissum utpote L annorum cum totidem quadragenis indulgencie verissime omnibus et singulis nostre provincie diocesibus atque ecclesiis tam collegiatis quam parochialibus manifestam fieri ac deinceps ceu sub precepto comprehensam ab universis et singulis observandam nostris patentibus litteris promovere curaremus. Quarumquidem litterarum tenor sequitur et est talis [1]:

Nos itaque Iacobus archiepiscopus memoratus cum supradicto pontifice ac eciam ceteris provincie nostre capitulis.. attendentes et voluntatem domini nostri Ihesu Christi.. et mandatum ipsius vicarii, celebritatem eiusdem Sancti imparantis(s) in terris munifice, quibus adversa sentire nemo et mortalium, qui feliciter(s) ausit.. pensantes insuper ipsorum religiosorum postulacionem racionabilem, honestam quin immo iustissimam fore eo potissimum, quod ipse vir sanctus apud inclitissimum huius regni patronum Stanislaum ac eciam apud incolas eius dudum hanc vicissitudinem promeruisse non ignoratur, cum prout Annales Polonorum testantur historie et fratres ordinis ipsius sancti canonisacionem prefati Smi presulis nostri patroni accuratissime procuravit et in ecclesia repensacionis atque in die Natalis eiusdem canonisacio ipsa suum magnificentissime optatum sortita sit effectum, ibi quoque altare primum constructum atque in honorem eiusdem Smi presulis dedicatum esse monstratur, sed et vexillum in hora canonisacionis prefati gloriosissimi antistitis e celo lapsum illic reverentissime custodiri refertur; hec inquam et alia quamplurima solerti considerantes animo has nostras patentes dari decrevimus litteras, quibus universis et singulis tam nostre metropolitane quam cathedralium et collegiatarum ac parochialium necnon eciam regularium quarumcunque ecclesiarum rectoribus ac individuis palam faceremus, nos omnes et singulos in ipsa sinodo constitutos eisdem sacrosancte Sedis apostolice mandatis animo adhesisse libentissimo ipsaque ab omnibus nostre provincie subiectis irrefragabiliter adimpleri debere declaravimus presentibusque declaramus, ita quod quilibet vestrum in singulis suis ecclesiis ac quibuslibet suis subditis ipsum diem transitus gloriosi Francisci Confessoris solemniter agi et ab omni opere servili abstineri sub censuris ecclesie imparent, quas nos in contuma-

---

[1]) Tu następuje bulla Sykstusa IV z 22 kwietnia 1475 w transsumpcie »Iacobi de Mucciarellis de Bononia« z 23 czerwca 1475 r.

ces seu quomodolibet in contrarium facientes.. ferre non negligemus, eorum quoque quilibet per se ipsum celebrare non obmittat, ut sic et obediencie pastoris universalis ecclesie meritum obtineant et indulgenciarum.. efficacius possent esse capaces. In quorum omnium et singulorum.. testimonium presentes nostras.. mandati litteras.. scribi, publicari nostrique appensione sigilli iussimus communiri. Actum et datum in Lanciciensi sinodo alias convocacione die penultima m. Februarii an. D. MCCCCLXXX..

A. 1480, Aprilis 14, in Raczanschs in curia episcopali.

519. (Acta episc. I). Mathias de Schelewo presbiter captivus examinatus per Rmum.. dnum Sbigneum.. episcopum Wladislaviensem in presencia honor. dnorum Mathie in Manka et Lazari in Nyeszulkow presbiterorum plebanorum, nobilis Pauli Mankosszki capitanei in Raczanschs, Stanislai de Midlowyecz notarii ac mei Petri de Lang presencium scribe publici notarii, interrogatus, an sciret aliquos hereticos de secta communionis sub utraque specie, inprimis dixit de Nicolao pellifice magistro civium in Nyeschowa, quod in camera sua bis per annum et ultimate aliquot septimanis ante hoc, quando captus est, et prout recordatur pro festo Assumpcionis Marie communicavit eundem pellificem sub utraque specie tali modo, quod divisit hostiam, ut moris est, et unam particulam sibi dedit et cum hoc de sacratissimo sanguine calicis sibi ministravit ad bibendum, priusquam ipsam particulam hostie ad calicem immersisset, residuum solus consumpsit. Quesitus, quis istud eum docuisset, respondit, quod idem pellifex istum ordinem sibi dedit, et ita eum informavit, quod tegeret Epistolam et Ewangelium et diceret »Pater noster«, postea Canonem integrum.

Item interrogatus, ubi recepisset indumenta ecclesie, respondit eundem pellificem duos habere calices et omnia alia indumenta coloremque eiusdem indumenti dixit in parte rubeum sive brunaticum de serico pauco, ut credit, auro intermixto. Item quesitus, an sciret aliquem sacerdotem, quia talia prius cum eodem pellifice practicasset, respondit, quod prout relacione eiusdem pellificis accepit quendam Mathiam presbiterum in Osszek esse, qui sibi similiter ministravit sacramentum sub utraque specie. Item istos dixit frequentasse eandem cameram et una simul cum pellifice communicatos esse sub utraque specie, videlicet quendam Fabianum mendicum claudum, quem dixit nescire, ubi sit, Pyotrowa mulierem habentem in Nowa Nyeschowa cameram apud Mathiam Pasthurczik, qui eciam et ipse Pasthurczik idem practicavit; et fabrum Swantek ibidem de Nyeschowa. Interrogatus, an sibi idem pellifex confiteretur, dixit: eidem non, sed cuidam dno Franczek presbitero ibidem in Nyeschowa. Item quesitus, an ipse unquam solus confessus sit in foro penitencie de isto crimine, quod practicabat cum ipsis, respondit: quod non. Et cum sibi fuisset obiectum: Nonne tu scivisti fuisse hoc esse peccatum et quomodo fuisti ausus Eukaristie sacramentum, existens in mortali peccato, accipere, tacuit. Et hec omnia premissa dixit libere, antequam torqueretur, postea positus ad questiones neminem ultra voluit revelare.

Item postea videlicet XXVIII Aprilis.. quesitus de ordine, quem servaret in communicando istos supra denotatos, dixit, quod more consueto, ut communis plebs in ecclesia communicatur, eosdem procuravit, recipiendo tot hostias, quot habere debebat communicantes: primo Corpore Christi sub specie panis, deinde

solus prius de calice sumendo, illis residuum dedit; et dum sibi prima deposicio huic contraria obiceretur dixit, quod sic informabatur per pellificem, ut prius deposuit, sed ex quo illum ignoravit, suo ordine, quem scivit, processit. Item interrogatus, an simul omnes communicaret, dixit, quod quemlibet eorum seorsum.

A. 1480, Aprilis 23, in Chelmcze in curia episcopali.

520. (Acta episc. I). Nobilis Nicolaus Iurkowsky quesitus, unde habuisset litteram, quam plebano in Pyotrkow presentavit, respondit, quod de manibus nobilis Fridan et uxoris sue que eandem litteram deposuit de bursa, quam ante ferebat; uterque autem petivit, quod istam litteram presentaret plebanis, dixit testis, quod quodam die anni preteriti, tempus tamen non recordatur, apud ecclesiam parochialem idem Fridan constitutus petivit deponentem dicens: Bone compater, descendas in domum meam. Et cum ille quadam domestica necessitate se excusaret, ille ingeminavit preces: si umquam habui opus de te, nunc magis habeo, quia agitur de salute anime mee. Et cum venisset in domum eius sola domina sic, ut premissum est, porrexit sibi litteram per quendam presbiterorum scriptam et apud se relictam, et solus Fridan cum fletu subiunxit: O bone conpater....[1])

A. 1480, Aprilis (?), in Raciąz (?) in curia episcopali.

521. (Acta episc. I) .... [2])

Item quesitus, an aliquos sciret in Iuniwladislavia, respondit, quod nullum preter Casper antiquum ex fama; quesitus an secum aliquando communicaverit, respondit, quod non, sed verba hec subintulit, tamen habebant ibidem Ganszkam.

Item interrogatus de Srzemska defuncta respondit eciam ipsam ex fama in eadem secta perstitisse. Item quesitus, an aliquem sciret in Bresth, respondit, quod nullum de certa sciencia, nisi quendam Cychosz mercatorem defunctum, sed eciam fama. Item de antiquo Camyenyczni deposuit ex fama, de sola autem Camyenyczna et Moyse dixit se nichil scire.

Item interrogatus, de uxore sua, an sciret de facto, quod ipse taliter communicaret, respondit, quod scivit, sed sub ipso tempore eam dirigebat alicubi, ymmo dixit, quod eum aliquando de hoc corripiebat et una vice dictum Mathiam sacerdotem a Cleczow venientem de domo propulerat in absencia viri sui deponentis.

Item interrogatus an aliquando in Thorun communicasset de manibus alicuius alterius sacerdotis, respondit, quod non.

Item interrogatus, quomodo iste Mathias de Schelewo captivus in presencia ipsius celebrasset, an indutus sacris, respondit, quod non, solum superposita stola; et cum sibi depositio sacerdotis obiceretur, constanter negavit, subinferens, se habere ornamenta ecclesie, sed ipsa ecclesie designavit, et illa fuerunt iam in ecclesia per integrum annum, sed ea viceversa recepit, subiungens, quod idem sacerdos calicem et stolam de ecclesia secum portavit.

---

[1]) Końca tych zeznań brak, prawdopodobnie z powodu zaginięcia jednej przynajmniej kartki rękopisu.

[2]) Początku tego aktu z powodu zaginięcia jednej kartki rękopisu niema. Datę należy umieścić na koniec kwietnia lub początek maja.

Item quesitus, qui cum eo communicarent, dixit, quod Swanthek faber ibidem de Nyeszhowa, Fabianus Mancus, quem dicit solum semel apud se communicasse, et mulier quedam, que fuit vetula apud Ganszka cognomento Pyotrowa. De Pasturczik constanter negavit, nisi esset in absencia sui per Mathiam captivum communicatus. Interrogatus, an vocaverat ad se Fabianum propter communicandum dixit, quod non, sed sua sponte venit ad Mathiam presbiterum, sciens ibi eum mansionem habere. Interrogatus, quot vicibus communicarent, dixit, quod quolibet anno in Quadragesima tribus vel duabus septimanis ante Pasca. Et demum tunc communicaverunt in diebus Cene Domini vel Parasceve propter tollendum de se suspicionem in ecclesia cum communi populo.

Item hoc eciam subintulit, quod prefatum sacerdotem captivum propterea victualium [copia] vel aliis necessariis providebat, precipiendo sibi, quod quandocunque dietas vel ubi manducaret, non haberet, ad eum veniret et secum comederet, iniungens eciam eidem, ut quociens calciamentis vel vestimentis indigeret, ipsum pellificem requireret, quod et faciebat idem presbiter; et quandocunque rogavit pro aliquo, ministravit sibi per aliquot grossos, puta pro calceis et aliis necessariis.

Item postea Wladislaviam adductus feria II[da] s. Stanislai (d. 8 Maii) coram eodem Rmo dno Episcopo, Paulo Wylkoczsky capitaneo Wladislaviensi, Mathia in Manka plebano et me Petro, ut supra, idem pellifex de uxore sua recognovit, quod semel communicavit de manibus Mathie, qui fuit in Osszek anno preterito, priusquam Mathias de Schelewo fuisset captus ultra quam medius annus.

Item eciam recognovit se abiurasse in manibus dni Grusczinsky tunc episcopi Wladislaviensis, et postquam abiuraverat, intermiserat taliter sub specie utraque communicare ad V annos post abiuracionem, quousque expost inductus per Petrum commendarium in Nyeszowa iterum relapsus est.

A. 1480, in Raczanschs die et presentibus ut supra[1]).

522. (Acta episc. I) Fabianus Mancus mendicus interrogatus, utrum aliquando communicaret sub utraque specie, qui confessus est semel communicasse apud pellificem in Nowa Nyeschowa in camera domus sue, ubi eciam dixit uxorem eiusdem pellificis interfuisse et aliquos alios, quos se dixit non nosse preter quendam Pasthurczik; sed quilibet eorum seorsum cameram subintrabat ad communicandum, dixitque, quod hoc factum sit in Quadragesima. Et hanc sectam a quodam Clemente dixit se didicisse, cuius fuit familiaris usque ad mortem. Qui postea infirmitate tactus et in eadem per plures annos existens intermiserat; denique post mortem dicti Clementis, veniente eo huc in Cuyaviam, per pellificem in Iuniwladislavia in domo cuiusdam Martini Lisszi tunc magistri civium visus est et vocatus, ut ad eum in Nyeschowam veniret ad communicandum sub utraque specie, ubi postquam venit, procuratus est per Mathiam presbiterum captivum in domo pellificis.

Item idem in die Ascensionis Domini *(d. 11 Maii)* Wladislavie in presencia dni Archiepiscopi Iacobi post abiuracionem per eum in publica audiencia

[1]) Ponieważ daty nad poprzednim aktem brakuje, więc i w tym wypadku bliższego określenia dnia wydobyć się nie da.

factam quesitus de aliis, si sciret viros vel mulieres, dixit de quadam dna Grabska antiqua matre Iaszkonis ex certa sciencia, quod sit secte eiusdem.

523. (Ibidem). Swantek faber inprimis confessus est se communicasse sub utraque specie in Thorun, inductus per quendam patruum seu avum suum Mathiam sacerdotem de Blonye circa Lanciciam, cuius frater germanus cognomento ibidem vocatur Vosczek, et ad hoc induxit ipsum idem presbiter persuasionibus et pecuniarum largicionibus, quia pauper erat; prefatusque Mathias habuit habitacionem in Thorun ad s. Iacobum, ad quem ibidem in Thorun ipse deponens cum pellifice frequentabat propter communicandum, qui eosdem in camera sue habitacionis communicabat, postea de manibus istius Mathie captivi sacerdotis in camera apud pellificem Nicolaum communicasse duabus vel tribus vicibus inductus persuasione Mathie sacerdotis captivi.

A. 1480, Aprilis 24, in Chelmcze (?) in curia episcopali.

524. (Acta episc. I). Item ubi supra die Mercurii XXIIII mensis predicti prescriptus Iohannes de Sosznowycze veniens ad presenciam prelibati Rmi Domini motus consciencia propter iuramentum per eum prestitum de hiis, que in priori examine quesitus obmisit deponere, adiecit de Fridan Lupsynsky, quod vidit eum communicare aliquot vicibus sub utraque specie in exercitu Bohemico in territorio dni Samuelis et per presbiterum eiusdem circa missam fere qualibet die dominica, interim quod fuerunt in bello Slesie, et ipsum eciam deponentem ipse Fridan ad id inducebat, sed recusavit; et idem sacerdos interrogavit deponentem, an eciam vellet sic communicare; qui noluit, dicens se non esse paratum et dispositum ad suscipiendum. Item deposuit, quod prout ex relacione eiusdem Fridan audivit, dnus olim Cristinus de Cosczol dapifer Brestensis defunctus et uxor ipsius vivens Helena Crziwoszandzska in Brest manens, Osszenska, que alias vocatur Starczinowska, uxor Iohannis filii Stephani, Margaretha Przenynska mortua, Casper de Iuniwladislavia, Iaroszka de Radzeow et quidam Czyechoschs de Bresth mercator defuncti, et quidam presbiter Andreas Rogowsky necnon quidam Albertus Pyrzchala de Crothoschino kmetho — sunt et fuerunt de eadem secta. Item quesitus de Fridando, si aliquas virgines circa se in domo foveret, dixit se nescire de certa sciencia, audivit tamen ex fama, quod servat. Item quesitus de Iasszonowa, si quid audiret de ea, dixit se audivisse a Fridan, quod non condempnat neque detestatur hanc fidem seu sectam.

A. 1480, Maii 7, Wladislavie in curia episcopali.

525. (Acta episc. I). In domo dni Iacobi Sokolowsky canonici et officialis Mathias Pasturczik in medio dominorum capitularium, videlicet Nicolai decani, Pauli archidiaconi, Mathie de Raczanschs decretorum doctoris, Iacobi Sokolowsky, Iacobi Dominikowsky et Nicolai de Prziwyeczerzino canonicorum Wladislav., per prefatum dnum Episcopum quesitus, utrum aliquando communicaret sub utraque specie, qui sponte recognovit: persuasione Mathie sacerdotis captivi inductus se per eundem communicatum esse in camera domus pellificis. Interrogatus, an ad id eum aliquando pellifex induceret, dixit, quod non, sed aliquas largiciones sibi faciebat, et subsidia in pecuniis et aliis rebus, ignorat, qua intencione, si intuitu serviciorum, que sibi exhibuit, vel aliquo alio respectu.

526. (Ibidem). Sentencia contra pellificem dampnacionis — Cristi nomine invocato ipsum solum Deum pre oculis habentes pro tribunali sedentes de iuris peritorum consilio et assensu per hanc nostram sentenciam diffinitivam et dampnacionis, quam ferimus in hiis scriptis in nova causa fidei contra Nicolaum proconsulem de Nyeschowa laicum nostre diocesis Wladislaviensis coram nobis et ex officio nostro agitata per ea, que ex actis et ipsius Nicolai confessione, in qua inhactenus usque persistit, factis et habitis, vidimus et videmus, dicimus, decernimus, pronunciamus et declaramus prefatum Nicolaum heresim Pellagianam communionis utriusque speciei dudum practicasse et de manibus quorundam sacerdotum taliter communicasse posteaque illum errorem iudicialiter et cum sollempnitate olim abiurasse, post quam iterum abiuracionem huiusmodi sacrosanctum Eukaristie sacramentum similiter sub utraque specie iterum sumpsisse de manibus plurium sacerdotum et novissime de manibus Mathie sacerdotis hic presentis contra prefatam abiuracionem sicque in eandem quam prius heresim cecidisse sibique talia minime licuisse neque licere, et ob hoc ipsum omnibus dignitatibus, honoribus ac officiis, si quibus preeminebat, privamus, denudamus et spoliamus relapsumque hereticum pronunciamus ac arbitrio iudicis secularis nobis presencialiter assistentis reliquimus, bona quoque omnia sua mobilia et immobilia, prout ipso iure veniunt confiscanda, publico fisco deputamus per secularem potestatem eidem deferenda.

A. 1480, Maii 18, in Wythowo in curia episcopali.

527. (Acta episc. I). Nobilis Anna consors dni Andree Redeczsky per Rmum.. dnum Sbigneum D. g. episcopum in causa fidei examinata est me Petro de Lang notario presente. Interrogata, an sciret aliquas personas, viros vel mulieres, de heresi suspectas, respondit, quod habuit socrum alias sui mariti prioris Simonis Pylchowsky matrem nomine Grzimkam, que fuit sibi vehementissime suspecta de heresi, quia ipsam Annam deponentem adhortabatur et inducebat ad communicandum sub utraque specie, dicens, quod nullus salvaretur, qui sic non communicaret; que tandem Grzimka in hospitali in Bresth mortua est. Item dixit de Stolnykowa in Cosczol, quod omnino ex relacione plurium hominum ipsam esse de communione utriusque [speciei] et homines quam plures ad eam propterea confluere, signanter Fridan de Lupsyno dixit ad ipsam sepenumero visitasse. Item deposuit de dna Mosczenska relicta castellani Dobrinensis, quod fuerunt unius intelligencie cum eadem dna Stolnykowa, quando manebat in Cosczol. De Simone filio suo itidem sentit; de Alberto vero castellano Cowaliensi dixit intellexisse a suo marito priori Simone prefato, quod mater sibi dixerit: Laboravimus cum Alberto duobus diebus et una nocte persuadendo sibi communionem utriusque speciei, sed nullomodo potuit flecti. Quesita de Cristino tercio fratre respondit sibi nichil constare nisi ex fama, causam tamen presumpcionis allegat, quod mater eorum dna Stolnykowa multoplus afficitur Simoni et Cristino, quam dno Alberto, quem odio habet, et quantum in ea est, vellet eum privare omnibus. Item Helenam virginem de Krziwoszandza et Margaretham eiusdem germanam uxorem Iarandi Redeczsky habet eciam in eadem re suspectam, nichil scit de certa sciencia. Item Margaretham uxorem Lazari subiudicis Lubransky subiudicis(s), que est filia Grzimcze. Item dixit de quodam sacerdote Abraham quon-

dam in Osszanczini vicario, quod habuit eum alloqui Simon Cosczelsky: Pessime sacerdos, si tu velles esse pro libito nostro, tu haberes eciam parochiam in Cosczol; et refert eadem deponens, quod idem Abraham debuit coram ea dixisse: Incipiendo a Corzecznyk usque ad Krziwoszandza ista tota plaga posset iuste comburi propter heresim. Item dixit, quod eadem Grzimka adhortabatur filium suum, eiusdem deponentis priorem maritum, ne permisisset eam visitare ad dnum Officialem defunctum Wranczsky, quando ad Buzinam veniebat, in finem, ut non fuisset prodita per ipsam de eadem secta. Item dixit de Iasszonowa et Lewynowa post Goplo ex fama. Item de Caspero de Iuniwladislavia et Iaroszka de Radzeow noviter defuncto publicam famam, prout coram ea quidam Kaplun familiaris dni Stanislai Brudzewsky dicebat de aliquibus personis et presbiteris, signanter sacerdote Petro Kaya et aliis circiter septem. Item dixit de quo[dam] Myansko kmethone de Bodzanowo, quod sit conscius eorum, que ante ea in Cosczol acta sunt; et idem kmetho debuit dicere coram Abraham, quomodo coram domina nostra in Bodzanowo de nocte missa habita est in domo super pavimento; item adiecit, quod prepositus hospitalis in Bresth debuit dicere ad dictam Helenam virginem tunc, quando Grzimka moriebatur: Tu heretica non visites ad me.

A. 1480, Maii 19. in Chelmcze, in curia episcopali.

528. (Acta episc. I). Nicolaus Zamli plebanus in Sadlno interrogatus, quid sentiret de suo parochiano dicto Czech, an haberet eum suspectum de heresi respondit, quod non; adiecit tamen, quod idem Czech sibi dixit vidisse se aliquociens in bello Slesie Fridanum de Lupsyno communicasse sub utraque specie, et quod eundem Czech idem Fridan induxit ad communicandum similiter sub utraque specie, ipse recusavit. Item deponens dixit, quod ex communi et publica fama audivit istum Fridan esse hereticum, et dicit eum fovere quasdam virgines iuvenculas plures de terra Dobrinensi et aliunde, quas ut presumit imbuit ad illam sectam; et noviter istud audivit dici de Fridan per nobilem Iohannem Cziszka de Swyrczyno.

A. 1480, Maii 20, in Chelmczė, in curia episcopali.

529. (Acta episc. I). Albertus Myansko de Bodzanowsko per prefatum Rmum patrem dnum Episcopum me Petro notario ut supra presente interrogatus an sciret aliquos suspectos de heresi vel ante tempora scivisset, respondit sibi nichil aliud constare preter hoc, quod ante XXI annos dna Grzimka de Bodzanowko, de qua eciam dna uxor dni Andree Redeczsky deposuit, quadam die cum dna Stolnykowa de Cosczol et Mosczenska recluse fuerunt in camera ibidem in Bodzanowko apud Grzimkam cum quodam sacerdote Iohanne de Kykol de terra Dobrinensi tunc vicario in Biczina et causam sciencie allegans, quia ancilla servilis eiusdem Grzimcze, nomine Dorothea, venit ad deponentem et dixit sibi nomine eiusdem Grzimcze: Petit te domina, quatinus sibi mutuares grossum, quia sibi defecit cervisia. Et eadem ancilla deponenti dixit eo tunc, quod domine predicte fuerunt cum eodem sacerdote recluse. De Fridan Lupsinsky eciam dixit, quod sepenumero visitabat in Cosczol ad Mathiam Pyrzchala et eciam Albertum fratrem eiusdem in Bodzanowko, tuncque ibidem in Cosczol Abraham et quidam Albertus erant vicarii; et cito post hoc Abraham incepit predicare publice detestando heresim, racione cuius commoti sunt contra eum heredes de Cosczol Mo-

cszensky et Stolnykowa et occasione conficta, quod afflixerat in scolis Iohannem filium, Mosczensky et Stolnikowa inceperunt contra eum sevire; tandem idem Abraham cum Alberto vicario publice dicebant: Nolumus hic morari, ubi hoc practicatur; et Abraham professus est religionem in Clodawa et Albertus discessit in Nowam Nyeschowam, et ibi mortui sunt. Item dixit, quod Mathias Pyrzchala semiscolaris fuit istarum rerum conscius, ad quem prefatus Fridan visitabat. Item dicebat testis, quod eo tunc, quando talia gesta sunt, dicebat dna Iaranthowska priori suo marito Simoni Pylchowsky, qui erat filius prefate Grzimcze: Bone vir, si ego talis secte, sicut tua mater est, non doleas dare super me unum currum lignorum, ut debeam comburi, et ego si sum bona mulier, si te talem scirem, vellem contra te currum lignorum ministrare. Item eciam dixit se memorari, quando Barthosius de Cosczol eruerat oculos et nasum preciderat et labia cuidam inquisitori per familiares suos submissos ad quandam convallem seu rupem circa Bonyewo, et solus Barthosius fuit in convivio in Maiori Plonicze apud quendam Bolenynsky Almanum, qui fuit exul de terra Prussie, et R. Mtas providerat eum ista villa, et tunc dnus Rex antiquus citaverat istum Barthosium, qui de consilio fratris sui patruelis Martini Cothca Chrostowsky aufugit, tali ab eo accepto consilio: Melius tibi est respondere de rubo, quam in manibus existenti. Et ille acquievit consilio suo receptisque secum duobus filiolis recessit, quorum unus Iohannes redierat, qui fuit tandem in Przibranowo. Et R. Mtas intromiserat se in partem suam in Cosczol, sed dni Dobeslaus Ianyschewsky et Iohannes Boruczsky fratres germani uxoris eiusdem Barthossii per litteram dotalicii impetraverunt bona eadem viceversa sorori. Item interrogatus, cuius esset filia dna Stolnykowa, respondit, quod cuiusdam Corzecznysky. Item dixit, quod quidam Nicolaus dictus Baranek plebanus in Cosczol eotunc, quando Barthosius istum inquisitorem vulneravit, deiecta scola inibidem construxerat unam domum, in qua collegerat certum numerum virginum iuvencularum, quibus omnibus tricas abscidit et erudiebat, quasi sub observancia regulari; et unosemel duabus puellulis de Wyma Minori, filiabus Gethkowna et Zmyendzynka, in medio ecclesie cum furia deposuit et laceravit crinalia, que gestabant in capite; quod dum pervenit ad noticiam episcopi, prout testis credit Pelle, iussit eum sisti per fideiussorem nobilem Andream Fridak de Bodzanowko et captum deputavit carceribus perpetuis in Raczanschs, ubi vitam finivit in penitencia.

A. 1480, in Nowa Nyeschowa in curia episcopali.

530. (Acta episc. I). Sermone per vener. dnum Mathiam de Raczanschs decretorum doctorem canonicum vicariumque in Spiritualibus Wladislav. generalem in ecclesia parochiali ibidem in Nyeschewa facto, Swyanthek faber suprascriptus de heresi accusatus ac confessus de eadem publice eandem revocando iuravit amplius eam non tenere neque practicare velle sub hoc tenore verborum, qui sequitur:

Iuramentum Swyanthek. — Ego Swanthoslaus iuro ad passionem Ihesu Christi et in animam meam recipio, quod omnem heresim et precipue eam, de qua infamatus sum et quam confessus sum coram dno Episcopo, non tenebo eamque vitabo et non adherebo ei amplius nec communicabo sub utraque specie, et iuro, quod quemcunque scivero esse suspectum de ista heresi aut eum, qui he-

resim istam laudaverit aut dogmatisaverit aut libros vel cartas errores continentes habuerit, tenuerit et servaverit, dno Episcopo aut ipsius vicario pandam et revelabo. Iuro eciam obedire Romane ecclesie et eius mandata et doctrinam observare, et si aliquando contra hoc ipsum quovismodo attemptavero, correctioni episcopi Wladislaviensis, qui pro tempore fuerit, et rigori sacrorum canonum subiacebo; presentibus ibidem honor. et discretis viris Petro de Banthcow commendario, Iacobo de Cruchowo vicario, Francisco graciali et sacrista ecclesie in Nowa Nyesschewa, Bartholomeo de Syrchowo altarista Raczansiensi et Math'a de Cosczeschicze notario publico.

A. 1480, Iunii 10, in Lupsyno in curia episcopali.

531. (Acta episc. I).. Nobilis Fridan Lupsynsky per dnum Episcopum in presencia dnorum Luce de Thorun decretorum doctoris canonici Wladislaviensis, Lazari in Nyeszulkow plebani et mei Petri de Lang notarii examinatus et quesitus, an teneret sectam de communione utriusque speciei, in primis constanter negare cepit, tandem dum sibi obiceretur, cur sic constanter negaret, ex quo contra te certorum fidedignorum sunt manifesta testimonia et documenta, ubi, quando et cum quo talia practicasti, recognovit et confessus est se talem fuisse, dicens: Dilecte pater, confiteor me Deo et tibi Pater reum et culpabilem; et interrogatus de sacerdotibus, cum quibus talia practicaret, dixit de IV sacerdotum manibus taliter communicatum esse: primo a quodam Nicolao, qui quondam fuit in Kykol plebanus, homo senex, tandem Nicolao presbitero in Cosczol, postea per quendam Mathiam, qui primum fuit in Thorun, postea in Osszek circa Brodnycza, et idem Mathias dicebatur esse consanguineus fabri Swanthek de Nowa Nyeschowa, demum per quendam Petrum nunc in Grudzandz morantem, aliquando in Thorun, ubi eciam moratus est, et apud pellificem crematum aliquot vicibus in Nowa Nyeschowa in camera semelque apud prefatum Swanthek, novissime vero in bello Slesie in tentorio eiusdem dni Samuelis exercitus Bohemorum. Item quesitus de Andrea Rogowsky sacerdote respondit se non communicasse de eius manibus, dixit tamen, quod eum induxerit ad communicandum et dicit eum esse de ista secta. Item quesitus, ubi fuisset ista heresi imbutus, respondit, quod quedam dna Msczuyowa prope Skrzin, ut deponens existimat, Anna nomine ava modernorum puerorum, que fuit nacione Morawa, cuius ipse Fridan extitit cubicularius, induxit eum adhuc in Morawia et postea eciam hic in Polonia eadem dna Msczuyowa communicavit sub utraque specie. Quesitus de marito et pueris eius dixit sibi non constare.

A. 1480, Octobris 8, in ecclesia cathedrali Wladislaviensi.

532. (Acta episc. I). Revocatio nobilis Fridan — Item.. in ecclesia Kathedrali Wladislaviensi.. vener. et religioso fratre dno Alberto provinciali ordinis Predicatorum, ubi multitudo populi communis fuit collecta propter indulgencias consequendas, predicante ac in presencia audienciaque publica prelatorum et canonicorum ecclesie Wladislavienis infra descriptorum prefatus nobilis Fridandus de Lupsyno, qui eciam in secta Hussitica seu alias Pellagiana de communione utriusque speciei fuit deprehensus et in eadem se perstitisse palam et publice est confessus, ipsam sectam tanquam erroneam cognito auditoque salutariori dogmate eamque

detestando solempniter revocavit ac ipsam deinceps practicare abiuravit sub forma inferius descripta. Presentibus vener. dnis Nicolao de Cruczborg decano, Mathia de Raczanschs decretorum doctore, Iacobo Dominikowski, Iacobo Sokolowsky, Iohanne Wronczsky, Nicolao de Przi wyeczerzino decretorum doctore canonicis Wladislaviensibus necnon aliis quam plurimis ecclesiasticis et secularibus personis [1]).

A. 1481, Februarii 9, in Raciąż in curia episcopali.

533. (Acta episc. I). Honor. Petri de Lang canonici prebendati in Czikowo, ex una, et nobilium Pauli et Stanislai germanorum ac Mathie, Nicolai et Alberti eciam germanorum de Sobyesyrnye heredum, ex altera partibus, in causa, Petrus canonicus prefatus, citatis dictis nobilibus et citacione huiusmodi unacum eius execucione a tergo m o r e p a t r i e scripta reproducta, verbo et summarie proposuit contra eosdem et eorum quemlibet tam coniunctim quam divisim deducendo, quod ipsi nobiles decimam manipularem cuiuslibet grani post ipsorum agros et araturas prediales excrescentem et ad ipsum Petrum suamque prebendam in Czykow predictam pertinentem et spectantem, quam ipsorum nobilium progenitores et predecessores insimul et in uno loco seu horreo locabant et locare consueverant, per se et suis curribus eandem conducentes, ad modum dictorum ipsorum progenitorum conducere nolint et locare recusant et contradicunt, sed ipsam dimidiant, dirimunt et distrahunt unusquisque post culturam suam in proprio horreo locando et locare nitendo in dicti Petri ipsiusque prebende prefate preiudicium, dampnum et gravamen, petens ipse Petrus canonicus prefatus, quatinus eandem decimam libere absque nobilium predictorum contradiccione et impedimento et more antiquo diucius observato in uno loco seu horreo locare et de ea pro suo placito disponere possit et valeat ac dictos nobiles et ipsorum quemlibet ad conducendam eandem ad unum locum seu horreum, quemadmodum eorum progenitores conducebant et locabant, per dominum cogi et compelli. Ex adverso vero nobilibus prefatis allegantibus et dicentibus, quod ad premissa non teneantur ex eo, quia a multo tempore seorsum et divisim et non in eodem loco locabant eandem, unusquisque videlicet suam in proprio horreo, petentibus se circa huiusmodi consuetudinem conservari et nichilominus offerentibus se ad dandum et deputandum unum locum eumque sepiendum et muniendum, in quo decima ipsa locari et sine dampno conservari possit, ita tamen, quod ipse Petrus decimam huiusmodi per se et propriis equis et curribus ad locum taliter deputatum et septum debeat conducere; Petro memorato ad colligendum et conducendum suis curribus et equis decimam huiusmodi non contradicente, immo consenciente taliter et eo modo, quod ipsi nobiles ipsum Petrum vel factorem suum, quem ad hoc deputaret, quando omnia eorum frumenta haberent parata ad conducendum in horrea propria et vellent ea conducere tribus aut quatuor diebus, antequam huiusmodi eorum frumenta incipiant conducere, avisare et ad recipiendum ipsam decimam vocare debeant et teneantur; nobilibus prefatis dissencientibus et contradicentibus allegantibusque, quod nollent esse rusticati et aliquam avisacionem facere. — Et dominus auditis

---

[1]) Na wolnem miejscu, które pozostało po wciągnięciu niniejszego aktu, miał widocznie pisarz jeszcze inne zapiski pomieścić, bo wypisał następującą rubrykę, do której textu brakuje: »Forma abiuracionis et revocacionis«.

partibus predictis et ipsarum huiusmodi altricacionibus, innitendo statuto provinciali, quo cavetur, quod quilibet decimam manipularem solvens, cum frumenta sua collegerit et conducere voluerit, eum, ad quem decima pertinet, debeat trina vice avisare, quod veniat et decimam suam percipiat, et aliis iuribus super talibus editis decrevit, quod dicti nobiles de Sobyesyrnye, postquam eorum frumenta habuerint collecta et ea ad ipsorum horrea conducere voluerint, debeant et teneantur dnum Petrum prefatum aut ipsius factorem avisare et ad recipiendam decimam vocare, ita tamen, quod non per partes, sed simul collectis hiemalibus et similiter estivalibus frumentis simul collectis eundem avisent et advocent, ne pro qualibet cassula seorsum currum et equos cum familia fatigare cogatur et exinde gravamen aliquod pati possit..

A. 1496, Septembris 30, in Chelmcze in curia episcopali.

534. (Acta episc. I). In causa honor. Petri plebani in Chelmcze contra nobiles Petrum Pyetrzik, Stanislaum Myazek, Nicolaum Thitel et Michaelem de Minori Cobylnicza comparentes in termino, idem dnus Petrus plebanus verbo proposuit, quomodo ipsi, dum vendunt kmethonibus suis seu apreciant agros prediorum suorum ad arandum, soli non vocato ipso decimant, uti volunt, et non integre dant decimam ex eisdem agris; item quod prius expediunt messores, quam decimant, et quod prohibent locare decimam, nisi ubi ipsi locum ostendunt; et quia stramina prohibent. Ex adverso respondentibus prefatis nobilibus, quia ista fuisset consuetudo ab antiquo, et quod sic iuste sibi respondissent semper de decima. Rmus dnus exauditis partibus decrevit, quod dicti nobiles colentes soli agros prediales dispositis segetibus debent dare scitum prefato Petro plebano et aliis plebanis pro tempore existentibus, ut aut veniret aut mitteret, venirent aut mitterent ad videndum per ipsos iuste decimari et ad tollendum suam decimam conducendumque proprio curru in domum propriam, si nollet eam locare in villa apud aliquem kmethonem. Quando vero agros prediales colerent kmethones, non ipsi deciment, sed plebanus vel ipsius factor, quem miserit, et kmethones debent vocare plebanum ad decimandum. Item ut non prius expediant messores, nisi prius soluta seu data decima; cum vero plebanus pro tempore existens decimam locare vellet in villa, liberam ubi velit locacionem et tam de decima quam de eiusdem straminibus debet habere disposicionem sub censuris ecclesiasticis contra contravenientes fulminandis..

A. 1496, Octobris 26, in Chelmcze in curia episcopali.

535. (Acta episc. I).. Honor. dnus Iohannes in Brodnya plebanus contra nobiles dnos Ottham et Stanislaum nigrum de Stanomino coram Rmo dno Episcopo personaliter comparentes, necnon Petrum Calinowski, Albertum, Martinum, Nicolaum, Paulum, Iacobum, Andream et Iohannem heredes in Zagayewicze, Stanislaum et Mathiam de Modliborzicze heredes absentes proposuit et in querela exposuit verbo, quomodo ipsi contra disposicionem et decretum per Rmum olim dnum Iacobum Syenyensky episcopum tunc Wladislaviensem factum et promulgatum, cuius tunc copiam reproduxit, de decimis predialibus ab eo tempore, quo in Brodnya ipse esset plebanus, non sufficienter eidem respondissent et quod absque scitu ipsius decimassent et, quod videbatur ipsis, in campo reliquissent in dam-

pnum eiusdem et contra iusticiam facientes, petens eos ad satisfaciendum et ad respondendum postea sufficienter et ad premissa compelli iusticia mediante. Ex adverso prefati nobiles Ottha et Stanislaus allegantes se dicto dno plebano sufficienter et iuste de decimis prediorum suorum respondisse, alias deferentes iuramento plebani prefati super declarando dampno. Rmus dnus in robur decreti dudum per prefatum Rmum dnum olim Iacobum episcopum facti mandavit et decrevit, quod decetero prefati nobiles ad videndum decimari in prediis eorum vocarent predictum dnum plebanum et successores plebanos de Brodnya tempestive, ut de decima sua provideret; qui si venire seu nuncium mittere non curaret seu non curarent, facta protestacione poterunt decimare, sub testimonio tamen sufficienti, et quicquid secundum equitatem decimando spectaret ad ipsum seu ipsos, in campo relinquerent. Insuper Rmus dnus prefatus declarando de messoribus decrevit, quod prefati nobiles et eorum successores necnon et parochiani in et sub parochia Brodnya, sed et in aliis alii parochiis non prius expedirent messores aut etiam agricultores alias *rathaye*, quam darent decimam, sed dispositis frugibus de decima prius responderent plebano, tandem laboratores quemad modum ipsis videretur, exolverent et quod plebano et plebanis aliis liceat decimas conducere propriis equis sub campanam quodque libera sit decimarum locatio et straminum disposicio, adiudicavit sub ecclesiasticis censuris; decrevit postremo, quod prefatus dnus plebanus dampnum declaret inramento corporali..

536. (Ibidem). Item prefatus plebanus in Brodnya contra dnum Stanislaum Czarny de Stanomino proposuit, quomodo ipse saluti sue immemor parochianus ipsius existens, neque sibi neque vicario suo aliquando confiteretur nec sacramento Eucaristie procuraretur. Ex adverso dicto Stanislao apud fratres Minores in Bidgostia se confessum allegante et litteras eorum fraternitatis reproducente, Rmus dnus decrevit, quod specialibus litteris eorundem fratrum de confessione sua ipse Stanislaus doceat et tamen postea plebano suo aut eiusdem vicario confiteatur, et si vellet alias confiteri, accipere debet licentiam a suo pastore et de sua confessione docebit litteris confessoris, tenebiturque tamen sacramentum Eucaristie, tempore saltim a iure statuto, videlicet in festivitate Pascali, in sua parochia suscipere, causa legitima non obstante, quam tamen suo pastori exponere debebit sub ecclesiasticis censuris..

537. (Ibidem). Reconveniendo nobilis dnus Ottha de Stanomino honor. dnum Iohannem plebanum in Brodnya contra ipsum proposuit, quomodo ipse ex eius kmethonibus et aliis parochianis de qualibet domo extorserit racione columbacionis singulis annis per IV solidos contra morem et consuetudinem aliarum parochiarum, petens ipsum prohiberi a tali extorsione iusticia mediante. Ex adverso honor. dno Iohanne plebano prefato eam ab antiquo in parochia sua consuetudinem allegante, quod videlicat racione columbacionis de qualibet domo tres solidi et pro salario ministro ecclesie solvendo quartus dabantur, petenteque se in eadem consuetudine conservari. Dnus Rmus pro clariori deliberacione et informatione sua ab aliis parochiis recepit, tandem quid in ea re foret tenendum, declaraturus partibus hincinde..

A. 1496, Decembris 8, in Sobkow in curia episcopali.

538. (Acta episc. I). Generale decretum de oblacionibus per vitricos

ecclesiarum non rapiendis — Die Iovis.. honor. I. plebano in Lalkowy contra vitricos ecclesie coram Rmo dno comparente, [idem plebanus] verbo proposuit, quomodo ipsi ab eo tempore, quo ibidem regere incepisset ecclesiam, de cereis, lacticiniis, panibus, brutis, pecuniis, que ad altare sibi in diebus presertim festis offerebantur, se ingerebant et sibi oblaciones huiusmodi usurpabant, necnon mensas cum imaginibus locabant, parochianos ad ponendum et dandum ea, que oblaturi essent ad altare, attrahentes et inducentes, prout et hactenus premissa facerent in diminucionem proventuum plebanalium et ipsius iniuriam non modicam, petens ipsos cogi ad restituendum rapta et prohiberi ipsos, ne decetero faciant similia iustitia mediante. Ex adverso vitricis prefate ecclesie comparentibus et eam fuisse consuetudinem esseque per Pomeraniam allegantibus petentibusque ipsos in eadem conservari. Rmus.. dnus Creslaus D. g. episcopus Wladislaviensis et R. P. cancellarius attento raptum per vitricos commissum tendisse et tendere ad illibertationem ecclesiarum et ministrorum earundem volensque abolere, ne decetero fieret, generale decretum promulgavit tale: quod vitrici omnium ecclesiarum archidiaconatus Pomeranie de oblacionibus altarium quibuscunque non presumant se intromittere, nec aliquas mensas pro impetracione locare et ad dandum parochianos aliquid attrahere, nisi in quantum quis aliquid ad tabulam porrigeret sponte, sub censuris ecclesiasticis nullis consuetudinibus in adversum obstantibus, que extunc sua Ptas Rma irritavit et contra contrarium attemptantes processus dari.. mandavit..

A. 1496, Decembris 19, in Sobkow in curia episcopali.

539. (Acta episc. I). Contra honor. dnum Gregorium Christofori alias Iecomam presbiterum de Gedano Rmus dnus auditis deposicionibus contra eundem per vener. dnum Iohannem de Dambrowka decretorum doctorem archidiaconum Pomeraniensem receptis, comperto de scandalis et de conservacione mulieris suspecte in domo, super quibus alias fuerat per predecessorem sue Rme Ptis dnum Petrum episcopum monitus, ut sub pena XX flor. destitisset et ab eisdem scandalis et deinde non foveret mulierem suspectam, dnus Rmus decrevit puniendum, et in instanti monitus est ut infra XV dies solvat penam sinodalem in manibus dni Officialis Pomeranie et preterea quod se inscribat taliter, ut sequitur, ex confessatis ad predicta.

540. (Ibidem). Contra dnum Cristoforum de Derschevia presbiterum de Gedano ex confessatis de suspecta muliere et aliis scandalis Rmus dnus decrevit penam sinodalem, et in instanti monitus est pro eadem, ut eandem solvat infra XV dies in manus dni Officialis Pomeranie, et quod Hedvigim, quam modo fovet, a se alienaret et deinde in domo sua aliam non servabit, scandala non faciet, tabernas non visitabit, tesseras non ludet, nec se rebus secularibus miscebit statui eiusdem non convenientibus sub pena X marcarum irremissibiliter repetenda.

541. (Ibidem). Simon presbiter de Gedano confessus est lusisse thessaros et in quodam presbitero lucrasse marcam cum XVI solidis et aliis institisse levitatibus, super quibus veniam petivit, alia vero negavit; instigatore officii petente Rmus dnus decrevit illum citari, prout citatus est per exequutorem in instanti per dnum Iohannem Grochowsky capellanum domini citatus est ad videndum

produci contra ipsum die crastina hora terciarum articulos certos ex officio ad audiendum eosdem sibi legi et obici ac ad respondendum eisdem medio iuramento.

542. (Ibidem). Mathias Vizembarg presbiter de Gedano Moppky confessus est habere et servare mulierem Annam cognomine Flateynfilium(s) Iohannem(s) in domo pro coqua, petivit veniam et graciam paternam; negavit de sumptuoso vestitu sibi impenso et occupacionem certorum censuum pro eadem femina, quemadmodum contra eum propositum est, et ad alia respondit per: nescit. Rmus dnus racione excessuum puniendum esse decrevit in XXX flor. Hungar., de quibus monitus est, ut responderet in XV diebus, in quantum non dimiserit prefatam feminam infra hinc et Vigiliam Nativitatis Dni, et pro excessibus infra XV dies solvat penam sinodalem in manus dni Officialis Pomeranie. Tandem Rmus dnus mandavit sub pena X marcarum, quod loco dicte Anne aliam non servet mulierem suspectam nec visitet tabernas aut officinam argenti neque ludat thessaras neque ortos nec feminas suspectas frequentet, nec se secularibus negociis statum spiritualem non convenientibus misceat..

543. (Ibidem). Contra honor. Laurencium Polaski presbiterum de Gedano nomine instigatorii officii propositum est coram Rmo dno, quomodo in domo sua mulierem suspectam, cui cohabitasse presumitur, scandalose foveret; qui quod servat eam confessus est. Dnus Officialis dixit eundem ante aliquot annos pro eadem muliere monuisse et tandem incarcerasse et punivisse. Rmus dnus ex confessatis decrevit eundem pena.. puniendum et II[da] die [post] ingressum felicem sue Rme Ptis Gedanum coram sua Rma Pte compareat et interea dimittat et alienet a se feminam Cordulam, quam fovet, et deinde neque eam neque aliam suspectam feminam foveat, loca inhonesta et tabernas non visitet, scandala non faciat, officinam argentinam et ortos cum feminis non frequentet et se non inmisceat rebus secularibus suo statui non convenientibus sub pena carceris per unum annum puniendus.

544. (Ibidem). Contra dnum Franciscum fabri presbiterum de Gedano, quod servaret mulierem suspectam in domo et in multis sit scandalosus; de femina, quam servat, confessus est per expressum, allegando defectum pedogre; delatum est suo iuramento, quod eam non cognovit carnaliter, qui noluit; ex confessatis dominus decrevit eundem puniendum in pena sinodali, et quod alienet a se feminam nomine Elizabeth neque aliam fovere audeat suspectam, nec quicquam huiusmodi attentet, quod statui suo [non] convenire videretur, sub pena carceris per I annum, penam sinodalem solvat infra XV dies in manibus officialis Pomeranie etc.

545. (Ibidem). Contra dnum Petrum Ferman alias Iunior Kelisz presbiterum de Gedano propositum est de multis scandalis et quod sit fornicarius et ex Katherina quondam femineam procreavit prolem et coutitur eadem femina suspecta communiter, de qua est publica fama per civitatem Gedanensem; fassus est idem eam cognovisse carnaliter; petitum est ex officio condempnandum esse in pena et puniendum. Rmus dnus deputavit illum carcere puniendum, prout mox ad illum positus est.

546. (Ibidem). Contra dnum Mathiam Sculteti presbiterum de Gedano propositum est primum, quod quondam feminam occidisset; negavit. De mutilacione vim vi repellendo recognovit, [quod] mutilavit unum in digito; de tabernarum visitacione dixit, quod matrem solum visitaret, que propinat cervisiam. — Item

quod noviter vulneravit mulierem, dum ipsum a se reprimeret, dum sibi violenciam per actum carnalem inferre voluisset. Item quod visitat mulieres inhonestas; item quod multa scandala facit in civitate Gedanensi. Ad alia narrata respondit per nescit. Petitum est per instigatorem officii, quod per medium iuramenti ad articulos singilatim respondere cogatur. Iuravit et respondit, ut in articulis notatum est, ad quosdam per credit, ad quosdam vero per non credit, Rmus dnus deputavit eum carcere puniendum.

547. (Ibidem).. Rmus dnus post primam carceris correccionem mandavit honorabili dno Iohanni plebano de Scarschava, quatinus mulierem et prolem, quam ex eadem procreavit, a se alienaret nec eandem de cetero sed neque aliam aliquam suspectam in domo sua foveret seu alias ubicunque scandalose conversaretur alicui femine suspecte sub pena carceris, prout alias in statutis sinodalibus continetur; quod se facturum per stipulacionem manus michi Paulo notario submisit..

A. 1496, Decembris 21, in Sobkow in curia episcopali.

548. (Acta episc. I).. In causa officii contra honor. dnum Andream plebanum in Pyenyaskowo, mgr. Albertus instigator officii certis articulis in scriptis coram Rmo dno produxit, petens cogi eundem verbo seu in scriptis ad quemlibet singulariter medio iuramento responderi, prout alias antea produxit et responderi eisdem petivit. Quiquidem dnus Andreas ad quemlibet medio iuramento respondit, prout circa eosdem notatum existit, ad quosdam per verbum: credit, ad quosdam vero per: non credit. Incontinenti [per] Rmum dnum prefatum de officio misse realiter examinatus compertus est tam in signis et in intelligencia verborum errare et fere ignorare; et ne sua Rma Ptas quicquam agere celeriter [videatur], prudenter decretum suspendit ad futuram sinodum Sobkoviensem per suam Rmam Ptem celebrandam, in qua ut f. II[da] post octavas Epiphaniarum prox. coram sua Pte Rma in loco prefato personaliter compareret ad videndum et audiendum ferri decretum alias ad parendum iuri, per dnum Iohannem Grochowiczki tunc capellanum et exequutorem de mandato sue Ptis Rme terminus est prefixus.

Quiquidem dnus Andreas plebanus.. in suum.. procuratorem.. dnum Iohannem Grochowiczki.. constituit, dans eidem omnem potestatem ecclesiam suam in Pyenyaskow, in quantum solus ipse in sinodo et termino predictis non compareret, in manibus Rmi dni simpliciter resignandi.. Et ne prefatus dnus Andreas in excommunicacionis sentencia existens administracionem Spiritualium ecclesie sue negligeret, Rmus dnus unum de fratribus Minorum de conventu Novensi pro festis Natalis Dni proximis adhibuit, et preterea mandavit sub pena excommunicacionis, ne quicquam propterea insolencie committeret seu aliquid de ecclesia seu dote plebanali detraheret..

A. 1496, Decembris 30, in Gedano in curia episcopali.

549. (Acta episc. I). In causa famosorum dnorum consulum et tocius communitatis Gedanensis contra vener. dnum abbatem et conventum monasterii in Oliwa, domini prefati coram Rmo dno verbo proposuerunt, quomodo maleficos ex Gedano seu alias undecunque ad eos fugientes non solum in monasterium ipsorum, sed eciam in septa extra monasterium eciam et bona monasterii recipiunt,

recolligunt, servant et defendunt, tuentur et salvum securitatis conductum in scriptis in eorum bonis manendi per eademque vagandi concedunt, unde tandem idem malefici multas predas in regalibus viis, mutilaciones, homicidia et alia plura mala patrarunt et committunt, petentes ipsum dnum abbatem et conventum suum Olivensem a talibus faciendis prohiberi.

Ex adverso vener. dno T. comparente, non tales recepisse neque recollegisse, nisi quos ius communitatis ecclesiastice admittit, respondit talibusque dedisse et posse dare salvum securitatis conductum in scriptis ex disposicione certarum litterarum a Sede apostolica ordini Cisterciensi et monasterio Olivensi concessarum ab aliisque principibus.

Dnus abbas subinde reconveniendo dnos consules Gedanenses proposuit contra eosdem verbo, quod anno preterito misissent certos suos familiares, qui cum armis monasterium vibratis gladiis ingressi vim eidem intulerunt monasterio et quosdam scolares et clericos violenter de eodem receperunt et in Gedanum fortasse ligatos abduxerunt contra libertatem seu emunitatem ecclesiis et monasteriis a Sede apostolica concessas.

Ex adverso quidam dnorum consulum Gedanensium personaliter comparentes familiaribus suis id facere non commisisse, sed solum eos dedisse et assignasse magistro scole ad eundum pro scolaribus ipsius, quos quadam contencione cum eodem facta illuc fuisse coram se exposuit, allegaverunt, allegaveruntque, quod ipsos scolares recepissent de monasterio non sine consensu dicti dni abbatis, sed et de mandato dni Officialis.

Rmus dnus auditis parcium prefatarum propositis et responsis habita desuper cum iuris peritis consultacione et infra se deliberacione in causa ipsa interloquendo pronuntiavit verbo, quod vener. dno Michaeli abbati et suo conventui successoribus[que] eorundem monasterii Olivensis non liceat amodo et in posterum dare salvum securitatis conductum in scriptis quibuscunque personis suspectis seu malefactoribus, ut sub eodem per bona monasterii Olivensis vagarentur et in eisdem latitarent, recipere tamen posse in septa monasterii eosdemque recolligere, quos iura emunitatis ecclesiastice permittunt..

A. 1496, Decembris 31, in Gedano in curia episcopali.

550. (Acta episc. I). In causa honor. dni Iarandi Swyanthoslawski clerici Wladislaviensis diocesis wladarii clavis Sobkow.. coram Rmo dno contra nobilem et providos Dobyesch in Puczk oppidanum, L. in Poluczko, N. in Blandzkowo, N. in Ostonyno, N. in Rzeczko scultetos et Honk *starostam* in Brzezno verbo proposuit, quomodo cum certo die ad videndum bona ecclesie Wladislaviensis in gubernacionem sibi commissa et tradita cum familia in parva comitiva, videlicet VIII equorum, descendisset, idem, nescitur quo spiritu ducti, in comitiva XXX citra vel ultra equestrium animo eosdem predandi, captivandi seu vita privandi impedierunt, insequuti sunt et ultra quam per X miliaria armata manu eciam cum funibus ad ipsos suspendendum fugarunt, nichil cum eisdem ad agendum habentes, quam iniuriam ad D florenos Hungar. sibi extimavit.. Proposuit subinde, quod sub huismodi impeticionis cursu veloci VI equi in valore C flor. Hungar. eisdem interierunt et nonnulla arma amiserunt in itinere in valore XX flor. Hungar., petens eosdem in premissis condempnari et cogi ad solvendum.. Ex ad-

verso prefati nobiles et providi.. confessi sunt per expressum se huiusmodi incursum fecisse, nescientes, cui familia de Sobkow fuisset, sed credentes esse alios. Et Rmus dnus.. dictos nobilem et providos ex confessatis.. in D flor. Hungar. prefato dno Iarando solvendis condempnavit..

A. 1497, Ianuarii 4, in Sobkow in curia episcopali.

551. (Acta episc. I). Honor. Mathias Weszemburg presbiter de Gedano.. promisit sub pena carceris, quia decetero et antea non ludet taxillos, tabernas et loca suspecta non visitabit nec se miscebit negociis secularibus statum spiritualem non concernentibus, sed neque suspectis mulieribus nec aliqua scandala faciet, super quo in actis prioribus manu propria se obligavit, et punitus est in pena pecuniaria.

A. 1497, Ianuarii 11, in Sobkow in curia episcopali.

552. (Acta episc. I). Honor. Michaelem sculteti baccalarium de Gedano presbiterum citatum et comparentem Rmus dnus, per instigatorem officii de ebrietate frequenti accusatum et de bina ebrietate confessatum, in pena sinodali III marcarum.. condempnavit.

553. (Ibidem). Item honor. dnum Mathiam Kykyebosch presbiterum de Gedano de consecracione Eucaristie sacre pro querendis thesauris magica arte accusatum et confessatum, ita videlicet quod consecratam Eucaristiam non exportavit de ecclesia s. Iacobi, sed eam posuerit in armario, Rmus dnus carcere puniendum deputavit ex confessatis.

554. (Ibidem). Instigatore officii accusante honor. Bartholomeum predicatorem ad s. Iohannem in Gedano de incontinencia et suscepcione prolis post punicionem per Rmi dni antecessorem factam eodemque negante Rmus dnus ex certis respectibus.. prefixit eidem terminum ad octavam ad audiendum pronunciari voluntatem sue Rme Ptis in Sobkow.

555. (Ibidem). Dnus Matheus presbiter de Gedano accusatus de incontinencia et quod post correctionem penalem pecuniariam per predecessorem dni Rmi adhibitam feminam suspectam fovet, ex qua procreavit, confessus est, quod eam foverit et quod penatus fuerit, non fuerit tamen sibi inhibitum. Ex confessatis dominus deputavit eum carceribus puniendum. Qui tandem manu propria se obligavit in actis prioribus, quod eam de cetero non fovebit, sed eam dimittet sub pena carceris.

556. (Ibidem). Contra honor. Baltizarum de Marchia presbiterum de Gedano, instigatore officii de femina suspecta, que ut sibi commaneret, virum intoxicavit, quam servaret in domo sua et eidem commaneret carnaliter, eundem accusante, petente ipsum iuxta canonicas instituciones et alias statuta provincialia puniri, eodem confitente de conservacione dicte femine et quod vir ipsius ante IV annos defunctus esset non ex veneno allegante, Rmus dnus carcere puniendum decrevit.. Qui tandem post correctionem.. se obligavit in actis prioribus ipsam non fovere de cetero et dimittere.

557. (Ibidem). Honor. Iohannes Thanchel presbiter ab ecclesia s. Iohannis de Gedano citatus.. per instigatorem officii coram Rmo dno de incontinencia et commansione cuidam cauponatrici, pro qua alias per antecessorem Rmi dni fuerat

prohibitus, inculpatus et accusatus, recognovit se fuisse prohibitum et postea et in hactenus deseruisse illam et desiisse a scandalo, Rmus dnus negante eodem pro clariori certioracione habenda et etiam ex certis respectibus aliis ad fer. V-tam post octavas Epiphaniarum terminum eidem prefixit in Sobkow comparendi.

558. (Ibidem). Dnus Georgius Moldenhager presbiter de Gedano.. inculpatus de frequentacione tabernarum cum inhonestis mulieribus cum scandalo confessus est de visitacione tabernarum, sed cum honestis viris; Rmus dnus decrevit puniendum in pena sinodali, pro qua monitus est, ut infra VIII dies eam solveret ..Et ne de cetero visitaret et frequentarat tabernas neque aliqua scandala faceret, sub pena XXX marcarum inhibuit Rmus dnus irremissibiliter, qui tandem manu propria se obligavit.. tali modo: Ita est ego Georgius Moldenhewer manu propria me obligo et subscribo sub pena prefata.

A. 1497, Ianuarii 15 — 18, in sinodo.

559. Acta episc. I). Sinodus cleri tam regularis quam secularis in parochiali ecclesia Sobkow ex diaconatu Pomeranie per Rmum dnum Creslaum episcopum Wladislaviensem et R. P. cancellarium die Ianuarii XVma et tribus sequentibus diebus celebratur:

Die XVIIma Ianuarii sessionis tercie sinodalis lecta sunt publice statuta predecessorum pontificum ecclesie Wladislaviensis et deinde infrascripti articuli prefati Rmi dni Episcopi a clero diocesis sue Rme Ptis Wladislaviensis sub penis infrascriptis observandi, presentibus Rdis patribus et vener. dnis Martino Olivensi et..[1]) Peplinensi abbatibus, Iohanne Lasky decano, Iohanne Dambrowsky archidiacono Pomeranie ecclesie Wladislaviensis, Georgio de Vislicia decretorum doctore auditore causarum curie episcopalis et me Paulo de Lobzenycza notario publico Rmo dno memorato infra subscripto. Quorum articulorum de verbo ad verbum tenor sequitur et est talis:[2])

A. 1497, Ianuarii 23, in Sobkow in curia episcopali.

560. (Acta episc. I).. Honor. Iohannes plebanus in Gethelanth.. sub pena carceris se obligavit et submisit non servare decetero Elizabeth coctricem in domo nec aliquam aliam mulierem suspectam..

561. (Ibidem). Honor. dnus Iohannes Wystuk de usura et femina inhonesta per dnum archidiaconum accusatus, de usura negavit, feminam vero se honestam servare confessus est. Rmus dnus loco paterne admonicionis mandavit, ut dictam in domo sua nec aliam suspectam servare audeat sub pena sinodali, et nec se rebus secularibus inmisceat, statum spiritualem dedecentibus et presertim usure, de qua si convictus decetero fuerit, iuxta disposicionem sacrorum canonum animadversione condigna per Rmum dnum puniri debet, presentibus dnis Georgio doctore et Iohanne Grochowyczki in stubella Rmi dni in Sobkow.

562. (Ibidem). Stanislaus commendarius in Czyechatow accusatus de femina, quam servat, suspecta in domo et ex qua prolificavit, recognovit et petivit ve-

---

[1]) Imienia opata Pelplińskiego brak w rękopisie.

[2]) W rękopisie idą w dalszym ciągu cztery strony niezapisane, na których notarjusz zamierzał widocznie pomieścić artykuły synodalne, o których mowa.

niam; pena carceris punitur et pecuniaria, promisit de cetero non recidivare sub pena arbitraria.

563. (Ibidem). Michael plebanus in Przeszyersko sub pena sinodali infra hinc et festum Pasce dimittat Barbaram feminam diu apud se servatam sub pena sinodali et aliam non servet suspectam.

564. (Ibidem). Martinus Iohannis de Lublin commendarius in Opalino docebit de litteris ordinacionis sue infra hinc et festum s. Georgii et quod de cetero non faciat mercaturam lignorum sub pena sinodali.

565. (Ibidem). Dnus Gregorius in Lubnaw commendarius solvit penam, cui iniunctum est, ut dimittat Annam infra hinc et Dominicam Invocavit et aliam non foveat mulierem suspectam in domo sub pena carceris.

566. (Ibidem). Mathias plebanus in Kokoskowo repertus est per inquisicionem non orare horas canonicas; negavit; indicta est sibi canonica purgacio et quod ancilla, quam servat, est filia fratris ipsius, docebit infra hinc et Sabbatum prox.; compurgatores assignati: plebanus de Stargardia et Iohannes Kosky commendarius condam in Gablaw.

567. (Ibidem). Albertus plebanus in Sroczko propter temeraria verba dno archidiacono in visitando carceris pena est punitus.

568. (Ibidem). Iohannes Thiwal alias Puch de Stargardia in multis excessibus compertus et de horis canonicis suspectus confessus est se fuisse punitum in corpore et ere, qui carceris pena secundario per dominum punitus est.

569. (Ibidem). Georgius commendarius in Trambky de excessibus incontinencie et prolificacione de concubina accusatus recognovit et se punitum dixit per dnum officialem Pomeranie, qui carceris pena punitus est.

570. (Ibidem). Valentinus baccalarius plebanus in Godzyschewo propter mulierem, quam fovet in domo, ex qua suscepit multam prolem et confessus est se fuisse punitum, qui pena carceris punitus.

571. (Ibidem). Mathias plebanus in Kokoskowo debuit se purgare; Mathias in Wyszyna penam sinodalem non solvit; Nicolaus plebanus in Prangowa non solvit penam; Mathias vicarius in Stargardia se non purgavit; Stayber purgabit se feria II[da]; Wysszeberk se purgabit feria II[da].

572. (Ibidem). Item Petrus plebanus in Clodawa repertus est ignarus in canone et signanter in forma conservacionis Corporis Christi et Sanguinis; condempnatus est in pena sinodali et suspensus a celebracione missarum per III menses, penam tamen sinodalem debet solvere hinc ad diem Sabbati prox., pro quaquidem pena honor. dnus Martinus capellanus Rmi dni incontinenti monuit et retulit se monuisse.

573. (Ibidem). Item honor. dnus Andreas prepositus in Skarschowa confessus est de incontinencia et cohabitacione cum quandam Margaretha muliere et inquisicione in tali repertus est et condempnatus ad carceres per unum mensem ex eo, quod prius sepiusque pro eadem incontinencia punitus et non desistit ac quod erga dnum archidiaconum irreverenter se habuit, et remittitur ad dominum, qui punitus est carcere; tandem post correctionem eliberando se de eadem obligavit [se] penam XVI flor. Hungar hinc et Dominicam Ramispalmarum prox. solvere, et de cetero non servabit utramque concubinam, de quibus infamatus est,

nec eas quomodolibet visitabit sub pena durissimi carceris; quas incontinenti debet dimittere, quamprimum in domum venerit.

574. (Ibidem). Item honor. dnus Petrus commendarius in Sblewo repertus est incontinens et in iudicio confessatus condempnatus est ad penam carceris et et deinde ad faciendam canonicam expurgacionem per vicinos, quod orat. Remissus est ad dominum; qui post correccionem eliberando se de carceribus solvet III flor. Hungar. hinc ad unum mensem.

575. (Ibidem). Item Martinus de Kczina in Garczino plebanus in visitacione repertus est incontinens et in iudicio publice confessus est, quod cohabitat cuidam Dorothee alteri laico nupte mulieri ab annis VIII, ut confessus est solus et etiam punitus est per dnum Officialem Pomeranie in XII flor., non tamen dimisit illam, condempnatus est ad penam carceris per I mensem et ad dominum eciam remissus; qui post correccionem eliberando se de carceribus solvet penam sinodalem V flor. Hungar. hinc et I mensem mulieremque de incontinencia accusatam, ut in deposicionibus contra ipsum receptis continetur, videlicet Dorotheam nomine dimittere et a se reicere sub pena durissimi carceris [tenetur].

576. (Ibidem). Item Mathias commendarius in Dzyerzathno in visitacione repertus est incontinens et in iudicio confessus, quod fovet coctricem, ex qua suscepit iam binam prolem et pro qua incontinencia sepius punitus per antecessores dni Episcopi et suos officiales et non desistit, deputatus est carceribus ac ad dominum remissus.

577. (Ibidem). Item Thomas commendarius in Kyschewo in visitacione repertus incontinens de quadam iuveni muliere, quam in domo fovet ab aliquot annis et in iudicio veniam petivit, condempnatus tamen est ad penam sinodalem.

578. (Ibidem) Item Bernardus plebanus in Wothyslaw prohibitus est servare quandam mulierem Gertrudim sub pena carcerum aut sinodali vel ad arbitrium iudicis indicenda, et eam alienare debet hinc ad festa Pasce eo, quod suspecta est de incontinencia.

579. (Ibidem). Item Paulus commendarius in Rychemberk in visitacione repertus est servare quandam mulierem de incontinencia suspectam, quod et solus confessus est; quam alienabit infra hinc et festa Pasce sub pena carcerum, et hoc fiet pro sua canonica monicione.

580. (Ibidem). Item discreto Iohanni Blandowsky plebano in Cosyerzin de incontinencia suspecto de quadam muliere Anna pro trina canonica monicione indictum est, ne de cetero eam servaret sub pena sinodali vel ad arbitrium iudicis imponenda, necnon eciam aliam suspectam servaret similiter.

581. (Ibidem). Item Laurencius de Nova Civitate commendarius in Chmyelino tenet concubinam, ex qua suscepit multam prolem, et sinodo non comparet.

582. (Ibidem). Item Laurencius de Gedano commendarius in Chylena in inquisicione repertus est suspectus cum quadam muliere suspecta nomine Elizabeth, quam de lupanari dicitur recepisse, propter quod pro trina canonica monicione indictum est sibi, ut eam infra hinc ad quindenam alienaret.

583. (Ibidem). Item Andreas commendarius in Chrabrow in inquisicione repertus est de incontinencia incestuosa cum sorore consobrina una, cui cohabitavit per biennium, in iudicio confessus est et condempnatus ad penam carceris necnon ad dominum remissus.

584. (Ibidem). Item Petrus altarista in Puczky racione machinacionis in mortem cuidam civi in Puczko irrogate et pro aliis excessibus, quod de cetero non faciat, obligabit se et obligat sub pena L flor. Hungar., quod non diffidabit nec machinabit illi civi Iacobo Melchiar in mortem. Insuper iuravit, quod et sub pena periurii a premissis esset prohibitus, pro visitacione autem tabernarum et inebriacione solvet penam I flor. Hungar. et emendam.

585. (Ibidem). Item Martinus Lanthmair commendarius in Myguhal in visitacione repertus est servare mulierem quandam nomine Dorotheam, quam debet alienare infra hinc et Dominicam Reminiscere proximam.

586. (Ibidem). Item Mathias plebanus in Wyschina propter irreverenciam et inmundam observacionem sacramentorum, eo quod vermes et musce in fonte reperti sunt, condempnatus est in pena sinodali, quam reponet hinc ad Sabbatum sub excommunicacionis pena, salva tamen moderacione.

587. (Ibidem). Item Blasius plebanus in Krolow in visitacione repertus est ignarus in canone et signanter in forma consecracionis sanguinis Domini, concubinam fovet, ex qua suscepit binam prolem, prout solus in iudicio confessus, quam debet alienare infra hinc et festum Pasce, condempnatus ad penam carceris et ad dominum remissus, qui post correccionem eliberando se de carceribus solvet penam sinodalem V flor. Hungar. infra hinc et festum Pasce prox. et de cetero concubinam de incontinencia suspectam de domo alienabit hinc similiter ad festum prefatum in canoneque studebit.

588. (Ibidem). Item Nicolaus plebanus in Prangowa in visitacione repertus est de incontinencia de quadam muliere vidua, ad quam visitabat, confessus et per dnum Officialem aliquociens punitum se fuisse pro quadam coctrice, quam iam alienavit, condempnatus tamen est in pena sinodali, quam solvet ad feriam II[dam] prox. post Agnetis, pro qua in iudicio post(s) dnum plebanum Sobkoviensem monitus est.

589. (Ibidem). Item Mathias vicarius in Stargarth in inquisicione repertus et confessatus est de incontinencia cum quadam Margaretha, pro qua antea punitum se recognovit fore per dnum Officialem, attenta sua excusacione, quod dixit eam recepisse, quando infirmus fuit, et post recepcionem ea non fuisse usum, indicta est sibi canonica expurgacio infra hinc et diem Sabbatum, quam faciet metquartus et in defectu expurgacionis solvet penam sinodalem.

590. (Ibidem). Item Albertus commendarius in Sroczko post correctionem eliberando se de carceribus solvet penam V flor. Hungar. pro festo Pasce proximo.

591. (Ibidem). Item Georgius plebanus in Trampky post correctionem eliberando se de carceribus, solvet penam V flor. Hungar., focariam autem non fovebit, sed eam alienabit hinc et festa Pentecostes proxima.

592. (Ibidem). Item Iohannes Thylwol commendarius in Raykow eliberando se post correccionem de carceribus, solvet penam V flor. Hungar. hinc et Dominicam prox. post festum Conversionis s. Pauli.

593. (Ibidem). Item Martinus plebanus in Dzyerzaszno eliberando se post correctionem de carceribus, solvet penam sinodalem V flor. Hungar. hinc et I mensem et peramplius non fovebit mulierem suspectam.

594. (Ibidem). Item Mathias Kyekyebosch de Gedano post correctionem eliberando se de carceribus, solvet pro pena X flor. hinc ad festa Pasce proxima.

595. (Ibidem). Item Stanislaus commendarius in Szyechotowo post correctionem eliberando se de carceribus, solvet penam sinodalem V flor. Hungar. hinc ad Dominicam Conductus Pasce prox. mulieremque hanc, quam fovet, dimittere debet, quamprimum in domum venerit, ex qua prolificavit prolem.

A. 1497, Ianuarii 30, in Comorsko in curia episcopali.

596. (Acta episc. I).. Honor. dnus Michael de Derschovia presbiter.. promisit et se submisit, quod feminam, quam pro coca in domo servat, amodo sub pena XXX flor. [dimittet], sed neque aliam suspectam pro coctrice in domo foveat rebusque se secularibus non misceat statui presbiterali illicitis et de aliqua sedicione in oppido facienda sibi caveat sub bis tanto, prout punitus est..

A. 1497, Februarii 9, in Parkanye in curia episcopali.

597. (Acta episc. I).. Contra religiosum fratrem Iohannem Stelmach de Bydgostia ordinis Carmelitarum ex officio propositum est, quomodo in Sroczko coram excommunicatis ibidem kmethonibus in Dominica Septuagesime divina officia in ecclesia ibidem celebraret, kmethones a sentenciis excommunicacionis absolvit; eodem allegante ignoranciam processuum Rmus dnus comperto ipsum id fecisse non tam ex ignorancia, quam temeritate, mandavit, quod ne ampliora scandala faceret, in alienam diocesim se transferat ille, et priori conventus in presenciarum constituto inhibuit, ne eundem foveat abinde sub censuris ecclesiasticis..

A. 1497, Februarii 10, in Parkanye in curia episcopali.

598. (Acta episc. I).. Vener. dnus Iohannes Laszki decanus Wladislaviensis etc. instigator officii.. coram Rmo.. dno Creslao episcopo etc. contra nobilem Iohannem Carnkowsky vexilliferum Iuniwladislaviensem verbo proposuit, quomodo quamvis cum quadam dna Katherina in Gnoyno contraxerit matrimonium per verba de presenti eidemque per certum tempus commanserit recepta copula in facie ecclesie, eadem tandem dimissa timore Dei postposito cum alia similiter contraxerit et commaneret, petens ipsum compelli ad dimittendum secundam et recolligendum primam tanquam legitimam eidemque commanendum matrimonialiter sub censuris ecclesiasticis ex officio pastorali. Ex adverso prefato dno vexillifero comparente et quasdam litteras arbitrorum secularium concordie inter ipsum et dictam Katherinam facte producente alleganteque insuper fuisse in consistorio Gnesnensi quasdam desuper ordinaciones factas; et dominus non obstante producta concordia mandavit probare clarius de separacione per iudicem ecclesiasticum in forma ecclesie facta hinc ad I mensem; et nichilominus dominus decrevit, quod secundam videlicet Margaretham dimittat realiter et cum effectu, et contra ipsas, ne commaneant, processus monitorii [sunt dati]..

A. 1497, Martii 2, in Lubothin in curia episcopali.

599. (Acta episc. I). In causa honor. dni Iohannis Byelawski plebani in Lubothin.. proposuit idem verbo coram Rmo dno.. contra Iohannem Spyrz, Czaykam, N. Vyeloch et Iacobum kmethones de Ossno, quomodo ipsi ex ortis de agris factis, in quibus arassent et frumenta seminassent, ab annis multis trasactis et sibi seu ecclesie sue de decima requisiti nunquam respondissent nec eam dare vellent,

petens eosdem ad retentorum solucionem compelli et de cetero responderi eos debere. Exadverso dictis kmethonibus personaliter comparentibus et allegantibus eam consuetudinem ab antiquo fuisse, quod nunquam ipsi et predecessores eorum eidem plebano et antecessoribus eiusdem ex agris quomodocunque cultis et seminatis solvissent nec et ipsi solvere tenerentur, petens ipsos circa consuetudinem huiusmodi conservari. Et dnus Rmus.. decrevit retenta solvere et quod de cetero decimam ex ortis ipsorum aratro cultis et quocunque grano frumenti conseminatis prefato dno plebano in Lubothin et pro tempore existentibus solverent sub ecclesiasticis censuris. In continenti dicti kmethones se soluturos decimam obligaverunt, quibus dimisit dnus plebanus retenta..

A. 1497, Septembris 7, Wladislavie.

600. (Acta episc. I). Honor. dnus Nicolaus vicecustos ecclesie cathedr. Wladislaviensis retulit, quod de mandato dni Rmi ad instanciam providi Iohannis dicti Czyeslycz sartoris civis Wladislaviensis citavit Annam uxorem suam ad videndum et audiendum se peti ab eadem separari et divorciari ex causis infrascriptis.. Et incontinenti comparentibus.. prefatis Iohanne actore.. et Anna uxore rea.. idem Iohannes proposuit.. contra eandem Annam, quod ipsa.. deposita honestate et reverencia ac timore viri sui et verecundia hominum sibi Iohanni vite insidiatur, venena diversimode preparando ad intoxicandum eundem et maxime quia annis superioribus adhuc in Chotecz morando prima vice dedit sibi sex araneas tritas in poculo, deinde ibidem pro secunda vice terre morbos alias boletos mortiferos, nuncupatos vulgariter *muchomory* et *poczeczecze*, ex quibus boletis inciderat infirmitatem, nisi cum tempore eiecisset natura et ipse evomuisset, et ab aliis vicibus dabat sibi bibere in poculo menstrua sua, et hoc se sibi fecisse coram pluribus hominibus confessa fuit et confitebatur expresse, subiungens talia verba: Scit dyabolus, iam sibi tot venena dedi, quod iam ignoro, quid sibi amplius dandum sit pro intoxicacione eiusdem, dicens se velle habere curam de serpente et eo experiri de morte sua. Et insuper his non contenta habens commercium illicitum cum quibusdam duobus familiaribus, videlicet Iohanne Luba et Iohanne de Thuliskow dicto Chuy, curiensibus dni Chodeczky, cohabitando et adulterando cum eisdem, pro qua cohabitacione et familiaritate cum eadem fuerant per dnum Chodeczski prefati familiares licenciati, ipsa Anna eosdem familiares tunc iam licenciatos causa nephandi sceleris in oppido eodem Chodecz retraxit pariter et nutrivit ad finem, quod ipsum interemissent, quos ad hoc faciendum subordinaverat. Postea vero vice altera habens etiam illicita contubernia cum Iohanne ministro ecclesie in Chodecz secum adulterando eum etiam similiter subordinaverat ad eundem interficiendum, qui uno semel sedebat noctis tempore post hostium cum gladio, quem avunculus suus honor. dnus Albertus bacalarius, predicator ecclesie Wladislaviensis, tunc taliter sedentem invenerat, qui clericus sive minister consciencia ductus, crastina veniens die, eundem palam coram hominibus rogavit, quod sibi dimitteret rancorem asserens et publice confitens eundem ex subordinacione uxoris sue voluisse occidere. Et quamvis multa voluisset contra eam talia vel maiora proposuisse, tamen propter difficultatem probacionum maluit supersedere, hoc tamen.. proponendo, quod ipsa contra honestatem suam.. solet sepius et sepissime veluti insaciata bestia cum diversis personis status utriusque adulterari.. prout eciam nuper cui-

dam Alberto saratori trabium sive asserum V. Rme Ptis se iunxit et cum eodem continue solet convenire ad nephanda sua facinora peragenda in domos cuiusdam civis Zayanczek ad celarium, et altera Ielonkowa et quadam domo fracta lapidea et nuper videlicet de Sabbato prox. lapso in dominicum diem reperti sunt in laterificio mutuo de mane iacentes; qui Albertus sarator iam omni timore deposito eam ut suam solet percutere, prout et a duabus septimanis eandem in domo prefati Zayanczek vulneraverat; petens se ab eadem separari et divorciari et ad solucionem damnorum, que sibi intulit eam cogi.. Ex adverso prefata Anna.. quantum de insidiacione vite sue confessa est his verbis: Ex quo ille stat michi pro morte, quare et ego idem sibi facere non debeam? — quantum vero concernit adulterium, negavit..

A. 1497, Septembris 22, Bidgostie in curia episcopali.

601. (Acta episc. I). In causa Rdi patris dni Vyelislai abbatis et conventus monasterii Corunoviensis, honor. dnus Stanislaus Nyeczyschewski plebanus in Lyskowo procurator seu sindicus.. ad comparendum coram Rmo dno.. constitutus.. contra nobilem Iohannem Groth de Bidgostia et laboriosos omnes et singulos kmethones de Barthodzyeye pro parte prefati dni abbatis et sui conventus Corunoviensis verbo proposuit, quomodo ipsi in borris monasterii eorum, nichil ad id iuris habentes mellificia ipsis facerent eademque sibi usurparent, occuparent a multis annis utilitates mellis percipientes et ipsum dnum abbatem in eo ad CC sexagenas dampnificarent.. petens sibi in tanto condempnari ipsos et ad dimittendum eadem mellificia cogi atque ipsos prohiberi, ne se de cetero ad ea ingererent, que sunt monasterii mellificia ipsa et borras, offerens se super earum proprietate iura reproducendum, in quantum opus fieret.

Ex adverso prefati Iohannes Groth et kmethones de Barthodzyeye.. negarunt se mellificia habere in borris dni abbatis, allegantes eas borras esse regias, in quibus mellificia haberent, et non monasterii.. Et Rmus dnus.. ad reponendum desuper coram sua Rma Pte in Parkanye terminum partibus ipsis peremptorium.. prefixit ad octavum..

602. (Ibidem). Rmus.. dnus Creslaus D. g. episcopus etc. attendens retroactis temporibus elemosinarum ecclesie testamentaliter legatarum seu quomodolibet donatarum inordinatam conservationem et indebitam earum dispensationem, ne taliter de cetero fieret. providere volens, instituit, decrevit et mandavit, ut pecunie resque alie in erario ecclesiastico parochialis Bidgostiensis conserventur et deponantur sub tribus clavibus, quarum unam plebanus seu eius vicesgerens, aliam consulatus et tertiam vitrici ecclesie oppidi Bidgostiensis habeant et exponant pro necessitate ecclesie de unanimi consensu, semel ad minus de perceptis et expositis racionem faciant, et si opus est, vitricos varient et de novo instituant in vel circa festum Circumcisionis Dni, ut alias in huiusmodi negociis statuto provinciali innitatur..

A. 1497, Octobris 6, in Parkanye in curia episcopali.

603. (Acta episc. I). Nobilis Laurencius Cobyeliczky patronus ecclesie in Cobyelicze.. contra honor. Mathiam plebanum de eadem Cobyelicze.. denuntiando ipsum plebanum super certis excessibus pariter et criminibus per eum in parochia in scan-

dalum subditorum suorum patratis.. proposuit in iudicio.. quod ipse a certis temporibus cuidam Elizabeth.. Petri Curek kmethonis de Cobyelicze uxori nepharie adhesit eandemque sepe sepiusque in suam domum vocando et admittendo cum eadem illicita contubernia habuit et adulteratus est cum eadem carnaliter commiscendo in scandalum ceterorum Christifidelium et suorum subditorum. Item quod est continuus tabernator et sepe sepiusque intrat tabernas et communi vulgo conversatur, in eisdem bibendo.. cum scandalo suorum subditorum. Item quia in eisdem tabernis sedens solet inter laicos sediciones excitare et ipsemet facit et presertim ex anno presenti uno dierum idem plebanus sedens cum dicta Elizabeth concubina sua palam publice coram pluribus hominibus utriusque status suorum parochianorum, postquam unus laicorum Iohannes Payak detestatus suam huiuscemodi scandalosam cum muliere, de qua est suspectus, sessionem, habuit mulieri dicere ista verba: pessima rebaca, tu hic sedes bibendo et maritus tuus graviter laborat, vadas melius ad maritum laborare; idem plebanus hiis auditis suggessit et dixit mulieri predicte: surgas et percucias istum laicum ad bucam; que statim surgens ex instigacione plebani ipsum laicum ad bucam percussit; quam [mulierem] postea ribaldus sive laicus predictus per crines rapuit et fortiter depilavit, itaque inter capilandum ipsa Elizabeth digitum laico amputavit; itaque dictus plebanus se enormitatibus et sedicionibus immiscuit. Preterea anno eodem, dum et quando Rmus ..dnus Episcopus Cuyaviensis fuit in provinciali sinodo Clodawiensi, idem plebanus contra prefatum Petrum Curek maritum concubine sue certos laicos ad percuciendum, immoverius eundem interficiendum subordinavit, qui ex eadem subordinacione eundem Petrum percusserunt et atrociter vulneraverunt, sic quod vix semivivus evasit; itaque idem plebanus sevis actibus et enormitatibus [se] immiscendo in maximum scandalum Christifidelium et maxime suorum parochianorum, preterea ipse plebanus propter contubernia cum dicta Elizabeth habita et facinora predicta fuit occasio recessus dicte Elizabeth a predicto Petro Curek marito suo, eo quod ipsa mulier a marito suo recessit, nescitur quo vagabunda. Finaliter vero contra eundem plebanum dicit atque proponit, quod cum eidem per ipsum dominum Cobyeliczky patronum fuisset comminatum, quod vellet eum Rmo dno Episcopo super talibus excessibus deferre et denunciare, ille ..maledicens ipsi dno Episcopo pastori suo ausus est licet temere et improbe dicere talia verba, premisso verbo communi probro: *chloscz* mater *byskupowy,* adhuc ego citabo episcopum ad Romam et recipiet eum dyabolus, et ego ero hic in Cobyelicze plebanus; — in presencia dicti plebani, qui.. negavit narrata..

A. 1497, Novembris 6, in Raciąż in curia episcopali.

604. (Acta episc. I). Honor. Iohannes Syeczich presbiter plebanus in Szosnka et mansionarius Wladislaviensis compertus inquisitione legitima quandam Elenam feminam suspectam secum in domicilio servasse et post admonicionem ex mandato Rmi dni per vicarium in Spiritualibus dnum Mathiam Cosczyeski tunc officialem Wladislaviensem factam, ut eam a se alienasset, tenere et observare ac continuo tabernas visitare et aleam sepenumero tractasse et tractare in detestacionem status et ordinis presbiteralis, ad solvendam penam sinodalem III marcarum.. condempnatur inhibitumque est eidem, ut sub pena carceris dictam feminam, sed

nec aliquam aliam suspectam in domo teneat.. et quod de cetero tabernas non frequentet..

605. (Ibidem). Honor. Iohannes Myasga presbiter gracialis circa ecclesiam Wladislaviensem super usura accusatus et suspectus communi fere fama canonicam de se faciat expurgacionem cum IV presbiteris.. quod eius criminis non sit neque fuerit unquam obnoxius, coram Rmo dno die III post festum Epiphaniarum.

606. (Ibidem). Honor. Iohannes de Pilchuthkowo accusatus de incontinencia et quod ex quadam Anna procreasset et hactenus sibi commanet; confitenti antequam ordinaretur in presbiterum et alleganti postea nunquam sibi coniunxisse et prolem suam non esse credidisse, Rmus dnus.. purgacionem canonicam per metquintum presbiteros faciendam.. indixit.

607. (Ibidem). Honor. Mathias advocatus civitatis et altarista ecclesie Wladislaviensis de incontinencia et generacione prolis ac baptismalium (s) necnon multis aliis scandalis ..inculpatus et per confessionem culpabilis repertus petivit veniam a Rmo dno, qui pena carceris ipsum puniendum fore decrevit et in turrim deponi mandavit, et evestigio deponitur illuc.

608. (Ibidem). Honor. dnus Mathias Vitek substitutus vicarialis in ecclesia Wladislaviensi de quadam muliere fornicaria sibi et ebrietatibus visitacioneque frequenti tabernarum et multis scandalis et presertim de contencione in ecclesia cum vicedecano inculpatus et ex testium deposicionibus culpabilis compertus, petivit veniam super premissis excessibus a Rmo dno, qui ad puniendum carceri ipsum deputavit..

609. (Ibidem). Honor. dnus Albertus de Chotecz vicarius et mansionarius atque predicator ecclesie Wladislaviensis in certis scandalis notoriis etiam incontinentie per inquisicionem sufficientem compertus et confessus veniam petivit; dominus vero carcere eundem aliquot decem diebus.. puniens emisit, itaque non recidivet sub pena arbitraria sibi per Rmum dnum infligenda.

610. (Ibidem). Dnus Albertus Candziorka vicarius in Raczyansch racione delictorum, excessuum et scandalorum, contentionum, tabernarum et incontinentie, super quibus veniam petivit, carcerum pena puniendus per Rmum dominum decernitur..

A. 1497, Novembris 13, in Czyechoczin in curia episcopali.

611. (Acta episc. I).. Honor. Laurencius de antiqua Nyesschowa plebanus in Michale pro certis excessibus inculpatus et presertim, quod sinodo Sobkoviensi per Rmum dnum celebrate non interfuerit, penam sinodalem luit, quam salva moderatione solvet. Cui Rmus dnus inhibuit, ne aliquod fieret scandalum de eo et Elizabeth femina, quam fovet in domo, de qua suspectus sue Pti Rme fuerat; item ne in domo plebanali sua propinet ita cervisiam, ut passim homines apud se ad ordinem alias *narzand* locaret, etsi in hiis recidivaverit, pena carceris punietur..

A. 1499, Martii 1, in consistorio.

612. (Acta offic. III). In causa officii contra discretum Alexandrum ministrum ecclesie in Choczen, Stanislaus de Brzozowo instigator officii.. in presencia

ipsius [Alexandri] proposuit, quomodo ipse anno prox. preterito per dnum visitatorem, per Rmum.. dnum Creslaum D. g. episcopum Wladislaviensem et R. P. cancellarium ad conspiciendum ecclesias sue diocesis deputatum, est cum quadam Dorothea, de qua multum est suspectus, per memoratum dnum visitatorem preventus, de qua aliis hominibus scandala non modica dabat, petens nichilominus eundem a mutua cohabitacione compelli. Et ibidem Alexander.. confessus est articulum fuisse verum; et dominus ex confessatis ipsi caucionem fideiussoriam, quod cum eadem cohabitare non deberet, prestare decrevit..

A. 1499, Martii 25, in consistorio.

613. (Acta offic. III).. Nobilis Creslaus Trzebochowsky.. recognovit, quia Rmo.. dno Creslao D. g. episcopo Wladislaviensi et R. P. cancellario pro uno lapide cere racione capitis per cmethones dicti nobilis Trzebochowsky interempti satisfecit, quem nobilis dnus Petrus de Lyppye tenutarius Wladislaviensis de prefato lapide cere quittavit, quantum autem ad X marcas numeri Polon. in solidis cmethonibus consanguineis dicti interempti prefatus nobilis Trzebochowsky pro suis cmethonibus se principalem posuit tali condicione, quod si et in quantum sui cmethones cmethonibus Rmi pro dicto capite non satisfecissent, extunc dictus nobilis sub censuris ecclesiasticis se satisfacere obligavit..

A. 1499, Iunii 11, in Raciąż in curia episcopali.

614. (Acta episc. I). Nobilis Iohannes Iarunthowsky de Maiori Iarunthowicze.. contra honor. Albertum Obalkowsky plebanum in Ossyaczini.. proposuit, quod ipse.. eum excommnnicavit et coram plebis multitudine.. publice denunciavit.. in eius vilipendium et gravamen, presente prefato Alberto plebano ex adverso allegante.. eum fuisse excommunicatum racione contumacie.. docendo incontinenti per citacionis et contumacie processus.. Et dominus visis processibus decrevit canonice fuisse excommunicatum et ipsum plebanum ab.. impeticione ipsius Iarunthowsky absolvit. Et incontinenti prefatus dnus plebanus contra eundem proposuit, quod ipse.. veluti ovis erratica ecclesiam parochialem suam in Ossyaczini dimittens.. se divertit ad alias et in eadem ecclesia sua sacramentis ecclesie videlicet penitencie et Sacre Eucaristie per annos III.. sese non procuravit neque divina officia audit et maxime diebus Dominicis contra disposicionem Sacrorum canonum.

Item proposuit, quod ipse in scandalum plurimorum Christifidelium non modicum.. pecunias dat ad usuras et super pignora et signanter nobilibus et presertim, quia dedit pecunias super agros et culturas kmethonum certorum, videlicet cuiusdam Simonis Mleczko et aliorum kmethonum quamplurium, petens eundem a prefatis facinoribus iuxta canonicas sanctiones cohiberi et ad audiendum divina officia ac ad percipiendum sacramenta in sua ecclesia compelli; presente aduc ibidem dicto nobili Iarunthowsky allegante se habere indultum audiendi missas et sacramenta percipiendi in ecclesiis monasteriorum ordinis fratrum Minorum conventualium ordinis s. Francisci a religioso patre Gregorio custode Gneznensi obtentum, quod ibidem incontinenti exhibuit.. petens ipsi plebano super huiusmodi vexacionibus silencium imponi. Ad aliam autem proposicionem de usuris.. confessus est.. mutuasse pecunias ad pignora et agros predictos et percepisse et

percipere census et labores ab eisdem kmethonibus provenientes sub exportacione capitalis summe, prout alias per multos terrigenas in regno, ut asserit, de consuetudine dudum fuit tentum et observatum, petens se ab ipsius dni plebani instancia et impeticione absolvi; prefato plebano aduc ibi presente, allegante precepto ecclesie de audiendo missas et de confitendo et percipiendo sacramenta in sua parochia quolibet anno non fuisse satisfactum per dictum dnum Iarunthowsky nec eciam predicto indulto probatum; quinimmo prefato plebano asserente dictum indultum fuisse temerarium.. et contra iuris disposicionem datum, petens tale apud acta reponi in aresto, insuper allegante, quod dicti monachi, non petita licencia apud ordinarium ad eligendum confessores nec electos, si quos elegerint, presentandos, se intromittunt temere de audiendis confessionibus, iniungendis penitenciis et Eukaristie sacre sacramenti ministerio contra sacrorum canonum prohibicionem, et propterea prefatum Iarunthowsky non satisfecisse constitucioni ecclesie katholice, petens, ipsum ad percipienda sacramenta in sua parochia et similiter missas audiendum compelli et in monachos pro excessu huiusmodi animadversionem ordinariam extendi. Et dominus huiusmodi religiosos fratres Minores de monasterio Nyesschoviensi predictos et maxime seniorem.. citandum decrevit ad respondendum super obiectis huiusmodi; et super aliis confessatis in iudicio infrahinc et III ebdomadas suam pronunciabit voluntatem..

A. 1499, Iunii 19, in consistorio.

615. (Acta offic. III). In causa.. Laurencii de Slupcze contra mgrum Martinum de Wolborz rectorem scole Wladislaviensis occasione certi salarii deserviti, Stanislaus [de Brzozowo procurator Laurencii].. proposuit, quod quamvis dictus mgr. Martinus de Volborz dictum Laurencium in coadiutorem suum in serviendum in scola Wladislaviensi seu ad legendum et docendum scolares et alias in locatum convenerit ac eidem pro quolibet quartali anni I flor. Hungar. pro servicio per ipsum exibito solvere debuerit, prout eidem precedenti quartali solvit, nichilominus dictus mgr. Martinus dicto Laurencio I flor. Hungar. pro quartali incipiendo a f. IV post Dom. Invocavit et f. IV post festum Pentecosten finito pro servicio dicti Laurencii I flor. Hungar. sibi solvere.. recusat, petens ipsum in eodem condemnari..

A. 1499, Iulii 3, in Raciąż in curia episcopali.

616. (Acta episc. I).. Rmus dnus iuxta exigentiam termini.. nobili dno Iohanni de Maiori Iarunthovicze ad.. audiendum pronunciari sue Rme Ptis voluntatem super quibusdam productis per ipsum litteris seu indulto de confitendo et percipiendis sacramentis ecclesie, item audiendis missis seu divinis libere in monasteriis Minorum per quendam Gregorium custodem Minorum conventus Gneznensis eidem concesso, item super pecuniis per ipsum nobilem ad usuram datis in presentia eiusdem nobilis Iohannis suam pronunciavit voluntatem et decrevit litteras huiusmodi in preiudicium iuris parochialis fuisse.. datas.. proptereaque ipsum dnum Iohannem teneri ad confitendum suo sacerdoti sive plebano, in quacunque parochia eum residere contigerit, ab eodemque sacramentum Eucaristie.. percipere et audire divina sub ecclesiasticis censuris. Ceterum sua Ptas Rma mitius, quam rigor iuris requirit, cum eodem agendo prohibuit, ne amodo.. a pecu-

niis super agros quorumcunque kmethonum mutuatis per ipsum usuram sub vocabulo census recipere non audeat nec sub eo pacto pecunias mutuo cuiquam hominum det seu tradat, permovente eum qualicunque consuetudine regni utpote prava et iniqua, de percepta vero ex dictis agris usura aut veniam ab impignorantibus seu ratihabicionem impetret aut singula recepta restituat et sue Rme Pti oportune desuper testimonium sufficiens representet similibus ecclesiasticis sub censuris..

A. 1499, Septembris 2, in consistorio.

617. (Acta offic. III).. Constitutus personaliter coram vener. viro dno Paulo de Byesdrowo custode Wladislaviensi, vener. dni Nicolai de Chudzino artium liberalium mgri canonici vicariique in Spiritualibus et officialis Wladislaviensis generalis surrogato.. egregius vir dnus Iohannes de Basilia Rmi.. dni Creslai D. g. episcopi Wladislaviensis et R. P. cancellarii phisicus.. recognovit, se domum suam in summo Wladislaviensi situatam, quam de consensu universitatis vicariorum eiusdem ecclesie Wladislaviensis propriis pecuniis et impensis reformavit et alias in suis edificiis ruginosis restauravit, vendidisse honor. dnis Przybislao et Nicolao de Lankoczino fratribus germanis, vicariis perpetuis dicte ecclesie Wladislaviensis, in solidum pro XX marcis num. Polon. in solidis, ad quarumquidem XX marcarum [racionem] dixit se iam a predictis dnis Przybislao et Nicolao XVI flor. Hungar. recepisse, residuum vero prefati dni germani, per prefatum dnum Iohannem doctorem in medicinis quam primum requisiti fuerint, eidem sub censuris ecclesiasticis solvere tenebuntur ipseque dnus doctor caminatam per eum edificari inceptam successive continuare et in toto consumare debebit, ad quod se sponte submisit, ea tamen condicione in predicta vendicione apposita, quod si et in quantum prefatus Rmus dnus Epus Wladislaviensis predictum dnum Iohannem doctorem in medicinis ad sue Rme Ptis curiam revocaverit, ita quod ipse dnus doctor propter servicia sue Rme Pti facienda in hac civitate residencia indiguerit personali, extunc domum predictam, sic ut premittitur, venditam, restituta summa sive parcialiter sive integraliter per eum recepta, sine quavis difficultate et contradictione debebit rehabere et possidere. Et insuper, ne anime quondam Iohannis Przewyeczersky plebani in Ossyaczini vicarii perpetui ecclesie Wladislav., qui ante ea dictam domum possidebat et de ea moriturus disposuerat, que disposicio forte non venerat in effectum, in aliquo preiudicaretur, memoratus dnus Iohannes doctor prefatos dnos Przybislaum et Nicolaum germanos ad legendum aliquot tricesimas pro anima ipsius defuncti iuxta arbitrium ipsorum et conscienciam obligavit..

A. 1499, Septembris 18, Wladislavie in curia episcopali.

618. (Acta episc. I). Sentencia condempnatoria Ade de Radzyeow heretici. — In nomine Dni amen. Christus Deus et salvator, vitis vera, cuius pater agricola est, discipulos ceterosque fideles suos in illis instruens inquit: Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet. Cuius summi doctoris et magistri doctrinam sequentes et precepta, nos Creslaus, Dei et apostolice sedis gracia episcopus Wladislaviensis et R. P. cancellarius, in hac causa heretice pravitatis, per promotorem fidei sive instigatorem officii huic Ade de Radzyeow presenti mota, recepta primitus desuper sufficienti inquisicione, fama publica referente et

clamorosa insinuacione monstrante ex actis cause et processu invenimus ipsum Adam nonnullos hereticos articulos et erroneos maxime tamen de communione sub utraque specie tenuisse, asseruisse et defendisse necnon illum sceleratissimum hominem Rokicinianum notorium hereticum, illorum dampnate memorie Iohannis Hussinecz et Ieronimi heresiarcharum in sacro concilio Constanciensi generali condempnatorum sectatorem, laudasse et de virtutibus, vita, moribus, scientia et fide commendasse et extulisse sibique servivisse nonnullis annis et errorem hereticorum Bohemorum, quam fidem dicebat, summe laudasse et conmmendasse et pro illa mori voluisse, itaque dictorum Iohannis Hush, Ieronimi et Rokiciani heresiarchis et eorum erroribus adhesisse ipsorumque fautorem et defensorem ac eis credentem fuisse et esse, preterea manu ordinatoria sibi non imposita missas celebrasse et idolatrasse et sacramenta contrectasse et administrasse et ita a canone inabilitatum sacros clericorum ordines etiam furtim et sine titulo assumpsisse, licet temerarie ad talia se ingerendo et propterea ipsum Adam veluti palmitem putridam, aridam, in vita non manentem foras mittendum decernimus ipsumque hereticum excommunicatum, anathemisatum pronunciamus, declaramus et dampnamus unacum dicto Rokiciano. Et quia per hec, que vidimus, audivimus, cognovimus eundem Adam pertinacem incorrigibilem et adeo talem, quod non cupiebat ad gremium s. matris ecclesie ipsum amplectentis redire neque errores et hereses per eum publice defensatas velle abiurare, idcirco ipsum Adam ab ordine sacerdotali et omnibus aliis ordinibus et dignitatibus, quibus existit insignitus, deponendum et degradandum fore declaramus et decernimus et presentibus verbaliter deponimus, degradamus, exuimus et spoliamus omni ordine, beneficio et privilegio clericali et solenniter, ut in pontificali: »O Iuda« et finaliter auctoritate Dei omnipotentis patris et filii et Spiritus s. ac nostra tibi auferimus habitum clericalem et deponimus, degradamus, spoliamus et exuimus te omni ordine, beneficio et ordine clericali et arbitrio iudicis secularis nobis presentialiter assistentis relinquimus bonaque omnia tua mobilia et immobilia, prout ipso iure veniunt, confiscamus et publico fisco deputamus per secularem iudicem auferenda.

A. 1499, Octobris 1, in Chelmcze in curia episcopali.

619. (Acta episc. I). In causa illibertatis decime in Zegothki, honor. Iohannes de Panczelicze procurator.. honor. Stanislai in Crusvicza vicarii.. contra nobiles Stanislaum Gorski, Stiborium et Stanislaum Wronowski de Zegothki verbo proposuit, quomodo anno presenti decimam post araturas suas sine scitu eius decimaverunt et iniuste decimam dederunt, in quo se dampnificatum esse dixit in tota decima in XII marcis, petens eos cogi ad solucionem XII marcarum pro tota decima; presentibus dictis nobilibus et se decimasse iuste et consuetudinem per se et sine presentia aliorum vicariorum predecessorum ipsius Stanislai decimandi allegantibus, alias nolle conducere decimam decerni petentibus; proponente etiam, quod decimam huiusmodi inter se distraxerunt et quilibet eorum post araturam suam in domum suam conduxerunt, allegantibus ipsis, quod facerent istud iuxta antiquam consuetudinem racione straminum usui ipsorum convertendorum. Et dominus auditis propositis, responsis et altricationibus in defectu probacionis actorum decrevit iuramentum de iusta decimacione predictis nobilibus, quod iuramentum nobilis Stanislaus ad imaginem Crucifixi iudicialiter pre-

stitit, reliquos vero a iuramento prestando liberos dimisit predictus dnus Stanislaus vicarius; decrevit etiam dominus, quod decetero prefati nobiles vocent prefatum Stanislaum vicarium ad interessendum decimacioni tribus ante diebus, ita quod non deciment, nisi eo presente seu cui ipse commiserit decimacioni adesse, et quod post omnium araturas ad unum [locum] conducant decimam, quem ipse Stanislaus sibi elegerit seu si voluerit alternative, prout sibi commodius videbitur, quodque in disposicione et vendicione percepcioneque decime et straminum nullus dictorum nobilium ipsum Stanislaum et successores vicarios impedire et inquietare debet sub censuris ecclesiasticis..

A. 1499, Octobris 14, in Chelmcze in curia episcopali.

620. (Acta episc. I). Privilegium Chelmcze et Kyczko villarum super kmethonum laboribus. — In nomine dni amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia gesta hominum plerumque ab humana temporum vetustate labuntur memoria, sagax hominum industria statuit ea litterarum, scriptura et sigillorum appensione perhennari. Unde nos Petrus de Bnyn D. g. episcopus Wladislaviensis significamus tenore presencium universis, quomodo volentes kmethones villarum mense nostre episcopalis Chelmcze et Kyczko in laboribus per eo nobis impendi solitis habere supportatos et alleviatos, utque eos attenciores et diligenciores se circa ipsos nostros exhibeant labores, ad talem cum ipsis nostris kmethonibus de eorum unanini voluntate ac consensu et sub ratihabicione venerabilium fratrum nostrorum dnorum prelatorum et canonicorum ecclesie nostre Wladislaviensis super laboribus ipsis devenimus ordinacionem, videlicet quod kmethones prefatarum villarum nostrarum Chelmcze et Kyczko pro tempore existentes duntaxat unam diem in qualibet septimana nobis et successoribus nostris fideliter laborabunt singulique eorum de uno manso cum uno aratro et de duobus mediis mansis similiter cum uno aratro nobis et successoribus nostris arare tenebuntur et erunt obligati, ita tamen quod ad laborem eis pro illa die deputatum exibunt in ortu et usque in occasum solis ipsum continuabunt laborem. Si quis vero eorum in ortu solis ad laborandum ire neglexerit aut eciam ipsum laborem ad occasum solis non continuaverit, extunc tociens quociens negligens repertus fuerit, tociens II gr. nobis et successoribus nostris dare et solvere debebit. Et nichilominus sequentem diem, sicut premissum est, laborare tenebitur et sit astrictus. Non debebunt tamen ipsi kmethones nostri pro die fori ad laborandum per nos et successores nostros stringi et compelli, sed ipso die fori ab omni nostro et successorum nostrorum labore erunt penitus liberi et absoluti; hoc tamen specialiter expresso, quod ipsi kmethones nostri tenebuntur omnia prata nostra et avenam in Chelmcze et Kyczko, quando eis mandabitur, falcastrare, rastrare et artomare, alias *zgrabycz y stozycz*, et ad orea nostra conducere. Qui labor eis pro die laboris conputari non debet. Alii tamen omnes labores, quos nobis et successoribus nostris fecerint, ipsis pro die laboris computabuntur; tenebuntur eciam ipsi kmethones nostri, quilibet de suo manso, cum uno messorio alias *syerpem* frumenta nostra pro die laboris metere. Quandocunque vero kmethones ipsi ex mandato nostro aut successorum nostrorum frumenta nostra ad Vislam conduxerint, extunc quotcunque dies in conductione ipsorum frumentorum et in redeundo pensaverint, totidem dies septimanarum predictarum laborum, ut prefertur, debitarum eis defalcari

debent; pro conductione vero lignorum ad curiam nostram in Chelmcze necessariorum ipsi kmethones nostri de II mansis duntaxat unum currum mittent et expedient. Tenebuntur tamen tam magnum currum lignorum, prout eis, postquam ligna emunt, conducunt, et pro curia nostra conducere; postquam vero ipsi kmethones nostri ad convocacionem alias *thloka* per nos aut successores nostros petiti fuerint, extunc eos prandio et cena tenebuntur providere et procurare. In quorum fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum sigilla nostrum et capituli nostri presentibus sunt subappensa. Actum et datum Wladislavie f. V^ta^ infra octavam Assumptionis b. Marie virginis an. Dni 1487 capitulo generali tunc durante; presentibus ibidem et consencientibus vener. dnis Nicolao de Cosczelecz preposito, Petro de Lang decano, Paulo de Lyczky archidiacono, Alberto de Xyansch scolastico, Alberto de Crethkowo cantore, Stanislao de Brudzewo, Iacobo de Dominicovicze, Nicolao de Prziwyeczerzino decretorum doctore, Cristino de Bowąthowo, Vislao Kyelbassa de Thymyenyecz, Iohanne Lanka de Czechoslawicze, Laskario de Bronisschewo et Iohanne de Brzostowo, prelatis et canonicis ecclesie nostre predicte Wladislaviensis ad premissa testibus.

621. (Ibidem). Sequitur privilegium scultetorum et kmethonum Sosnka ville mense episcopalis — In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Iohannes D. g. episcopus Wladislaviensis significamus tenore presencium, quibus expedit, universis presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quod Iohannes, Venceslaus cum Derska uxore, Martinus et Petrus sculteti de Sosnka villa nostre mense episcopalis, in districtu Radzyeoviensi iacente et ad castellaniam nostram Raczansensem pertinente, ad nostram venientes presenciam privilegium super ipsorum scultecia in parte destructum et corruptum, timentes ipsis et eorum posteris exinde periculum imminere, nobis presentarunt humiliter supplicantes, quatenus ipsis privilegium cum innovacione et omni iure antiqui privilegii concedere dignaremur. Nos igitur votis eorum benigniter annuentes sub ratihabicione vener. dnorum fratrum nostrorum capituli nostri Wladislaviensis prefatis scultetis privilegium novum sub punctis et clausulis antiqui privilegii donavimus et dedimus in hunc modum: ita quod dicti sculteti et eorum posteri III mansos liberos a censu et I ortulanum in dicta villa Sosnka iure hereditario perpetue possidebunt pacifice et quiete; incole vero ville predicte racione census III fertones monete Pruthenicalis et numeri Polonicalis aut similiter III fertones monete et numeri Polonicalis, et hoc erit in opcione nostra, de quolibet manso super festo b. Martini et X ova super festo Pasche necnon II pullos super festo Assumpcionis b. Marie virginis gloriose annis singulis nobis et nostris successoribus solvere tenebuntur. Iudicabunt quoque sculteti predicti et sui posteri omnes causas magnas et parvas infra terminos eiusdem hereditatis contigentes iure Theutonico Magidburgensi presente nostro nuncio generali speciali ad hoc misso, de iudicatis quoque et iuramentis, similiter de penis et tabernis nos et nostri successores II denarios, sculteti vero predicti et ipsorum posteri tercium recipiemus. Decimam autem manipularem omnium frumentorum in campo, excepta decima lini, quam dare non debent, nobis et nostris successoribus solvere sint astricti. Statuimus insuper, quod dicti sculteti ac eorum posteri et incole ville predicte procuratorem nostrum et nostrorum successorum ter in anno recipient ad faciendum colloquium generale, cui cum sua comitiva sculteti et eorum posteri unum prandium et incole duo mi-

nistrabunt aut pro quolibet prandio XV gr. Polonicales solvere tenebuntur. Preterea kmethones ville predicte unam diem ad hyemalia et unam ad estivalia arare et unam fenum falcare et hocidem cumulare et usque ad orreum nostrum et nostrorum successorum conducere tenebuntur. Insuper concedimus dictis scultetis et eorum posteris pecora et pecudes servare et in hereditate pascere absque damno nostro et impedimento kmethonum. Ceterum si nos vel nostros successores adversus scultetos predictos vel eorum posteros aliquid agere contingat, ipsi coram nobis vel nostro tenutario seu capitaneo Racząsensi et iudice, quem ad hoc poneremus vel ponet ibidem in hereditate, iure Magidburgensi predicto respondebunt. Preterea predicti sculteti et eorum posteri et incole ville supradicte nobis et nostris successoribus honores, peticiones et servicia exhibebunt, prout hoc ipsum ius Magidburgense exigit et requirit. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem nostrum et dicti nostri capituli sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum Wladislavie f. II[da] in crastino Epiphanie Dni in capitulo generali anno eiusdem MCCCCXXVI. Presentibus ibidem vener. et honor. dnis Iohanne de Sluchowa archidiacono, Predvogio de Grandi cantore, Paulo Wladimiri et Nicolao de Kyky decretorum doctore, Petro Cluka, Stanislao Chebde de Nyewyesch, mgro Laurencio de Borzabsko, Sandiwogio, Iarando de Byernaczicze, Iohanne de Mlodanino et Petro Hungaro, prelatis et canonicis Wladislaviensibus etc.

A. 1499, Novembris 15, in Chelmcze in curia episcopali.

622. (Acta episc. I).. In causa officii instigator contra discretum Mathiam presbiterum de Przedecz coram Rmo dno proposuit verbo, quomodo ipse Mathias ex sinodo Wladislaviensi nuper celebrata, ubi tunc Adam de Radzyeow de heresi convictus supplicio ignis periit, reversus in Przedecz certo die coram certis viris eadem fortassis heresi, qua et ipse Adam, infectus ausus est dicere, quod nullus doctorum potuisset dictum Adam convincere et quod omnes doctores suis argumentis ita repressisset a se, sicut canes calido lavacro de coquinis pelluntur, alias vulgariter: *tako ony rzeczy parzyl od syebye, yako pssy z kuchnyey parzą varem,* fautorem et defensorem hereticorum se in eo exhibendo; et quod dnus Rmus tunc in actu presidens considerans, quod nullus eum vincere potuisset, iratus mandavit eum tacere et quod solummodo dnus provincialis et inquisitor heretice pravitatis contra eum fortius arguisset, aliis omnino cessantibus, per hoc affirmans eundem Adam hereticum convictum sententiatum et igne exterminatum bene tenuisse, quod tamen est contra fidem katholicam, petens eum tanquam hereticum servatis servandis puniri.

Item proposuit, quomodo idem Mathias presbiter sigillum confessionis apperuit, ostendit et tradidit cuidam oppidano in Przedecz de uxore sua super quodam crimine et excessu per ipsam commisso sibi confesso, postquam eadem uxor dicto Mathie residuum medie marce solvere recusavit, quam in confessione sibi dari pro penitentia iniunxit, prout medietatem eiusdem marce depactatam recepit timore Dei postposito et contra sacrorum canonum disposicionem, petens in eum decretam canonis animadversionem extendi.

Item proposuit, quomodo certa die Dominica in presentia populi ad divina congregati fecit clamores in ecclesia parochiali Przedeczensi, dum quidam processus de Gnezna virtute laudi exequendus peteretur a vicario dicte ecclesie, voce clara

et vehementi prorumpens in eundęm vicarium, quod esset rudis et nesciret, quid facturus esset cum eodem processu, ad infamiam dicti vicarii et levipendium tendens, petens eum propterea puniri.

Item proposuit, quomodo idem Mathias presbiter sui status immemor sacerdotalis continuaret ebrietates, in tabernis contenderet frequentissime, moribus sacerdotum detraheret, verba inhonesta passim et scurilia coram ribaldis licenciose diceret in tabernis, petens excessus huiusmodi suos coherceri, prout de iure, ne vergant hic sua scandala in malum exemplum bonis mentibus et periculum animarum Christifidelium; in presentia prefati Mathie ad primum articulum respondentis se dixisse non ex animo deliberato sed ex levitate et fatuitate hec solummodo verba vel hiis similia, quod ille Adam quamvis pauper erravisset, si tamen revocasset, obtinuisset veniam, sed quia noluit et importune egit, punitus est igni; et quod cum noluisset respondere ad propositum, dnus Rmus mandavit eum tacere, et dixit se non dubitare, quod ille Adam male tenuerit et erraverit.

Ad secundam partem propositionis negavit se pandidisse confessionem et solum dixisse: quod te corripit Deus, referendo verba ad maritum confesse propter aliquod grave scelus, quod vel tu vel uxor tua commisisti; et hoc ex eo se dixisse asseveravit, quia puerum peperisse dixit eandem feminam, in quo lineamenta vultus vix apparuerunt. Confessus est vero ab eadem confitente sibi femina recepisse VII gr. racione commutacionis penitencie pro ieiuniis, que penitenti iniunxerat ex causa, quod eum petisset eadem femina, ne si ieiunaret, suspectam se viro redderet. Clamores in ecclesia et in thaberna contenciones se fecisse negavit, et quomodocunque sit delatus domino et infamatus, petivit graciam et veniam sibi prestari, nolens aliquod huiusmodi patrare, quod contra ecclesiam sanctam esset katholicam contraque sacrorum canonum disposicionem et statum sacerdotalem.

Et dominus certius de premissis experiri volens et iuxta iuris ordinem in causa huiusmodi procedere, in Raczyansch ad custodiam honestam dictum Mathiam presbiterum relegavit, reservata sibi iuris defensa; presentibus vener. dnis doctore Georgio auditore causarum et Thoma cantore Crusviciensi in caminata episcopali.

A. 1499, Novembris 25, in Raczyasch in curia episcopali.

623. (Acta episc. I). Vener. Mathias presbiter de Przedecz super fautoria de heresi et prodicione confessionis aliisque excessibus pridem sibi ex officio obiectis infamatus, sponte et libere in manibus meis Pauli notarii ad s. Dei Ewangelia de parendo iuri corporale prestitit iuramentum et dnum Iohannem Panczelinski capellanum curie in procuratorem suum ad causam huiusmodi constituit..

A. 1499, Decembris 11, in consistorio.

624. (Acta offic. III). In causa vener. dni Pauli de Lobzenycza, canonici ecclesie collegiate Lanciciensis et plebani in Vągrowyecz, contra honor. dnum Iohannem Nyedzyela vicarium perpetuum ecclesie Wladislav. et plebanum in Radzyeyow.. [dnus] Paulus.. ad secundum articulum interrogatus credit, quod eadem ecclesia in Vągrowyecz habuit organum non tamen bonum et propterea cives eundem convenerant ad parandum melius; item ad tercium articulum respondit credens, quod ipse Iohannes Nyedzyela tangebat in organo, non tamen illo tempore, dum ipse dnus Paulus inducebatur in possessionem dicte ecclesie; item ad

quartum articulum respondit, quod dum.. ipse dnus Iohannes Nyedzyela timens detencionem olim Laurentii Cossmyder, sicut et alii timebant detencionem ipsius, venerat in Vągrowyecz, extunc cum preconsule et consulibus et victricis ecclesie protunc existentibus contractum pro parando organo fecit, qui consules eidem iuxta exigentiam laboris satisfacere debuerunt, et insuper pelliceam vulpinam de ventribus dare promiserunt; quantum vero de recepcione organi antiqui respondit per verbum non credit, duntaxat fistulas bonas de eodem elegit et ipsis emendatis in novum organum imposuit; item interrogatus, quantum consules debuerunt ei debere pro organo novo, respondit, prout supra, quod secundum exigentiam laboris debuerunt ei satisfacere, quod minime fecerunt; item ad quintum articulum interrogatus ad primam partem articuli respondit, quod aliquando habuit expensas bonas et aliquando malas, addiciens, quod materialia pro organo fabricanda pro suis pecuniis propriis emerat; quo autem ad translacionem et locacionem organi, credit articulum esse verum, et de recepcione VIII marcarum non credit; idem interrogatus de resolucione organi respondit per verbum credit, quia illud organum per ipsum debite factum ad ecclesiam importavit, et illud in particulas minimas dissolvit propter hoc, ut facilius posset transferri in ecclesiam, quod ibidem in suo loco locavit; item de fuga et recessu ipsius respondit per verbum non credit, sed disposito organo discessit; item ad sextum et septimum articulos respondit per verbum non credit, addiciens, quod ipse Iohannes statuto organo in Vągrowyecz et bene disposito amplius non fuit, duntaxat anno presenti, non tamen in ecclesia..

A. 1500, Ianuarii 14, in stubella superiori castri Wladislaviensis.

625. (Acta episc. I). Nobilis dnus Vincencius de Lubyen ex speciali inquisicione de ipso per Rmum dnum Episcopum facta in blasfemio de Salvatore nostro Ihesu Christo, quod videlicet fuisset purus homo, ribaldus, malefactor et latro et pro suis facinoribus a Iudeis suspensus; item quod nullus sanctorum in patria celesti, cum illic corpora non habeant, nichil possunt apud Dominum impetrare et propterea frustra sunt venerandi; item quod non deberet fieri corporum generalis resurrectio et quod censuris ecclesiasticis non esset obtemperandum, compertus et propterea ad prosequendum et procedendum ad ulteriora in causa fidei contra ipsum ex officio mota citatus, coram prefato Rmo dno personaliter comparens premissa se dixisse non ex animo deliberato, sed curiose et insipienter recognovit et confessus est, aliter tamen, videlicet sicut bonus Christianus, intelligere et tenere se asseveravit, petens a sua Pte Rma levitati et insipientie sue dari veniam, tam humiliter quam cum lacrimis peticionem suam repetendo, promittens decetero ad similia non relabi nec ita aliquando ex se dare bonis scandalum. Et dominus Rmus Rmi.. dni Iohannis episcopi Poznaniensis tunc presentis et nonnullorum dnorum consanguineorum et amicorum dicti Vincencii inpresentiarum eciam consistentium instanti prece ad pietatem deflexus spe reformande meliorandeque vite sue rigorem iuris sicut contra blasfemos et maledicos et hereticos, ita contra eundem Vincentium extendendum suspendit adusque, quod absit, eius relapsum et pro hac vice sibi indulsit et veniam concessit iniunxitque sub pena sexingentorum flor. Hungar., quod pro tam notorio scelere et excessu loco penitencie publice V stamina simplicis panni pauperibus distribueret in Bonyewo

pro festo Purificacionis Marie unum, in Lubyen vero pro Mathie unum et tria stamina panni Wladislavie f. V[ta] magna sub testimonio bonorum virorum. Et ut confiteretur, vener. dnum Iohannem presentem de Dambrowka decretorum doctorem archidiaconum Pomeranie in confessorem eidem deputavit, presentibus vener. et generosis dnis.

A. 1500, Aprilis 13, in Ludbrancz.

626. (Acta episc. I). Donacio rerum et paramentorum per vener. dnum Gregorium Ludbransky ecclesie in Ludbrancz facta.. In villa Ludbrancz in domo prepositi ecclesie in ibidem res, que portate sunt ad ecclesiam parochialem in ipsa villa Ludbrancz, per vener. dnum Gregorium de Ludbrancz condam vicecancellarium R P. donate et consignate, conscripte sunt, que secuntur, ut infra:

Inprimis calicem argenteum deauratum cum patena similiter deaurata cum capsula satis bona. Item due ampule deaurate simplicis laboris sed satis honeste. Item candalabra duo argentea non parva simplicis laboris. Item pacificalia duo argentea deaurata: unum minus et aliud maius pulcerrimi laboris et satis magna et honestissima, continencia in se reliquias Sanctorum et Sanctarum, videlicet in maiori: de manu s. Adalberti, item decem millia militum, item XI millia virginum, item s. Dorothee, item de brachio s. Ursule; item in minori: inprimis lignum vite in parva quantitate in cruce parva aurea in medio eiusdem, item s. Bartholomei, item s. Stanislai, item s. Floriani, item s. Hedvigis, item Agnus Dei ac alie multe plures, que non sunt consignate in capsellis bene reformatis.

Item pixidem argenteam pulcerrimam ad deferendum hostias ad altare. Item cappe due: prima viridi axamenti cum auro intexta cum tela rubea subducta et cum scuto pulcerrimi laboris imaginem Anunciacionis gloriose virginis Marie desuper habente; item alia cappa de kamcha auro intexta honestissima varii coloris videlicet rubei, albi, viridi cum scuto simplici de eodem serico ex utraque parte virideo bene reformato et in fine globus non parvus de fillis aureis.

Item ornatus cum toto indumento viridi axamenti auro intextus pulcerrimus videlicet alba, manipulari, stolam habens, telaque rubea subductus est.

Item ornatus de axamento brunatico florizato cum cruce de bono auro similiter cum toto indumento in anteriori parte, flaveus tela rubea subductus.

Humerale eiusdem (s) de axamento virideo auro intextum; item stola rubei coloris de *cowthir;* item manipulare de axamento eiusdem coloris ut ornatus; item alba etiam bone tele et fimbrie de rubeo *cowthir*.

Item due dalmatice flavei coloris satis pulcerrime de *cowthir* cum toto indumento, videlicet humerali de axamento virideo florizato sed bono et recenti; item manipularia de bono adamasco rubeo; item stole de rubeo *cowthir* etiam recenti tela rubea subducte, albe simplicis tele, fimbrie tamen de *postawyecz* varii coloris et magis albi et baltei albi.

Item antependium satis longum et latum pulcerrimumque: prima pars de axamento rubeo, secunda de adamasco virideo, tercia de adamasco griseo, quarta de athlaso flaveo, fimbrie cum axamento rubeo simplici et axamento virideo florizato et *postawyecz* varii coloris, necnon serico albo, flaveo, rubeo, glauco, virideo, nigro optime et decenter ornatum et dispositum est cum tela nigra subductum pelle de simplici tela.

Item antependium aliud de ąxamento flaveo florizato pulcerrime etiam dispositum, fimbrie tamen de kamcha auro optime intexte et serico similiter bene ornate, tela grisea subductum cum pella simplicis tele.

Item pella pulcerrima non valde nova auro et serico varii coloris optime consuta. Item alia pella simplicis tele Sandecensis.

Hec ego Andreas Gawardi de Golye, clericus Poznan. diocesis publicus imperiali auctoritate notarius, vidi et conspexi ac numeravi et propterea ad futuram rei memoriam de mandato Rmi.. dni Creslai D. g. episcopi Wladislaviensis et R. P. cancellarii inscripsi, reposui et regestravi in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum; presentibus ibidem honorabilibus, nobili, providis et honestis viris dnis Iohanne preposito in Lubrancz, Alberto Godzyanthkowsky baccalario, familiare dni episcopi Poznan., qui has res adduxit, Nicolao Szaszyczky, Martino advocato in Brzesczye [1]).

A. 1500, Maii 1, in consistorio.

627. (Acta offic. III). In causa honor. dni Mathie plebani in Szpythal contra kmetones in ibidem, plebanus.. in presentia kmethonum verbo proposuit, quod quamvis de usu et observancia in Regno Polonie habitis et tentis kmethones in villis in Regno Polonie consistentibus, in quibus ecclesie parochiales sunt situate, plebanis ecclesiarum huiusmodi pecora et pecudes pariter cum propriis pascere soleant, nichilominus tamen ipsi kmethones in villa Szpythal degentes premencionato plebano huiusmodi pecora et pecudes pascere recusarunt et in hactenus recusant, petens eosdem ad pascendum dicta pecora cogi et compelli. Et ibidem kmethones comparentes respondendo ad proposicionem plebani dixerunt se nolle pascere. Et dominus eisdem sub sentenciis excommunicacionis pecora et pecudes ipsi plebano iuxta usum et observantiam in Regno Polonie tentam pascere mandavit.

A. 1500, Maii 8, in consistorio.

628. (Acta offic. III). In causa honeste Barbare mulieris de Chlevyska contra honor. dnum Thomam Crella plebanum in Chlevyska, circumspectus mgr. Stanislaus rector scole Wladislaviensis, procurator legitimus dicte Barbare.. in presencia plebani verbo proposuit, quomodo dictus dnus plebanus.. eidem mulieri pullam cum rebus, mercanciis, videlicet cultellis, cingulis et aliis quam plurimis in eadem pulla contentis, vi et violenter ac animo eidem iniuriandi recepit et easdem res virginibus et mulieribus iuvenibus in dicta villa degentibus distribuit ac omnes alias pro suo usu et utilitate, quo voluit, convertit; extimavit dampnum pro huiusmodi rebus per eum receptis ad X marcas Polonic. in solidis, petens eundem in dictis X marcis condempnari et ad solucionem earundem cogi et compelli. Et ibidem plebanus.. negavit narrata..

629. (Ibidem). In causa honeste Magdalene virginis de Chlevyska contra honor. dnum Thomam Krella plebanum in Chlevyska, Magdalena per se.. verbo proposuit, quomodo idem plebanus.. anno presenti, die et mense certis eidem secum in silvam pro rubeto transire mandavit et eandem in dicta silva arripiens

[1]) Wymienionych jest jeszcze 9 świadków, których osoby nie przedstawiają żadnego interesu.

animo stuprandi per membra inhonesta tractavit.. extimavit iniuriam et violenciam huiusmodi.. ad X marcas.. Et ibidem plebanus.. negavit narrata.. virgine offerente se probaturam..

630. (Ibidem). In causa honor. Iohannis Nyedzyela, vicarii perpetui ecclesie Wladislaviensis et plebani in Radzieiow, contra preconsulem et consules oppidi prefati, circumspectus vir mgr. Petrus de Vychowo mansionarius Wladislaviensis et dicti dni Nyedzela legitimus procurator.. in presentia providi Mathie Popyolek preconsulis de dicta Radzeiow verbo proposuit, quomodo ipse preconsul cum consulibus.. paternales ipsi ecclesie immo verius camere apostolice solvi consuetas exigunt, rapiunt et ipsis paternalibus exactis plebanum ad faciendum eisdem colacionem seu propinam ante solucionem seu restitucionem huiusmodi paternalium compellunt in preiudicium et gravamen ipsius plebani non modicum ac in vilipendium et lesionem immunitatis ecclesiastice, petens dicto preconsuli et consulibus inhiberi, ne de cetero se ad exactionem dictorum paternalium sub censuris ecclesiasticis intromitterent. Et ibidem predictus Mathias Popyolek preconsul.. confessus est se et consules paternales exigisse et plebanum ad faciendum colacionem seu propinam pro labore seu fatiga per ipsos circa exactionem huiusmodi factis cogisse ex antiqua consuetudine in dicto oppido Radzieiow tenta et observata. Et dominus dicto preconsuli et consulibus sub censuris ecclesiasticis, ne se de cetero ad huiusmodi exactionem paternalium intromitterent, inhibuit ac eisdem exactas pro anno presenti sub eisdem censuris ecclesiasticis solvere et restituere mandavit.

Item contra eosdem proposuit, quomodo dicti preconsul et consules.. legata videlicet pecunias et alia clenodia in tesauro eiusdem ecclesie contenta, dilapidant, distrahunt et inter se dividunt vitricosque ecclesie absque sciencia et consensu ipsius plebani eligunt clavesque a tezauris dicte ecclesie soli servant, petens eosdem.. compelli, quatinus dicti preconsul et consules de sciencia et voluntate ipsius plebani vitricos ecclesie eligant ipsique sic per eos electi ipsi plebano de omnibus et singulis legatis et expositis tezauris ecclesie predicte condignam rationem facere cogerentur, quatenus eciam dicti preconsul et consules ab huiusmodi tezauris ecclesie prenominate unam clavem, vitrici reliquam et plebanus tertiam haberent; et ibidem Mathias preconsul obtinuit terminum deliberandi ad quindenam.

Item contra eosdem proposuit, quod quamvis olim dnus Stanislaus Brudzewski, protunc decanus ecclesie cathedr. Wladislav., pro fundanda mansionaria in dicta ecclesia in Radzieiow CCCC flor. donaverit, nichilominus dicti preconsul et consules oppidi predicti.. premencionatos CCCC flor. pro se receperunt et pro suo usu.. converterunt.. petens eosdem ad restitucionem huiusmodi CCCC flor. cogi..

A. 1500, Octobris 5, in consistorio.

631. (Acta offic. III). In causa officii et ortodoxe fidei catholice contra laboriosum Nicolaum Gogloza cmethonem de Rambowo, mgr. Petrus de Vychovo instigator officii.. reproduxit testium deposiciones contra ipsum [Nicolaum] super heresi et blasfemiis aliisque superstitionibus per Rmum.. dnum Creslaum D. g. episcopum Wladislaviensem et R. P. cancellarium seu verius vener. dnum Georgium de Vysslicia decretorum doctorem sue Rme Ptis curie causarum auditorem

receptorum necnon nonnulla capitula seu articulos contra eundem super eiusmodi heresi datos, petens admitti. Et dominus ex officio nomina dictorum testium et copias deposicionum eorundem.. dandas decrevit..

A. 1500, Octobris 12, in consistorio.

632. (Acta offic. III). In causa officii occasione fidei katholice contra laboriosum Nicolaum Gogloza cmethonem de Rąmbowo, mgr. Petrus de Vychowo instigator officii.. accusavit contumaciam dicti Nicolai Gogloza non respondentis articulis.. contra ipsum ex officio datis. Et ibidem Gogloza.. iuravit veraciter respondere articulis.. et primo interrogatus ad primum articulum sibi lectum et de verbo ad verbum vulgarisatum, incipientem sic: »Inprimis itaque ponit, quod universalis s. mater ecclesia etc.« respondit per verbum »credit«.. Item ad decimum articulum.. respondit, quod a V et ultra annis sua crimina presbiteris non est confessus neque venerabile sacramentum suscepit, negavit tamen, quod sue uxori et pueris confiteri sua peccata prohiberet..

A. 1500, Novembris 2, in consistorio.

633. (Acta offic. III).. Constituti personaliter laboriosi Albertus Naroga, Andreas Iarąbek, Swyąthoslaus, Andreas Manya cmethones de Ląng fideiusserunt pro laborioso Nicolao Gogloza de Rąmbowo de heresi vehementer suspecto, quod ipse Nicolaus decetero s. matri ecclesie et mandatis suis totaliter parebit et obediet contraque s. Mariam Virginem Iesu Cristi matrem intemeratam ac septem sacramenta ecclesie nullatenus blasfemabit, ecclesias festis diebus pro posse suo ingredietur, annis singulariter singulis confitebitur ac sacramento Eucaristie ad minus semel in anno se sollicitabit procurari, testibus contra ipsum receptis et presertim uxori sue et filie non diffidabit nec in mortem machinabitur, penitenciam sibi iniuncturam (s) publice, in quantum sibi indicta fuerit, tam in ecclesia cathedrali quam in sua parochiali Byalotharzek complebit absque quavis recusacione. Qui ibidem Nicolaus obligavit se omnia premissa dictos fideiussores evincendo complere, in quantum vero dictus Nicolaus contra premissa transgredi repertus fuerit, extunc et exnunc poterit absque quovis strepitu iudiciario capi, manu teneri et detineri et in quantum convictus contra premissa errare vel quovismodo exorbitare inventus fuerit, ad mulctandum et puniendum se submisit.

A. 1501, Ianuarii 29, in consistorio.

634. (Acta offic. III). In causa laboriosorum Iohannis, Mathie Costrzewa, Stanislai Gospodarz et Martini Pelka cmethonum de Maiori Iarunthovicze contra honor. dnum Albertum Obalkowsky plebanum in Ossyączini, cmethones per se.. in presencia ipsius dni plebani, non obstante peticione absolucionis, proposuerunt, quod quamvis consuetudinis fuit et est dicte ville Iarunthovicze per plebanos recipere columbacionem super incolis de uno manso grossum, de medio manso medientem et de orto solidum, nichilominus tamen dictus dnus Albertus Obalkowsky plebanus in Ossyączini in vitium succedens, consuetudini diu tente contraveniens, eosdem cmethones pro dicta columbacione, quatenus quilibet eorum tam in manso quam in medio manso et orto residens per grossum solveret, sentenciis excommunicationis insordescere procuravit, petentes eidem dno plebano super

huiusmodi columbatione taliter per eum recepta silentium imponi et eosdem kmethones in consuetudine diu tenta conservari; dno plebano respondente(s) ad proposicionem laicorum confessus est se de dictis cmethonibus tam in uno et medio mansis ac eciam in orto sedentibus iuxta consuetudinem vicinarum ecclesiarum et dicte ville Iarunthovicze columbacionem per grossum recepisse. Et dominus.. eidem dno plebano de manso grossum, de medio medium grossum et de orto solidum usque ad sufficientem probacionem consuetudinis vicinarum ecclesiarum et cum hoc eiusdem ville per dictum dnum plebanum faciendam recipere decrevit, taxam autem processuum contra eosdem homines racione dicte columbacionis ex consistorio emanatorum ad finem litis reservavit..

A. 1501, Februarii 28, in consistorio.

635. (Acta offic. III). In causa honor. dni Alberti de Chotecz plebani in Lubyen contra laboriosos Andream Augustini et Paulum Pasch cmethones de Camyona, dnus plebanus.. verbo proposuit, quod quamvis ex prescripta consuetudine et ab annis, quorum memoria hominum non existit, decime manipulares, signanter seminum siliginis, avene, ordei, tritici, pisi et scruti, ecclesie in Lubyen et suo pro tempore rectori de agris dictorum cmethonum spectant et pertineant, nichilominus dicti cmethones anno prox. preterito ordei decimas, ut pretenditur, in ortis seminatas dicto dno plebano dare recusaverunt et inhactenus recusant, petens ipsos ad dandum huiusmodi decimas compelli. Et ibidem laici respondentes ad proposicionem allegaverunt, quod ordeum huiusmodi in ortis seminaverunt et quod nunquam decima de eisdem ortis decimabatur; dno plebano replicante, quod decime de ortis non solent dari, in quantum semina ortis congruencia in eisdem seminantur. Et dominus attenta consuetudine in Regno Polonie tenta, quod ordei decima debet solvi, dictis cmethonibus decimam ordei, ubicunque ordeum et cetera semina, de quibus decima solvi solita est, [seminantur], de cetero sub censuris ecclesiasticis solvere precepit.

A. 1501, Martii 8, in consistorio.

636. (Acta offic. III). In causa providi Laurentii Spoth carnificis oppidani Iuniwladislaviensis contra honor. dnum Simonem commendarium in ibidem, Laurencius.. verbo proposuit, quod quamvis dictus Simon ab annis tribus.. mense et die certis super controversia et contencionibus, quas prefatus Laurencius occasione suspicionis de uxore sua cum eodem Simone habuit, certam composicionem et concordiam fecerit, sic quod sub pena XXX marcarum Polonical. per arbitros apposita in domum prefati Laurencii et in absencia ipsius non debuit intrare, nichilominus tamen huic concordie et pene contraveniendo, postposito timore Dei et dignitate sua sacerdotali non attenta, idem Simon nondum cessavit sic, ut prefertur, in absentia dicti Laurencii domum suam intrare, propter quod ipse Laurencius cum uxore sua ut sepius fecit contenciones ipsam molestando et percuciendo et quid peius ex huiusmodi percussionibus aborsum procurando, prout et de facto procuravit, quadam vice etiam inter cutes latitando; novissime vero anno presenti die Carnisprivii prefato Laurencio in macellis existente domum suam intravit mutato habitu suo, ubi uxore sibi consentire nolente in stuprum, immo et propterea de domo sua fugante tacite et super ipsum proclamante, dictus Simon non valens

satisfacere nequitie sue recedendo de domo eiusdem recepit tunicam viridi coloris et palium flavei coloris in valore II sexagenarum, necnon legibula in valore IV gr. et mitram agnellinam valoris X gr., quamquidem mitram eodem die uxor predicti Laurentii videns in ea quendam iuvenem ipsius Simonis ambulare, ipsam ab eodem iuvene recepit; quod cum percepisset dictus Simon, videns eam intrare in domum cuiusdam oppidani nomine Petri Pyaskowsky, cucurrit post eam et arripiens ipsam omnia velamina cum dicta mitra vi et violenter de capite suo extraxit, quamquidem mitram cum supradictis vestibus minime sibi restituit, et his non contentus eadem die, ut supra, intrans de sero per posticum domus sue et prefato Laurencio apud vicinum existente omnes fenestras et membranas excussit; extimavit iniuriam ad C flor. Hungar., petens eundem in ipsis necnon in dicta pena XXX marcarum.. condemnari.. Et ibidem dictus Simon.. confessus est se dictam tunicam et palium cum scitu dicte mulieris coniugis dicti Laurencii Spoth recepisse, quantum autem ad alia in presenti proposicione contenta obtinuit terminum respondendi ad octavam.. Et dominus ex confessatis dicto Simoni palium et tunicam infra tres dies ipsi Laurentio restituere.. mandavit.

A. 1501, Aprilis 16, in consistorio.

637. (Acta offic. III). In causa providi Petri serifabri de Wladislavia contra honestam Dorotheam, vener. dni Stanislai Ząmbinsky canonici Wladislaviensis coctricem, Petrus per se.. proposuit querulando, quomodo anno presenti.. dicta Dorothea per m a l e f i c i a e t i n c a n t a c i o n e s, que et quas solita est dudum facere, uxorem eius nomine Katherinam de Bobrownyky eidem traditam in fastidium et contemptum induxit maleficiaque inter eosdem Petrum et Katherinam coniuges ordinavit et ordinat propterque maleficia et incantaciones dicta Katherina uxor sua ab eodem fugit, petens in eandem ex officio animadvertere et ipsam sibi ad interesse ad C marcas, ad quas suam iniuriam extimavit, condemnari. Et ibidem dicta Dorothea.. negavit narrata.. Et dominus eidem Dorothee terminum coram sua Paternitate comparendi.. prefixit.

A. 1501, Aprilis 21, in consistorio.

638. (Acta offic. III). In causa honor. dni Iohannis Nyedzela plebani in Radzyeyow contra providum Mathiam Bozek de ibidem.. mgr. Petrus de Vychowo consistorii Wladislav. et dicti dni Nyedzyela procurator.. proposuit querulando, quod quamvis omnes et singuli oppidani in Radzyeyow habentes domos et agros de usu, more et consuetudine diu tentis quolibet anno plebano in Radzyeyow per I grossum columbationis solvunt, nichilominus tamen dictus Mathias domum habens et agrum colens, c o n s u e t u d i n i diu tente contraveniendo eidem dno plebano grossum columbacionis solvere recusavit et in hactenus recusat, petens ipsum ad solvendum dictam columbacionem de domo et agris per grossum compelli. Et ibidem dictus Mathias Bozek.. negavit se habere agrum, de domo vero semper offerebat columbacionem iuxta consuetudinem aliorum hominum in ibidem habitancium per medium grossum. Mgro Petro de Vychowo procuratore replicante, quod quilibet hominum habens domum propriam per grossum solvit et inquilini per medium grossum.. Idem contra eundem proposuit, quomodo anno prox. preterito Dominica Pentecostes ipse Mathias Bozek ad ecclesiam veniens infra divina

per suos clamores coram multitudine populi ad audiendum divina congregata distractionem fecit; extimavit iniuriam ad C flor. Hungar., petens in eadem ex officio animadvertere.

A. 1501, Aprilis 28, in consistorio.

639. (Acta offic. III). In causa honor. dni Iohannis Nyedzyela plebani in Radzyeyow contra providos dnos preconsulem et consules Radzyeyovienses, mgr. Petrus de Vychowo procurator dicti Iohannis Nyedzyela.. verbo proposuit, quomodo ipsi dni preconsul et consules contra consuetudinem omnium ecclesiarum parochialium et contra statuta provincialia per S. Sedem apostol. approbata.. duntaxat unum vitricum habent in dicta ecclesia parochiali Radzyeyoviensi, petens eosdem.. compelli, ut decetero iuxta consuetudinem aliarum ecclesiarum et statuta provincialia predicta duos saltem habeant, quos de consensu et voluntate ipsius dni Iohannis Nyedzyela et suorum successorum sub pena excommunicacionis eligant et constituant clavesque a thesauro duplices habeant, ne toti parochie eiusdem ecclesie suspecti fiant et existant racionemque dicto dno plebano cum predictis dnis loco et tempore oportunis de omnibus oblacionibus faciant, et insuper ut quemlibet ministrum obligent ad cantandum vesperas feriis secundis, abolendo pessimam consuetudinem, quam ipsi ministri pretendunt sequi, campanatoremque in sacris constitutum habeant et ordinare curent et ut predicti scilicet minister et campanator de consensu dni plebani ordinentur et eidem ac omnibus presbiteris suis in licitis obedienciam faciant, debitum honorem et reverenciam prebendo, etiam ut victrici vinum bonum dent non muscidum aut evaporatum sive acetuosum propter reverenciam vener. sacramenti..

A. 1501, Iulii 5, in consistorio.

640. (Acta offic. III). In causa discreti Mathie Marchewka de Ploczka contra honor. Iacobum Gunka de Plonsko, Iacobus.. negavit narrata.. petens petita fieri non debere, allegando, quod ipse Mathias Marchewka existens in consulatu, habens librum in manibus suis civitatis Plocensis eundem falsificavit et etiam existens scabinus penes torturam maleficorum semper interfuit, consilium et interrogatoria tortori dabat, quomodo ipsos malefactores et fures examinare debuit; mgro Petro de Vychowo exadverso procuratore.. negante.

A. 1501, Iulii 7, in consistorio.

641. (Acta offic. III). In causa vener. capituli Wladislaviensis contra generosum dnum Nicolaum Borzimowsky vexilliferum Iuniwladislav., idem dnus Borzimowsky per se ratificando omnes et singulos actus per nobilem Iacobum Iassczolthowsky nomine ipsius factos ipsum ab obligatione, per eundem Iacobum ad acta vener. capitulo Wladislav. occasione straminum per ipsum dnum Borzimowsky per biennium in villis Iaralthowycze et Lganowo raptorum et ad dictum capitulum spectancium facta, evincet; et ibidem mgr. Iohannes de Cozlow dicti capituli Wladislav. procurator.. proposuit petens II sexagenas.. in solidis pro straminibus per ipsum de villis Iaralthovicze et Lganowo loco decimarum cum frumentis per vener. capitulum Wladislav. perceptis per biennium raptis; et ibidem dnus Borzimowsky respondendo ad propositionem confessus est se stramina re-

cepisse de dictis villis iuxta consuetudinem dudum in terra Cuyavie tentam; et ibidem dictus Iohannes de Cozlow ex adverso procurator excepit contra huiusmodi consuetudinem, in quantum sit, dicens ipsam fuisse irracionabilem et ecclesiis preiudicialem, petens ipsum in dictis II sexagenis ex confessatis ipsius condemnari; et dominus condemnavit et valorem straminum solvere mandavit, quem dictus Iohannes de Cozlow procurator dicti capituli.. medio iuramento declarabit. Et ibidem dictus dnus Borzimowsky peciit execucionem sentencie ad Rmum.. dnum Creslaum D. g. episcopum Wladislav. et R. P. cancellarium suspendi, et dominus suspendit..

A. 1501, Iulii 9, in consistorio.

642. (Acta offic. III). In causa vener. dni Iohannis Lanka de Czyechoslavicze canonici Wladislav. et plebani in Brzessczye contra honor. et religiosum fratrem Andream priorem ac totum conventum ordinis s. Dominici in Brzessczye, honor. Mathias Thursky vicarius perpetuus ecclesie Wladislav. et dicti dni canonici et plebani in dicta Brzessczye procurator.. verbo proposuit, quod quamvis de iure canonico porcio canonica ecclesie matrici sue parochiali de oblacionibus omnium mortuorum existencium sub parochia parochialis ecclesie ad religiosos quoscunque sepulturam eligencium debeatur fuitque in regno Polonie ac in ecclesiis parochialibus eiusdem regni observatum et tentum ac ecclesie parochiales et ipsarum rectores et presertim ecclesia parochialis in Brzesscze et ipsius rector fuerunt et fuit in pacifica possessione et percepcione canonice porcionis ab omnibus et singulis oblacionibus mortuorum in ecclesia s. Michaelis dicti conventus tutumulatis, nichilominus tamen dictus prior et suus conventus magnifico olim Raphaele de Lessno castellano Poznaniensi et capitaneo Brzestensi mortuo et eodem in dicta ecclesia s. Michaelis dicti conventus tumulato, receptis oblacionibus, videlicet duabus camchis cum auro valoris XX flor. Hungar., IV peciis tele Colonensis valoris VIII flor., X marcis numeri Polon. in solidis, ipsis priori et conventui pro equis et funeri dicti olim Raphaelis astantibus et redimendo funus datis II marcis offertorii num. polon. in mediis grossis et armis militaribus valoris XXX flor. ac II equis eiusdem valoris et III petiis panni valoris VI flor. ecclesie parochiali Brzestensi ac ipsi dno Iohanni ipsius rectori canonicam porcionem dare recusavit et inhactenus recusat, petens ipsum unacum suo conventu ad solucionem et restitucionem porcionis canonice, in cuius possessione et percepcione dicta ecclesia parochialis in Brzesczye et suus rector a dicto conventu extiterat pacifica, compelli. Et ibidem mgr. Petrus de Vychowo exadverso procurator.. obtinuit terminum dicendi contra ad primam iuris post vacancias.

A. 1501, Novembris 24, in consistorio.

643. (Acta offic. III). In causa honor. dni Iohannis Redeczky plebani in Przedecz contra nobilem Nicolaum Golyschewsky burgrabium in Radzyeyow, dictus dnus Redeczky.. verbo proposuit, quod quamvis per Rmum.. dnum Creslaum D. g. episcopum Wladislav. et R. P. cancellarium cirotecalia decimatoribus decimarum in sue Rme Ptis diocesi recipere fuit inhibitum, nichilominus tamen dictus Nicolaus Golyschewsky anno presenti et proxime preterito decimando decimas in Antiqua Radzyeyow ad ipsum dnum Iohannem Redeczky et ipsius prebendam

castri Przedeczensis spectantes de laboriosis Mathia Thur et Petro Mąndal cmethonibus de dicta Antiqua Radzyeyow unoquoque anno per VI gr. contra prohibicionem dicti dni Rmi episcopi Wladislaviensis cirotecalium recepit et in suos usus beneplacitos convertit, petens ipsum ad restituendum dictas pecunias cirotecalium.. compelli..

A. 1501, Decembris 14, in consistorio.

644. (Acta offic. III).. Nobilis dnus Andreas de Raczyąnczyno patronus ecclesie parochialis in Bronyschewo ex parte honor. dni Iohannis plebani in Sadlno et dicte ecclesie in Bronyschewo commendarii exposuit in querela, quod quamvis dicta ecclesia per liberam resignacionem honor. dni Iohannis Lyssowsky ipsius ultimi et immediati rectoris vacans, occasione cuius lis in consistorio Wladislaviensi inter honor. Theodoricum de Trlank, ex una, et Stanislaum de Byelyno ad dictam ecclesiam presentatos, partibus ex altera, pendet indecisa, fuit dicto dno Iohanni plebano in Sadlno per dominum commendata, nichilominus tamen dictus dnus Iohannes Lyssowsky et nobiles Nicolaus Bosskowsky et quidam Petrus ipsius factores ac laboriosi Stephanus, Stanislaus et Martinus cmethones de Panyewo decimam in Raczyączyno ad memoratam eclesiam spectantem rapuerunt ac ipsam raptam trituraverunt ac ipsi Iohannes Lyssowsky et Nicolaus Bosskowsky decimam piscium de lacu Myelno et in Goplo ad eandem ecclesiam spectantem receperunt; et pro maiori verificacione sue querele induxit in testes laboriosos Martinum et Stanislaum Gregorii cmethones de Raczyąnczino..

A. 1502, Ianuarii 14, in consistorio.

645. (Acta offic. III). In causa honor. dni Iohannis Nyedzyela plebani in Radzyeyow contra discretum Iohannem dictum Mazur actu presbiterum gratialem in dicta Radzyeyow, circumspectus mgr. Petrus de Wychowo dicti dni Nyedzyela legitimus procurator.. verbo proposuit, quomodo ab annis V.. mense et die certis preconsule cum consulibus dicti oppidi Radzyeyoviensis collacionem facientibus dictus Iohannes a provido Iohanne Placzek oppidano dicti oppidi Radzyeyow precibus obtinuit sibi vendi ferrum per ipsum Iohannem Placzecz aliunde adductum pro hostio ad sacristiam in ecclesia Radzyeyoviensi faciendo et disponendo, asserens et publice se dicens habere pecunias super hoc per quandam personam sibi legatas, quo tamen empto minime id fecit et disposuit, prout promisit et dixit se facere, petens eundem.. compelli ad id faciendum et disponendum. Et ibidem dictus discretus Iohannes negavit narrata..

646. (Ibidem). Item in causa eiusdem honor. dni Iohannis Nyedzyela etc. contra providos dnos Stanislaum Rola preconsulem et consules Radzyeyovienses, Petrus de Vychowo dicti dni Iohannis Nyedzyela.. procurator in presentia dictorum providorum Stanislai Rola preconsulis et Iacobi Iaroni consulis.. verbo proposuit, quomodo dicti preconsul cum consulibus sine consensu prefati dni Iohannis Nyedzyela.. libros et alias Vetus et Novum Testamentum cum II voluminibus in valore XII flor. Hungar. cuidam dno Iohanni Swyder, quin immo dictum Testamentum pro sex, reliquos duos pro sex aliis extimando, vendiderunt, quosquidem libros olim vener. vir dnus Stanislaus de Brudzew canonicus Wladi-

slav. pro ecclesia parochiali in Radzyeyow testamentaliter dederat et legaverat et pecunias, ut presumitur, pro usu suo et utilitate ipsorum converterunt, petens eosdem cogi ad redimendum dictos libros vel saltem ad reponendum verum valorem ipsorum compelli. Et ibidem dicti dni Stanislaus Rola preconsul et Iacobus Iaroni consul suis et aliorum consulum Radzyeyoviensium nominibus obtinuerunt terminum dicendi contra ad f. II[dam] post Dom. Reminiscere proximam.

647. (Ibidem). Item in causa eiusdem dni Iohannis Nyedzyela etc. contra Stanislaum Rola preconsulem et consules de Radzyeyow.. mgr. Petrus de Wychowo dicti dni Nyedzyela procurator.. verbo proposuit, quod quamvis dudum Rmus.. dnus Creslaus D. g. episcopus Wladislaviensis et R. P. cancellarius per sue Rme Ptis decretum ipsis preconsuli et consulibus mandavit, ut ipsi dno Iohanni Nyedzyela plebano eorundem de omnibus et singulis rebus et pecuniis ecclesiasticis pro termino dudum lapso redderent racionem, vocatis ad hoc personis fidedignis, ac terciam clavem a cistula ecclesie darent vitricosque eligere de consensu dicti plebani mandavit, prout in decreto Rme Ptis lacius continetur, quod hic repetit; nichilominus dicti preconsul et consules decreto dni Rmi etc. contravenientes premissa facere recusarunt et recusant, petens eosdem.. compelli ad id faciendum. Et ibidem dictis Stanislao Rola preconsule et Iacobo Iaroni consule dicta per prefatum plebanum et suum procuratorem fuisse vera confitentibus, dominus decretum.. Rmi dni Creslai.. super reddenda racione et tercia clave a cistula a pecuniis ecclesie ipsi plebano danda debite execucioni demandavit. Et ibidem dictus Stanislaus preconsul et Iacobus Iaroni consul suis et aliorum consulum nominibus summiserunt se et obligaverunt facere racionem eidem dicto plebano de omnibus ecclesie pecuniis et aliis proventibus infra hinc ad Dom. Reminiscere inclusive et peremptorie.

648. (Ibidem). Eadem die dominus inhibuit presbiteris in Radzyeyow commorantibus sub pena sinodali III marcarum irremissibiliter pro hospitali Wladislaviensi solvendarum confessiones parochianos in Radzyeyow audire et sacramentis eosdem procurare, exceptis necessitate et quibus ipse plebanus id commiserit.

A. 1502, Iunii 24, in consistorio.

649. (Acta offic. III). Anno.. MDI.. die.. 4 Septembris.. in villa Swynyarzewo dioc. Wladislav. et in predio nobilis Stanislai baccalarii heredis in ibidem.. constitutus personaliter honestus Thomas Chmyel de Magna Huyma arendator eiusdem predii.. ordinavit suum presens nuncupatum et legitimum testamentum.. in hunc, qui sequitur, modum.. Inprimis autem recommendavit animam.. Omnipotenti Deo, eiusdem genitrici gloriose, s. Iacobo ac Sanctis omnibus; et si eum in hac infirmitate, qua de presenti laborat, de hac luce migrare contingat, corporis sui sepulturam in ecclesia parochiali in prefata Swynyarzewo.. fieri voluit, et in fide, quam s. Romana ecclesia tenet, se mori protestatus est. Demum in paratis pecuniis nichil demonstravit, in debitis autem demonstravit se habere primo et principaliter circa generosum dnum Felicem heredem in Seroczky thezaurarium Brzestensem CL marcas in solidis.. et istud debitum, quod est circa prefatum dnum Felicem Seroczky, idem testator tali conditione partitum vult et prout hoc ipsum dudum facere deliberaverit, C videlicet marcas legat pro fundatione altaris

ibidem in Swynyarzewo, ubi corpus requiescet, si posset per eundem dnum Felicem prefatum Seroczky, cui se idem testator commisit.. ordinari et fundari.. Sin non, extunc legat suis nepotibus germanis, videlicet Marchiel et Valentino circa eundem prefatum Felicem Seroczky C marcas, et L ad pias causas pro tricesimis et ecclesiis reformandis, ubi necessitas fuerit, ibidem de prope sitis pro anima testatoris convertendum. In casu autem assecutionis et fundationis prefati altaris pro C marcis superius assignatis idem testator utique legat L marcas prefatis suis nepotibus Marchiel et Valentino de summa superius dicta.. In aliis debitis demonstravit se habere: et primo circa nobilem olim Nicolaum Poczerznyczky X flor. Hungar. mutuatos; item circa honor. dnum Iohannem Redeczky plebanum in Przedecz VII marcas mutuatas in solidis; item circa nobilem Reginam uxorem nobilis Cristan de Redecz heredis vacca pro vacca empta circa prefatum testatorem; item circa nobilem Cristan Redeczky III fertones pro equo; item *branka perlowa* eiusdem Redeczky per honor. dnum Iohannem plebanum prefatum germanum suum obligata apud prefatum testatorem in sexagena minus sex grossis; item circa nobilem Iohannem Babsa II sexagene in solidis; item circa nobilem Schebor Volsky media quarta marca in solidis; item circa generosam dnam Saram dapiferam Brzestensem in Vyssoczyno V floreni Hungar. debitum olim generosi Nicolai mariti sui; item circa nobilem Iacobum Potrząsch heredem in Lowycz media secunda marca minus IV grossis; item circa generosum dnum Stanislaum heredem in Conoyeczko VI floreni minus ortone; item circa nobilem Iohannem Swynyarzewsky XV marce in solidis; item circa nobilem Mathiam Mychalowsky XVIII½ marce in solidis; item circa nobilem Albertum de Swynky sexagena in solidis; item circa nobilem Martinum Palanczky florenus mutuatus; item circa nobilem Barbaram de Nagorky marca; item circa nobilem Elizabeth Camyenska II marce; item circa honestos Iohannem Truk, Mathiam Plewka cmethones in Bodzanowo Magna media sexta marca pro frumentis; item circa Vyanczek kmethonem de Bossky media quarta marca certi debiti; item circa Stanislaum Czay de Magna Uyma II marce; item circa Iohannem Marczynkowycz de ibidem marca pro campanili in Swynyarzewo; item circa Gregorium Kyepyotha II marce, cetera committit consciencie sue; item circa Petrum claudum oppidanum in Sluzewo II sexagene; item circa Martinum Gercza cmethonem [in] Osseczyni marca; item circa Annam Ganssa in Nowanyeshewa II marce mutuate et sexagena pro siligine; item circa Simonem Dampsky oppidanum in Nowanyeschewa VIII marce XVI gr. pro frumentis dudum tentis concordate per circumspectos Andream advocatum, Petrum Nyemyecz, Albertum fabrum.. Item idem testator legat manicas de axamento pro ornato et peplum pro humerali, IV coclearia argentea pro calice; item idem testator in pecoribus cornutis cum vitulis annalibus XXIV dixit se habere; item in equis laborantibus X, in ovibus media capetia; item Hedvigi uxori sue idem testator legavit XXX marcas venditis pecoribus, frumentis aut de aliis debitis per V marcas annuatim ad plenariam solutionem XXX marcarum commisit dandum, II vaccas pro sustentatione sua; item Katherine germane sue II vaccas, cetera commisit executoribus inferius annotatis dispensandum et pro anima convertendum.. Ultimatim vero prefatus testator dicti sui testamenti suos veros et legitimos executores.. ordinavit.. generosum dnum

Felicem Seroczky heredem et nobilem Petrum de Swynky bene possessionatos ambos in solidum..

A. 1503, Februarii 8, in consistorio.

650. (Acta offic. III). In causa laboriosorum Iohannis Goly et Pauli Bysdrow cmethonum de Ossnysczewo contra laboriosos Iacobum Loth de Przybranowo et Laurentium Mlodozonek de Bronyschewo, dicti Iohannes et Paulus.. in presentia dictorum laicorum verbo proposuerunt querulantes, quod quamvis sacrosancta provincialis sinodus Gnesnensis statuit, sanxit, et ordinavit, quod quandocunque princeps seu capitaneus terre, baro aut miles aut nobilis aut officialis eorum et generaliter quevis alia persona spiritualis vel secularis, cuiuscunque dignitatis, status et conditionis existat, decimas, tributa, villas, possessiones et alias res mobiles et immobiles ad ecclesias et alia loca personasque ecclesiasticas spectantia et pertinentia rapuerit, invaserit, occupaverit aut illicite detinuerit seu iniuste rapi, invadi, occupari, detineri mandaverit seu ratum atque gratum habuerit aut in bonis ecclesie notorie dampnum seu manifestam offensam intulerit, nisi infra trium dierum spatium a tempore rapine, invasionis et occupationis perpetrate et commisse.. condignam emendam et satisfactionem impenderit, cum eorum in hac parte complicibus excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, et nichilominus in illa seu in illis parochia seu parochiis, de qua seu de quibus raptores seu invasores.. fuerint aut in quibus habitationem habuerint.. aliaque loca quecunque, ad que dicti raptores.. devenerint.. ipso facto debent ecclesiastico subici interdicto — hoc tamen minime dicti Iacobus Loth de Przybranowo et Laurentius Mlodozonek de Bronysewo advertentes.. decimam per ipsos Iohannem Goly et Paulum Bysdrow in villa....[1]) a[pu]d vener. dnum Martinum Strząmbowsky canonicum Wladislav., Rmi.. dni Creslai D. g. epi Wladislav. et R. P. cancellarii decimarum factorem, de anno prox. preterito emptam et ad mensam episcopalem spectantem, manu violenta rapuerunt et ipsa rapta in suos usus beneplacitos converterunt. Extimaverunt iniuriam ad XIII marcas.. peten[te]s ipsos [raptores] in eisdem condemnari.. Et dominus.. ipsos [raptores].. in dictis XIII marcis condemnavit ac eosdem in sententias excommunicationis incidisse declaravit..

A. 1503, Aprilis 5.

651. Acta offic. III).. Rmus.. dnus Creslaus D. g. episcopus Wladislaviensis et R. P. cancellarius in oppido Voborz diocesis Gneznensis, sicut Altissimo placuit persolvendo nature debitum diem vite sue clausit extremum, venerabili et egregio viro olim Nicolao de Chudzyno decretorum doctore canonico vicarioque in Spiritualibus et officiali Wladislaviensi generali tertia die eiusdem m. Aprilis Poznanie suam Rmam Ptem morte sua anticipante.

A. 1503, Octobris 26, in consistorio.

652. (Acta offic. III). In causa honor. dni Iohannis Nyedzyela plebani in Radzyeyow contra honor. et religiosos fratres Martinum Scharzala gwardianum et Iohannem predicatorem ordinis s. Francisci totumque conventum Radzyeoviensem,

[1]) Luka w księdze.

dictus dnus plebanus.. proposuit querulando, quod quamvis dudum per Rmum.. dnum Creslaum D. g. episcopum Wladislav. et R. P. cancellarium ipsis fratribus et ipsorum conventui, quatenus iuxta statuta provincialia infra divina ad ecclesiam parochialem in Radzyeyow peragenda diebus dominicis et festis sermonem in ecclesia sua non facerent, fuit et est inhibitum, nichilominus tamen dicti fratres huiusmodi inhibitioni contravenientes predicationes in ecclesia sua infra divina ad parochialem ecclesiam celebrata in preiudicium dicti dni plebani ac sue ecclesie ipsiusque dni Rmi iurisdicionis et inhibitionis vilipendium [peragunt], et hiis non contenti.. tempore interdicti per memoratum Rmum epum Wladislav. contra oppidum Radzyeyow fulminati ecclesiam suam non claudunt et homines excommunicatos ad audiendum divina intromittunt et ipsos inspicere per foramina, dum elevatur vener. sacramentum, permittunt, necnon sessiones et conversationes cum excommunicatis et interdictis habere solent, dicentes ad eos hec verba vel eis in effectu similia: Nos non excommunicamus vos, sed vobis omnibus benedicimus et compatimur de iniuria, quam patimini, quia minus iuste vos excommunicant; et si ad nos refugium non haberetis, essetis sicut pecora, presbiterique vestri vos maledicunt, nos vero vobis benedicimus. — Extimavit iniuriam ad XXX marcas Polon. in solidis, petens ipsos in eisdem condemnari.. Et ibidem dicti fratres gwardianus et predicator.. negaverunt narrata.. dicto dno plebano offerente se probaturum..

A. 1503, Novembris 18, in consistorio.

653. (Acta offic. III). In causa honeste Appolonie de Bidgostia contra providum Iohannem Morawsky, circumspectus mgr. Iohannes de Dolsko dicte Appolonie procurator.. verbo proposuit querulando, quod quamvis dicta Appolonia sit bonorum nominis et fame conditionisque honeste, nichilominus tamen dictus Iohannes Morawsky anno preterito post fest. s. Adalberti eandem furem appellavit, dicens, quod sibi certam summam pecuniarum in lecto furata fuisset, pro quibus pecuniis ipsam coram consulatu Bidgostiensi accusavit, et dum eandem convincere non potuit, torqueri eam tortori fecit, que graviter torta viribus in hactenus non est destituta; extimavit iniuriam ad D flor. Hungar., petens ipsum in eisdem condemnari.. Et ibidem dictus Iohannes Morawsky contra iurisditionem dni Officialis excipiendo dixit.. ipsum dnum Officialem huiusmodi cause et partium non posse esse iudicem competentem, cum ipsa mulier habet maritum carpentarium in Bidgostia morantem, petens se ad forum suum seculare remitti; Iohanne Dolsko exadverso procuratore diffitente et negante huiusmodi exceptionem fuisse veram, dictus Iohannes Morawsky obtulit se eandem probaturum..

A. 1504, Iulii 3, in consistorio.

654. (Acta offic. IV). In causa vener. dni Iohannis Slawyensky canonici Crussviciensis contra laboriosos de Vola et Scothnyky cmethones, dictus dnus canonicus.. in presencia nobilis dni Clementis Thursky capitanei Raczyązensis, nomine dictorum cmethonum comparentis, verbo proposuit, quod quamvis cmethones de usu et consuetudine diu tenta decimas proprias, quilibet seorsum de suo laneo, a X, XX, XXX, XL et LXXX citra vel ultra annis ad fundum prebende dicti dni canonici Pyeczky nuncupate spectantes absque quavis difficultate antecessoribus dicti dni canonici in villam Pyeczky soliti erant conducere,

prout et conducebant, nichilominus tamen dicti cmethones dicte consuetudini contravenientes temeritate eorum propria huiusmodi decimas de suis laneis et agriculturis dicto dno canonico in villam Pyeczky fundum prebende sue conducere.. recusant.. et hiis non contenti.. easdem decimas absque visore dicti dni canonici decimare solent, petens eosdem ad conducendum dictas decimas.. iuxta consuetudinem diu tentam.. compelli ipsisque, ne de cetero absque visore dicti dni canonici easdem decimas decimare audeant, inhiberi. Et ibidem dictus dnus Clemens Thursky capitaneus Raczyąnschiensis.. peciit eosdem cmethones ad generale capitulum Wladislaviense remitti; et dnus Officialis Wladislaviensis.. dictos cmethones ad generale capitulum.. remisit..

A. 1504, Decembris 11, in consistorio.

655. (Acta offic. IV). In causa laboriosorum Gregorii rotificis, Nicolai Conth et aliorum cmethonum in Schokolowo contra providum Stanislaum Goly civem Brzestensem, circumspectus mgr. Petrus de Vychowo dictorum cmethonum procurator.. proposuit, quomodo prefatus Stanislaus Goly anno presenti et tempore decimacionis descendens in dictam villam Schyothlkowo asserebat se decimam utriusque grani et seminis post agriculturam ipsorum cmethonum emisse et eam velle decimare, quibus dictam decimam decimare nolentibus et recusantibus et aliquod damnum aut indignacionem dni vicecapitanei Brzestensis exinde incurrere timentibus ipse dnus Stanislaus se submisit et verbotenus obligavit ipsos ab omnibus impedimentis defendere et intercedere indempnesque facere, prout et coram dno preconsule et aliis dnis Brzestensibus id facere palam et publice fassus est et promisit sueque promissioni et submissioni.. fidem adhibentes dictam decimam ad locum seu horreum conduxerunt. Nam dnus vicecapitaneus prefatus propter huiusmodi conductionem dicte decime ipsos incarcerari mandavit, ubi in eodem carcere seu alias in turri per diem et noctem integram sedebant, unumquemque ipsorum intendens in I sexagena penare, quod et fecisset, nisi precibus dominorum et ipsorum cmethonum placatus fuisset. Et nichilominus recepit ab unoquoque ipsorum per V choros avene et VI gallos et unus ipsorum Nicolaus Conth mediam sexagenam eidem reposuit ex eo, quia cum ipsis non fuit carceri mancipatus; extimaverunt dampnum, quod exinde receperunt se ipsos eliberando et labores suos negligendo, ad X marcas, iniuriam vero incarceracionis ad XL marcas polonicales in solidis, — petens ipsum in eisdem condemnari et ad solucionem ipsarum cogi..

A. 1505, Iulii 11, in consistorio.

656. (Acta offic. IV). In causa honor. dni Iohannis plebani in Cossczyol contra generosum dnum Simonem Cossczyelsky subdapiferum Brzestensem, dictus Iohannes.. proposuit petens calicem argenteum per ipsum dnum Simonem tempore expedicionis belli contra palatinum Moldavie receptum de ecclesia sua prefata et inhactenus, licet sit sepius admonitus, non restitutum, petens eciam ipsum ad restitucionem eiusdem.. compellendum fore. Et ibidem dictus dnus Simon respondendo allegavit, quod ipse non causa usurpacionis nec alicuius occasione spoliacionis eundo ad bellum Moldaviense dictum calicem recepit, sed causa celebracionis missarum in certis locis, ubi eos in campo iacere contigerit; quiqui-

dem calix antequam reversi sunt in propriam patriam, de depositorio, ubi eundem habuit, ablatus est, petens se occasione dicti calicis ad Rmum dnum Episcopum remitti.. Et dominus.. ipsum ad Rmum dnum Vincencium episcopum Wladislaviensem remisit..

A. 1505, Iulii 28, in curia episcopali.

657. (Acta episc. I).. Coram Rmo.. dno Vincencio D. g. episcopo Wladislaviensi et generosis dnis Stanislao de Cosczelecz, castellano Iuniwladislaviensi et capitaneo Nieschoviensi ac Sandivogio Lazenszky de Lazenycze facta est divisio in argento et cingulis inter nobiles Annam consortem dni Iacobi Cossowsky et Barbaram consortem dni Nicolai Podlodowsky ac Nicolaum cum fratre Katherinaque et Dorothea sororibus ipsius, liberis nobilis Othe de Schemylow. Cesserunt videlicet parti cuilibet coclearia IV argentea et per I cingulum cum argento, compensatis II coclearibus argenteis ad valorem cinguli melioris; item IX scutelle stanee, que debent dividi in loco Ossyek in presencia dni capitanei Nieschoviensis suprascripti, quamprimum illic descendet; similiter XI talaria stanea, V cantari similiter; item caldaria VI coquinaria et unum ad braxandum cervisiam, et sartago magna alias ***panew;*** item recia pro capiendis cervis ibidem in presencia eiusdem dni capitanei dividentur cum aliis rebus supradictis Item margaritas certas, collerium cum ***bramka*** et crinile cum anulis XVII, que sunt apud nobilem Barbaram Podlodowska, dixit eadem ipsa Barbara donatas sibi dono per maritum suum Oczyk, super quo dicit se habere testes fidedignos, videlicet dnum castellanum Culmensem, Cossowsky a Swieczie et Wyenczlawsky de Cuyavia. Itaque dominis visum est, quod prefata Barbara obligaretur, prout se obligavit, probare donacionem ipsi sibi factam testibus suprascriptis in convencione proxime celebranda in terris Prussie, in qua dni consiliarii regni Polonie et terrarum Prussie simul erunt, qui eciam decernere debebunt, si ipsam donacionem olim maritus prefate Barbare facere potuit, presertim de rebus prime uxoris Anne. Item ibidem prefata Barbara Podlodowska obligavit se racionem facere pueris prefati Othe omnibus coram dnis predictis in convencione congregatis vel per eos deputandis de omnibus censibus et proventibus castri Ossyek et villarum ad illud pertinencium ac aliarum villarum hereditarium Ianye et Lodvigow post mortem olim Oczyk mariti sui prefati per eam perceptis.

A. 1505, Septembris 12, in consistorio.

658. (Acta offic. IV). In causa honor. dni Petri de Vychowo mansionarii ecclesie Wladislaviensis contra honestum Iohannem Caska cmethonem de Narthi, dictus dnus Petrus.. proposuit, quod quamvis decima ab aliquot annis manipularis utriusque grani et seminis per cmethones in dicta villa Narthi ad suam ecclesiam parochialem in Vyslka de more et consuetudine dudum prescriptis spectans.. prout de presenti spectat.. ad dictos cmethones in dicta Narthi propter desertationem eiusdem ville et alias paucitatem cmethonum dumtaxat de medietate straminum, nulla collacione per ipsos facienda seu prestanda locari solita sit, prout et ipse dnus Petrus eandem ad quendam Iohannem dictum Coza ab annis IV.. locaverat, nichilominus dictus Iohannes Caska contra emunitatem ecclesiastice libertatis eciam irrequisito ipso dno Petro sibi ipsi post II laneos suos decimavit

et pro se eandem recepit et usurpavit ac per alios cmethones ad se locandam conduci ordinavit, racione cuius decime per ipsum sic recepte et ad eundem locate solennem collacionem super heredem suum aliosque nobiles et presbiteros fecit, licet ipse dnus Petrus ad decimandum eandem cum propriis expensis more solito protunc advenerat, propter quod ipse dnus Petrus timens aliquod periculum sibi ab ipsius hospitibus sic per eum vocatis evenire, presens dicte decimacioni minime interesse ausus fuit, unde minus bene per eosdem cmethones est decimata conductaque per equos hospitum suorum pro magna parte destructa, depasta et annichilata; extimavit dampnum sibi in dicta decima per ipsum illatum unacum decima post agros ipsius recepta ad III marcas.. petens ipsum in dictis III marcis condemnari ac ne decetero huiusmodi collacionem super decimam ipsius dni Petri seu ecclesie sue in dicta Vyslka facere nec sibi decimare eandem presumat.. penam XXX marcarum.. ecclesie Wladislaviensi applicandarum propter noxium abusum perversorum hominum tollendum et extinguendum apponendam fore et per vos apponi debere, necnon ad solucionem dictarum III marcarum racione dampni sibi in dicta decima illati cogendum fore et compelli debere..

A. 1505, Septembris 24.

659. (Acta offic. IV).. Vener. et egregius vir dnus Iohannes de Dambrowka, decretorum doctor archidiaconus Pomeranie in ecclesia Wladislaviensi vicariusque in Spiritualibus et officialis Wladislaviensis generalis, attentis hodierni temporis disturbiis, videlicet pestem et morbum pestilencialem infectum in diocesi Wladislaviensi in certis locis et oppidis vigere, timendo ergo, ne homines sani ab aliunde venientes tali morbo contagioso inficiantur, audiencias omnium causarum tam commissariarum, apostolicarum quam ordinariarum earumque conservaciones terminorum infra hinc et feriam IV[tam] post festum ss. Simonis et Iude apostolorum suspendit..

A. 1506, Martii 27, in consistorio.

660. (Acta offic. IV). In causa vener. dni Michaelis Prasmowski prepositi Plocensis contra nobiles Stanislaum de Gorki, Stephanum et Stanislaum de Patrowo, Nicolaum, Mathiam et alios nobiles de Schewo et Bylino, mgr. Petrus de Vichow ipsius dni prepositi procurator.. verbo proposuit, quod per dictos nobiles de prediis ipsorum decime manipulares ad prepósituram Plocensem ipsius dni Michaelis de more et consuetudine dudum prescriptis spectantes incomplete et iniuste per eosdem decimantur, petens, ut liberam conductionem dictarum decimarum cum straminibus in predium suum in Byalytharzek, cuius nunc est possessor et heres, suis curribus propriis fiendam habeat, et quod nullus ex ipsis nobilibus deinceps huiusmodi decimas post agros ipsorum provenientes decimaret, nisi presente dicto dno preposito aut ipsius nuncio speciali propter suspitionem quorundam nobilium; et ibidem dicti nobiles allegando dixerunt, quod ex antiqua et diu observata consuetudine non tenentur aliis huiusmodi decimarum conductionem de hereditatibus suis libere permittere, duntaxat suis plebanis, sub quorum parochiis degunt et morantur, petens se circa eandem consuetudinem conservari, et propterea per dominum super hiis interloqui; et dominus interloquendo per modum diffinitive sentencie decrevit dictos nobiles circa suam consuetudinem allegatam per eos

conservandos fore et conservavit, et quod deinceps nullus ipsorum nobilium huiusmodi decimas decimaret, nisi prius avisato ipso dno preposito aut factore suo in Bialytharzek prefata aut locatore huiusmodi decime die tercio adminus ante huiusmodi decimacionem; quod si ipsi nobiles aut aliqui ex eis huiusmodi decimas infideliter et incomplete decimaverint aut aliquis ex eis decimaverit et super premissis convictus aut convicti iure fuerint, extunc quilibet talis privilegium libere decimacionis perdet et deinde ipsis et ipsorum cuilibet ipse dnus prepositus et suus successor huiusmodi decimas decimare debebit..

A. 1507, Septembris 4, in consistorio.

661. (Acta offic. IV). In causa testamentaria honor. olim Mathie de Miescziskо altariste Brzestensis, honor. Iohannes de Coslow executor testamenti prefati olim Mathie.. dictum testamentum reproduxit, petens illud.. ad acta regrossari mandari.. Tenor vero testamenti huiusmodi.. est talis:

In nomine Domini amen. Sub anno.. MDVI.. die vero Iovis XXIII m. Aprilis hora nonarum.. in oppido Brzestensi.. ego.. Mathias de Myesczisko altarista Brzestensis altaris s. Dorothee et Anne.. hanc ultimam meam voluntatem seu testamentum.. solenniter ordinavi.. Inprimis.. eligo sepulturam corpori meo in ecclesia parochiali Brzestensi rogoque executores, ut corpus servent, ut decet presbiterum, iuxta quod dicit racionale, in omni apparatu et sic et in casula penesque funus psalterium continuando, non sicut consueverunt vigilias, devote, non festinando, similiter missas et more Passionis et sepulture Domini de sero sit cum conductu maiori et recommendacionibus; similiter sint exequie in claustrali ecclesia, quod ordinabunt executores infrascripti; resque meas a Deo omnipotenti michi concessas sic dispono: Primo de X flor., quos habeo proprios in Sloyek in cisticula, pro expedicione dicta VI lego; item uno executori unum, alio alium et dno Iohanni Coslovita tercium, tutori testamenti meo amicissimo ultimum, ubi necesse est. Item lego XV flor. in auro ab uno presbitero michi datos pro fraternitate s. Anne, sed II floreni excipiantur et dentur per executores pro reformando pinaculo templi suis campanillis ecclesie hospitalis s. Spiritus Iuniwladislaviensis, vitricis dentur et non preposito; et sic erunt tantum XIII. Item meos X flor., qui michi dati erant pro fatigis et laboribus meis per executores Phalanczski, lego pro eadem fraternitate s. Anne, sed duo desunt, quos Lucas Kolaczek tenetur. Item alius presbiter(s), cuius pecuniis est ista fraternitas fundata, restant X floreni, qui sunt aput Kolaczek, in auro, quos similiter lego pro fraternitate s. Anne cum alia pecunia, que in vesica invenietur. Item de XX marcis, quas tenetur michi Vitus pellifex iuxta concordiam inventam per dnos consules, primo lego V marcas ad distribuendum pauperibus diversis in hoc, quod si aliquando aliqua male acquisivi, recepi aut usurpavi, non satisfaciendo, cui debui, ut Deus omnipotens sua gracia dimitteret michi, nam minimum denarium velim modo restituere, si scirem. Item IV marcas de dicta summa lego pro fraternitate sancte (?) racione cuiusdam defuncte, que michi legaverat II sexagenas, ut sit particeps anima eius omnium bonorum dicte fraternitatis. Item de eadem summa solvant executores II marcas ad fraternitatem s. Anne, quia easdem teneor, prout videbunt signatum penes pecuniam Item II marcas lego de eadem summa patri meo Nicolao, si vixerit; et modo simili fratri Petro II marcas. Item de eadem summa executores

solvant florenum alias XXX gr., quos teneor; videbunt in Sloyek in cisticula, cuius erit hec pecunia. Similiter ex eadem summa solvant pro I tricesima a Philipowa, que non pro tricesima, sed iuxta mutuum meum michi data erat, quam ego consumpsi, residuum vero dicte summe dni executores convertant, iuxta quod melius possunt aut pro tuicione testamenti, si necesse fuerit. Item II annulos aliqualiter, prout michi constat, non iuste aquisitos datosque michi pro mea necessitate, licet tercium distraxi, lego pro fraternitate s. [Anne]. Item dnus prior unacum suo conventu habet calicem in II sexagenis, que pecunia est partim mea, partim que data michi fuit per priorem presbiterum, cuius pecunia fundata est fraternitas s. Anne; lego similiter eandem pecuniam pro fraternitate s. Anne. Item Goluczka vidue in mutuum dedi II marcas de pecunia fraternitatis s. Anne, quam congregaveramus ex hiis, qui suscipiunt fraternitatem, ideo tenetur easdem restituere. Item dno Schawlowski, si quid ultra exposuerit, quia ratificationem ex Curia Romana per eum spero in Deo adipisci, ex pecunia s. Anne solvatur ei cum graciarum actione. Item Petro venditori librorum civi Poznaniensi, quando miserit *plathi* ad superducturam, solvatur, ita tamen, quod tenetur michi, Deus testis est, II flor. per marcam numerando et ultra aliquot grossos, quia non integre, ut floreni vadunt, dedit pro candelis, ultra quam decies monui eum eciam statim, quando recepit pecuniam a me, ipse semper prolongavit, defalcentur ergo ei, II floreni, quod si noluerit, arestentur libri, quos apud me habet, unacum XL gr. pro viatico; in mensa superiori omnes non introligati libri sunt eius preter aliquot sexternos, qui in teca sunt mei et II agende introligate: unam vendidi pro X gr. solidorum introligatam, quam pecuniam consumpsi; loco huius dnus plebanus de Dambie tenetur XVI gr., dentur illi; item hec pecunia, oro dnos executores, non qualitercunque detur, sed habito consilio cum dnis consulibus et prelato ecclesie, qui iuravit et omnibus modis promisit defendere dictam fraternitatem. Item calicem, quem comparavi mea propria pecunia, lego pro fraternitate s. Anne, quem comparavi in honorem s. Stanislai; similiter et crucem. Item subductam *czamlethowa* ex mardurinis pellibus, illa vendatur, pecunia pro tricesimis pro commissis convertatur. Item tunica bona, que me ultra aut fere VI marcis constat, vendatur; similiter superpilicium melius cum II coclearibus, quia I coclear non videtur totaliter bene possidere, quamvis michi datum sit, et aliud habeo in vadio medie marce unacum pellicea vulpina seu foderatura et palio unacum biretis, mitra, II quartis et stopho et scutellis III cum talari, pellibus II, licet sunt ista exilia, eciam si valuerint solidum, congregata pecunia detur depingi Cracoviam tabula, quanto melior potest, in qua depingatur imago Sanctissime Anne cum misericordia Dei cum omnibus insigniis ac imago b. Virginis cum gladio, quanto pulcrius potest. Si parum fuerit, marca cum VIII gr. in vesica, que est pecunia Phalanczki a Stanislao recepta cum pecunia in Sloyek, alias illi XXX grossi, quos teneor, ut anima dicti Phalanczki sit particeps omnium [bonorum] fraternitatis, convertatur pro dicta tabula, et consecrata reiectis summitatibus ex unguinibus altaris super imagines. Item tunicam nigram lego scolari Stanislao Goluczski propter Deum et racione servicii. Superpilicium aliud pro ecclesia, tercium pro communione. Item pelliceam aspergelinam unacum alphementaribus de Gagathe apud Kolaczkowa lego Barbare molendinatrici Piaseczna. Item ortus ita ordino, sicut inscripcio canit, quem eciam lego pro fraternitate s. Anne, quod si

sacerdos noluerit suscipere aut non recte inscripcio facta est, dni executores cum dominis, quanto melius possunt, [componant] aut vendant. Item summam Anthoninam quatuor parcium, racionale, sermones de Sanctis Roperti, mensam minorem et omnes sexternulos in ea contentos, caputerium subductum, cistam ac lectum pro quo orabit, horologia, vitra lego omnia dno Martino de Boruchino. Item vitam Cristi, sermones quadragesimales Roperti, qui sunt Wladislavie recepti per Simonem, dno Mathie vicario Brzestensi lego. Item dno Ieronimo Sacramentale et resolutorium cum Mirabilibus rationis, que sunt aput dnum Nicolaum de Crosino, lego. Item Fortalicium fidei dno Koslovita, Ewangelia, prosas, Virgilii maius opus et Georgica et alios libros scolasticos Stanislao Goluczski. Item libellum meditacionum, rasoria, pulvinar, cusinum dno Petro preposito. Item aliud pulvinar cum cusino et II lintiaminibus predicatori monachorum lego. Item mensam unacum cista minore Luce Kolaczek assigno. Item plumatica maior cum copertura veteri et alia nova cum cussino vendantur, pecunia ad pia opera; minor eciam vendatur, pecunia pro missis votivis, quas aliquando neglexi, iunctis rebus omnibus, que sunt in domo mea. Item ligna dno Stanislao Lnaper. Si quis autem sic legatis non contentabitur, careat et hiis. Nullus autem sub Dei indignacione valeat infringere testamentum, quod testamentum ut sorciatur effectum suum, eligo et assumo primum et principalem executorem dnum Martinum de Boruczino vicarium perpetuum ecclesie Cruschviciensis, adiungendo eidem dnum Mathiam vicarium Brzestensem, quosquidem executores.. constituo tanquam memetipsum, quod si aliquis illos vexaverit, dnum Iohannem Coslovita vicarium et altaristam ecclesie Wladislaviensis facio tutorem..

A. 1508, Martii 31, in Gedano in curia episcopali.

662. (Acta episc. I). Officii cinerum contra Iohannem Szolcz et Michaelem Emyk villanos de Playendorff in causa, ad id per certum executorem videlicet plebanum ville prefate per dominum deputatum citatos, instigatore officii Rmi dni prefati proponente, quomodo ipsi anno presenti festi Purificacionis B. Marie in taberna ville predicte sub divinis officiis summe misse cineres consecraverunt in vilipendium et derisum tocius cleri et suarum animarum pregrave preiudicium, petens eosdem ob scelus ad penam carcerum deputari et declarari. In presencia exadverso Iohannis et Michaelis negancium dictos cineres se consecrasse, confitencium tamen se tali consecracioni interesse et eidem consensisse, que fuit facta per Iohannem Runge villanum ville predicte et quod sub divinis officiis festi suprascripti(s). Et dominus eosdem pena carcerum puniendos esse decrevit ex confessatis ad arbitrium suum..

A. 1508, Aprilis 1, in Gedano in curia episcopali.

663. (Acta episc. I). Cinerum consecracionis in causa, Simon Spekerman fusor cantarum oppidanus de maiori oppido Gdanensi, Erhardus Emyk et Georgius Pomernik de suburbio Gdanensi ad acta presencia personaliter constituti et coram domino evincendo Hanus Szolc et Michaelem Emyk villanos de Playendorff de carceribus, ad quos pro quodam facinore, videlicet quod consecracioni cinerum in die B. Virginis Marie anni presentis sub divinorum officio presentes intererant et ministrabant circa consecracionem per quendam Iohannem

Runge factam, missas et alia divina officia negligendo et prefato crimini participando, prout ipsimet iudicialiter sunt confessi, obligaverunt et se presentibus obligant, quod prefati Hanus et Michael de Playendorff consecratorem cinerum et principalem facinoris huius prefatum Iohannem Runge coram Rmo dno Episcopo Wladislaviensi hic in Gedano aut in Szobkow sabbato proximo ante Dominicam Iudica personaliter statuere et representare debebunt et tenebuntur et in absencia dni Rmi dno officiali Gdanensi aut dno wladario Szobkoviensi in Szobkow statuere tenebuntur et se ipsos representare; et in eventum, quo ipsi predictum Iohannem consecratorem non statuerint personaliter pro Sabbato prefato et ipsi soli se similiter personaliter non representaverint, extunc fideiussores supradicti XX flor. Hungar. in auro Rmo dno Episcopo Wladislaviensi pro pena dare.. se presentibus obligant sub censuris ecclesiasticis..

A. 1508, Aprilis 8, in Sobkow in curia episcopali.

664. (Acta episc. I). Per hanc nostram sentenciam declaratoriam, quam.. ferimus in his scriptis, in causa nobis per sacram sinodum, quam in oppido Gdanensi nuper cum toto clero celebravimus, nobis ad exequendum commissa.. declaramus Stanislaum presbiterum quondam plebanum in Trambky excommunicacionis ac sinodalem et carcerum, arbitrio nostro moderandam, sentencias, censuras et penas in sentencia sinodi contra eum Stanislaum latas.. incidisse et ob eius demerita.. ipsum ad solvendum prefatas pecunias cogimus ac ad carceres detrudendum.. deputamus ipsumque excommunicatum publice in ecclesiis denunciari mandamus necnon ad restituendum res, quas a prefata ecclesia in Trambky temerarie alienavit.. compellimus..

665. (Ibidem). Rmus dnus episcopus Wladislaviensis f. II[da] post Letare *[d. 3 Aprilis]* venit in Sobkow ex Gedano et ibi ad f. II[dam] post Iudica *[d. 10 Aprilis]* mansit, tandem ex Sobkow in Comorsko exivit f. II[da] prefata, f. III sequenti in villam Groczno et f. IV sequenti Bidgostiam est ingressus.

A. 1508, Maii 1, Wladislavie.

666. (Acta episc. I). Constitutiones et ordinationes Rmi dni cum capitulo infrascripte sequuntur:

Rmus.. dnus Vincencius D. g. episcopus Wladislaviensis de consensu et voluntate vener. Iohannis Parzinowski archidiaconi, Pauli de Biezdrow custodis, Iohannis Dambrowka [archidiaconi] Pomeranie, Cristini de Bowanthow, Stanislai Zambinski, Iohannis Lanka, Martini Strzambowsky, Lamperti Sczeczinski et Petri Kuczborski ac Sebastiani de Oleschniky decretorum doctoris, canonicorum ecclesie cathedralis Wladislaviensis, ad sonum compane more solito congregatorum, vocatis et presentibus Bernardo vicedecano et tota communitate vicariorum ecclesie predicte, ordinaciones infrascriptas statuit et fecit in hunc, qui sequitur, modum:

Et primo innitendo ordinacioni bone memorie olim dni Iacobi de Szyenno predecessoris sue Ptis Rme statuit et ordinavit, quod universitas vicariorum perpetuorum ecclesie predicte singulis annis a tempore ordinacionis huiusmodi incipiendo eligant et eligere teneantur ex sua communitate IV personas idoneas pro confessione audienda et penitenciis iniungendis Christifidelium veniencium et pertinencium ad dictam ecclesiam Wladislaviensem, quas personas IV sic electas de-

bebunt presentare prefato dno Vincencio seu pro tempore existenti loci ordinario episcopo Wladislaviensi ad effectum, ut ipse tribuat auctoritatem absolvendi ordinariam quosvis Christifideles prefatos eciam in casibus sue sedi specialiter reservatis, quam auctoritatem sua Ptas Rma ita requisita eisdem IV personis impendet et concedet. Et incontinenti prefati vicarii communitatem eorum representantes, innitendo ordinacioni huiusmodi, Bernardum vicedecanum, Thomam predicatorem, Mathiam Thurski, Stanislaum Polanysch arcium baccalarium, vicarios perpetuos eiusdem ecclesie, facto unanimiter elegerunt et Rmo prefato presentarunt deputandos ad prefatas confessiones audiendas et penitencias iniungendas, quibus dnus Rmus auctoritatem, ut committitur, concessit. Casu vero, quo aliquis durante anno huiusmodi ex dictis IV deputatis decedat aut aliquo quovismodo dimittat officium predictum, extunc in locum cedentis vel decedentis aut dimittentis aliam personam similiter ex communitate eligere debebunt et presentare. Quiquidem confessores sic deputati eum servent ordinem et modum in confessionibus et penitenciis predictis, ut non minus laxi et soluti sint in penitenciis iniungendis, sed iuxta diversitatem et qualitatem criminum, delictorum et personarum penitenciam iniungant et moderent. Et si aliquis casus dubius contigerit ipsis aut alicui ex eisdem, quem decidere singuli per se non possent, extunc omnes quatuor insimul conveniant et absque detectione persone super casu dubio huiusmodi secundum arbitrium boni viri decidant, qualis et quanta penitentia in casu proposito seu proponendo imponi debeat confitenti. Si autem concordare non possent super decisione dubii huiusmodi, tunc ad dnos prelatos et canonicos circa ecclesiam prefatam residentes, maxime vicarium in Spiritualibus pro tempore et iuris peritos, recursum habeant pro consilio, qualiter dubium huiusmodi decidi et pena iniungi debeat, aliis autem quibusvis presbiteris curatis et non curatis eciam vicariis circa ecclesiam residentibus et ad eam casu venientibus sub excommunicacionis pena ipso facto incurrenda inhibuit, ne se intromittant ad audiendum confessiones et penitencias iniungendas confitentibus in ecclesia predicta et ad eam pertinentibus, excepto articulo mortis inevitabili, ubi verisimiliter ipsi deputati seu aliquis eorum ad eos venire vel adesse non posset, et nichilominus dictam constitutionem olim dni Iacobi quo ad alia huic ordinacioni non contraria in suo robore fieri voluit et eam servare mandavit.

Item attento, quod domus ad communitatem vicariorum pertinens, quam pronunc obtinet Stanislaus Nieschszewski vicarius, ruinam minatur ex[1]) negligentia reformacionis inhabitatorum, ne propterea postea desoletur et in nihilum verteretur, ordinavit eciam et mandavit, quod vicedecanus nunc et pro tempore existens pecunias ad prefatum Nieczyschowski racione dicte sue vicarie pertinentes, eciam quas pronunc habet vel in futurum ad eum pervenerint, apud se in aresto firmo detineat tam diu, donec reformetur domus predicta opera ipsius possessoris et alias mandavit servare statutum vicariorum super hoc inter eos promulgatum et expensis ipsius Nyecziszowski absentis ipsum de huiusmodi decreto et aresto quamprimum aviset.

Item exemit et exemptum declaravit Thomam predicatorem modernum a iurisdicione et cohercione quorumvis suorum iudicum quo ad personam ipsius dunta-

---

[1]) Cod. et.

xat salvis actionibus realibus punicionem persone sue non concernentibus, super quibus coram iudice competenti respondere tenebitur, punicionem vero eiusdem predicatoris sue Pti Rme cum capitulo reservando.

Item sua Ptas Rma cum eius capitulo mandavit sub certis penis, censuris et sentenciis ecclesiasticis et aliis privacionis, in sententia seu decreto dni olim Creslai episcopi Wladislaviensis predecessoris Rme sue Ptis contentis, singulis vicariis ecclesie prefate circa ecclesiam prefatam in propriis personis residere et officia ac onera singulis incumbencia per se et non alium seu alios exercere et supportare singulosque ad id faciendum vigore certi monitorii in ecclesia prefata publicari modo et forma in ipso monitorio contentis monendos decrevit et requisivit. Et nichilominus tamen dispensavit cum Petro Dolski vicario super non residencia huiusmodi ex eo respectu, quia sua Rma Ptas ipsius servicio in curia sua ad presens indiget, qui Petrus presentavit in suum substitutum ad officium vicariatus predictum Iohannem de Sluschow actu presbiterum, quem universitas vicariorum irrecuse suscepit.

Item mandavit dno Nicolao vicecustodi, ut deinceps sit diligentior circa officium suum et terminum sibi prefixit pro sinodo Wladislaviensi aut alibi in diocesi Wladislaviensi prime celebranda ad reddendum racionem de singulis rebus tam privatis quam ecclesiasticis sibi creditis seu ad eius custodiam datis, quem terminum ipse ibidem presens acceptavit.

Item Rmus dnus de consensu dnorum prefatorum capitularium ordinavit, quod argentum per executores testamenti olim dni Creslai predecessoris sue Ptis Rme ecclesie prefate donatum perpetuo remaneat circa dictam ecclesiam ad usus episcopi pro tempore existentis, ut tamen fiat aliqua recompensacio pro donacione predicta, donavit et deputavit decimas in agris villarum Kolomia et Kamyona excrescentes ad mensam episcopalem pertinentes singulis annis fore distribuendas per procuratores capituli ecclesie prefate et elemosinas pro anima prefati testatoris scolaribus circa ecclesiam prefatam pro tempore morantibus et pauperibus in hospitali dicte civitatis existentibus, effectum tamen huiusmodi ordinacionis distulit et suspendit usque ad sinodum prox. futuram in diocesi Wladislaviensi celebrandam.

Item mandavit dno Paulo de Biesdrow custodi ecclesie prefate Wladislaviensi, ut debite procuret custodiam fieri ecclesie prefate presertim nocturno tempore et quod campanatores dormiant in porticu ecclesie alias *w kruchczie* racione custodie prefate per tempus estivum, usque providebitur de loco pro eis competenti ad habitandum eciam tempore hiemali sub pena X marcarum pecunie applicanda communitati capituli ecclesie predicte, quam ipsi campanatores in eventum contravencionis solvere tenebuntur sub pena excommunicacionis ipso facto, contra quos iam exnunc Rmus dnus monitorium pro premissis decrevit dari in forma.

A. 1508, Octobris 15, in Dzvierzno.

667. (Acta episc. I). Coram dnis Mathia Ziemyaczski, subpalatino Brzestensi iudice, Felice Osnyczski subiudice, Nicolao in Notesz, Petro in Sluzow et Nicolao in Othluczino molendinatoribus, per Rmum.. dnum Vincencium D. g. episcopum Wladislaviensem et Iohannem scultetum in Sadlogoscz et medie partis, Iacobum suo ac Iohannis ac N. fratrum ac Katherine sororis sue nominibus, caventes de

illorum ratihabicione, similiter alterius partis molendini in Dzvierzno prefatis molendinatoribus in iudicio locatis, constituti personaliter prefati Iohannes scultetus et medie partis molendinator et Iacobus suo et suorum, quo supra nominibus caventes prout superius in actis, manifeste et per expressum recognoverunt, quia totam partem molendini prefati in Dzvierzno in et super fluvio Nothesz siti ipsos molendinatores supradictos concernentem cum omnibus et singulis ipsius emolimentis grani universi non compulsi.. resignaverunt.. generoso dno Iacobo de Prziramb prefati Rmi dni Episcopi moderni nepoti per ipsum dnum Iacobum et successores ipsius legitimos tenendam.. Quam resignacionem.. in iudicio prefato factam nobilis Vscheborius Mroski nomine prefati dni Iacobi de Prziramb suscepit et adiudicatum solvit, quod ius suscepit; et ibidem in signum vere satisfactionis pro prefato molendino in Dzvierzno Iohannes scultetus supradictus pro parte sua privilegium eidem dno Iacobo in iudicio tradidit; similiter Iacobus quo supra nominibus prefatum privilegium ipsorum partem concernens in iudicio prefato dno Iacobo tradidit in spem gracie et satisfactionis sibi per Rmum dnum Episcopum impendende. Quiquidem Iohannes scultetus et medie partis in Dzvierzno molendinator supradicti molendini pacem et evictionem alias *vycslenye* pro propinquis ipsius ac aliis omnibus personis, prefatum dnum Iacobum de Prziramb et ipsius successores in predicto molendino impedire volentibus, ad septennium iuxta ius et consuetudinem molendinorum et molendinatorum in Regno Polonie habitam et similiter Iacobus pro fratribus et sorore ipsius ac aliis consanguineis et propinquis in forma supradicta caverunt.. Et super hoc prefatus Mroski nomine quo supra memoriale dedit, quod ius suscepit; et hoc fecerunt partes supradicte, fideiussores suos, videlicet vener. dnos Iohannem Crothoski et Stanislaum Zambinski canonicos Wladislavienses, eliberando..

A. 1508, Novembris 4, in Parkanie.

668. (Acta episc. I). Coram generosis et nobilibus dnis Petro Sropski iudice et Nicolao Goczanowski subiudice per Rmum.. dnum Vincencium D. g. episcopum Wladislaviensem unacum circumspectis Nicolao de Othluczino, Stanislao de Thur, Petro de Sluzow et Mathia de Iuniwladislavia molendinatoribus iudicialiter locatis.. generosus Iohannes Volski capitaneus Racziaziensis procurator prefati Rmi dni Episcopi.. proposuit, quod quamvis Rmus dnus Episcopus in molendino Dzvierzno Iacobum molendinatorem modernum graciose conservare voluit, ipse vero sicut ingratus id facere noluit, ymmo in damnum prefati dni Episcopi temere se gerens homines a prefato molendino repellit, molendinum prefatum clausit et a IV septimanis citra molere destitit, in quo in emolimentis prefatum dnum Episcopum damnificavit in valore XX sexagenarum pecunie peciitque prefatus Iohannes Volski procurator memorati dni Episcopi mediante decreto iudicis dictum Iacobum molendinatorem tanquam rebellem et inutilem ad vendendum prefatum molendinum alicui viro bono et possessionato ac utili molendinatori cogi et compelli, et quo ordine ipsum molendinum relinquere et dimittere prefato Rmo dno Episcopo debeat, informari; iudex vero villanus seu locatus predictus recepta informacione a iudice terrestri generali, qui ibidem presens aderat, decrevit, quatinus ipse Iacobus molendinator prefatum molendinum in Dzvierzno, sic ut petitum est, bono possessionato et utili molendinatori venderet Katherinamque matrem suam, Iohan-

nem et Albertum fratres sororesque suas ad resignandum partem dicti molendini ipsos concernentem adduceret infra hinc et IV septimanas sub penis iudicialibus; et super hoc prefatus Iohannes Volski procurator predictus adiudicatum solvit, quod iudicium suscepit.

669. (Ibidem). Item prefatus Iohannes Volski procurator eiusdem dni Episcopi coram eodem iudicio exposuit et dixit in sua proposicione, quod prefatus Iacobus molendinator machinamenta certa et comminaciones faceret, per que seu quas molendinum predictum in Dzvierzno deberet desertari petivitque propterea nomine prefati dni Episcopi Wladislaviensis per dominos iudicio presidentes de hoc provideri et decerni, quomodo ipse Iacobus molendinator suam intencionem non perduceret in effectum molendinumque ipsius dni Episcopi securum persisteret. Et domini iudicio presidentes habita intra se deliberacione et recepta informacione a dno iudice terrestri generali tunc presente decreverunt et mandaverunt, quatinus prefatus Iacobus molendinator fideiussores idoneos et sufficientes poneret, quod molendinum prefatum in Dzvierzno integre et pacifice servabit et molabit nullumque damnum in eo faciet usque ad realem eiusdem molendini vendicionem et resignacionem.

670. (Ibidem). Item coram eodem iudicio locato constitutus personaliter providus Iohannes Kaczkowski de Pakoscz.. libere partem seu sortem suam molendini predicti in Dzvierzno ipsum concernentem memorato dno Episcopo cum omni iure, dominio et proprietate, inherendo priori resignacioni per providum Iohannem scultetum de Szadlogoscz pro summa LXXX marcarum pecuniarum facte, quam prefatus dnus Episcopus sibi Iohanni Kaczkowski et Iohanni sculteto dixit se nuper in Dzvierzno reposuisse, [resignavit], pro quoquidem Iohanne Kaczkowski et suis successoribus vener. dnus Iohannes Krothoski cantor Gneznensis de pace et securitate dicti molendini in Dzvierzno sub vadio LXXX marcarum.. fideiussit..

A. 1508, Novembris 5, in Parkanye.

671. (Acta episc. I). Item coram eodem iudicio locato.. nobiles dni Albertus Miruczski et Stanislaus Mochelski non compulsi.. immo verius ad peticionem supradicti Iacobi molendinatoris in Dzvierzno.. recognoverunt, quia pro eodem Iacobo molendinatore fideiusserunt prefato dno episcopo Wladislaviensi.. sub vadio D marcarum.. quia prefatus Iacobus molendinator molendinum prefatum in Dzvierzno infra hinc et IV septimanas.. alicui bono viro molendinatori bene conservato et utili ac possessionato pro ea summa pecuniarum, que sibi inter fratres et amicos alios, ad molendinum prefatum ius habere pretendentes, quo ad suam partem et composicione intra eos facta cedere debuerat, vendere et coram prefato dno Episcopo iudicioque, quod ad hoc locaverit, resignare et bene reformatum dimittere, ita sicut illud acceperat matremque suam fratres et sorores germanas tunc ad hoc adducere, ut et ipsi secum pariter molendinum prefatum resignarent secundum ius et consuetudinem terrestrem, debet et tenetur. Item quia circa resignacionem predictam molendini prefati debet memoratus Iacobus facere caucionem sufficientem cum predictis matre, fratribus et sororibus suis per bonos homines possessionatos sub vadio prefato pro se et suis omnibus consanguineis et amicis aliisque omnibus hominibus, molendinatores predicti molendini pro tempore existentes impedire volentibus, de pace et securitate servanda usque ad prescripcio-

nem terrestrem, secundum quod ad aliquam personam prescripcio pertinet; item quia ipse Iacobus debet infra huiusmodi IV septimanas molendinum predictum providere ab omni damno, molere et homines ad molendinum conducere ad molendum. Preterea vero super olim Alberto Voydal, post quem ipse Iacobus in molendinum successit, et sic et in perlucra per dnum olim Creslaum episcopum Wladislaviensem iure aquisita, prefatus dnus Episcopus modernus Wladislaviensis suspendit et distulit usque ad vendicionem dicti molendini modo premisso fiendam, ubi tunc sua Ptas Rma graciosam et talem se offeret, sicut viderit prefati Iacobi benivolenciam et factum. Que omnia prefatus Iacobus unacum dictis suis fideiussoribus sub vadio prescripto D marcarum pecunie facere et infra IV septimanas predictas complere debet, ad quod se cum eisdem fideiussoribus suis manu coniuncta obligavit..

A. 1508, Novembris 19, in Raciąż in curia episcopali.

672. (Acta episc. I). Vener. dnus Navogius Costhka, decretorum doctor, canonicus Wladislaviensis et ecclesie parochialis in Thuczno plebanus, coram domino et apud acta presencia personaliter constitutus eliberando se de sentencia excommunicacionis, qua ex officio dni executoris sinodi nuper Wladislavie celebrate extiterat racione monicionis innodatus ob non servacionem presbiteri circa ecclesiam suam in Thuczno prefatam, prestitit caucionem iuratoriam, quod infra hinc et festum Nativitatis Dni prox. venturum exclusive habebit presbiterum idoneum, qui circa eandem ecclesiam parochialem in Thuczno personaliter residere et omnia onera illi ecclesie incumbencia curamque animarum et administracionem spiritualium in absencia sui supplere dictamque ecclesiam regere et providere tenebitur.. Et interim idem ipse doctor plebanus providere debebit, ne peramplius alique negligencie in administracione Spiritualium circa dictam ecclesiam committantur, ad que omnia suprascripta prefatus Navogius plebanus se obligavit..

A. 1509, Ianuarii 9—Aprilis 26.

673. (Acta episc. I). Rmus.. dnus Vincencius D. g. episcopus Wladislaviensis pro conventione generali Piotrkoviensi pro Dominica Oculi instituta die Martis, 9 mensis Ianuarii, post prandium in Chodecz, tandem ex diocesi sua die sequenti in Szedlecz, deinde alia tunc sequenti die in Nieschulkow, postremo alia tunc die sequenti in Wolborz est constitutus, ubi sua Ptas Rma mansit ad Sabbatum prox. ante Dominicam Oculi, ad convencionem exivit sua Ptas et in Piotrkow intravit eodem Sabbato post prandium. Et convencio ipsa tenta ad Dominicam Conductus Pasche exclusive. Econtra sua Ptas Rma sabbato post Pasche prox. in Wolborz — et ibi mansit ad festum s. Adalberti — et post prandium in Lasznow, die s. Georgii in Nieschulkow, f. IV die Marci Ewangeliste in Szedlecz, f. V tunc sequenti in Lubothin diocesis sue Ptis intravit.

A. 1509, Iunii 1, in Mariemborgk in curia episcopali.

674. (Acta episc. I). Rmi dni in causa decimarum protestacio contra non solventes decimas in terra Pomeranie — Rmus.. dnus Vincencius.. Episcopus Wladislaviensis reproductis litteris commissionis Srmi principis.. Sigismundi D. g. regis Polonie.. in Rmos.. et magnificum et venerandum dnos Lucam Warmien-

sem, Nicolaum Chelmensem D. g. episcopos, Ambrosium de Pampow palatinum Siradiensem et capitaneum Marienborgensem et Iohannem Latalski, Gnezn. metropolitane, Crac. cathedralis et Lanciciensis collegiate ecclesiarum prepositum et R. Mtis secretarium, datis citacionemque sue Mtis R. contra omnes et singulos dignitarios, terrigenas, nobiles, civitatenses et quoslibet officiales tam civitatum, oppidorum quam villarum incolas et kmethones agros colentes et de eisdem decimas manipulares iuxta consuetudinem aliorum debitas non solventes per et infra terram Pomeranie et diocesim sue Ptis Rme [in se continentibus] accusata contumacia citatorum non comparencium petivit se iuxta litteras, iura et privilegia sibi et ecclesie sue super easdem decimas manipulares antiquitus datas et concessas conservari, quas litteras et que iura ac privilegia sua Ptas Rma satisfaciendo mandato et voto sue Mtis R. in presencia dictorum commissariorum exhibuit et de facto reposuit, petens insuper exadverso partem suam adversam ad reposicionem iurium, privilegiorum et litterarum, quas et que se habere pretendunt et quibus decimas solvere recusant, per dnos commissarios cogi et compelli aut saltem se iuxta litteras etc. conservari; in presencia eorundem dignitariorum, terrigenarum et civitatensium, oppidanorum et villanorum litteras, iura et privilegia reponere recusancium et nichil penitus, quod iuris fuerit, facere volentium. Et Rmus dnus a dnis commissariis petivit iusticiam iuxta commissionem ipsis desuper datam, alias de diligencia sua protestatus est solenniter.. Insuper in defectu iusticie per dnos commissarios ministrande iuxta commissionem ipsis datam Rmus dnus supradictos terrigenas et incolas agros colentes et de eisdem decimas non solventes ad ipsarum decimarum solucionem debitam iure suo spirituali cogi et compelli vult litterasque citacionum contra eosdem ad videndum ipsos incidisse declarari mandavit..

A. 1509, Iunii 2—14.

675. (Acta episc. I). Rmus dnus II Iunii exivit de Marienbork in Szobkow, III Iunii in Pieniaskow, Lune IV Iunii in Szwiecze, Martis V m. Iunii Bydgostiam et VI Iunii in Parkanie, die vero Iovis XIV m. Iunii in Parkanie subscripta decrevit.

A. 1509, Iulii 3.

676. (Acta episc. I). Martis III m. Iulii alias infra octavas Visitacionis Virginis gloriose Marie Rmus dnus ex Chelmcze exivit et Wladislaviam eodem die venit.

A. 1509, Iulii 26—Augusti 10.

677. (Acta offic. I). D. Iovis XXVI m. Iulii Rmus dnus de Wladislavia exivit et eodem die in Raczansch venit alias in crastino s. Iacobi apostoli et mansit ibidem continue usque ad diem Martis VIImam m. Augusti inclusive alias f. IIIam ante festum s. Laurencii, quo tempore vacancie iam per totum erant; tandem f. IV immediate sequenti alias VIII m. Augusti ex Raczliansch exivit in Vithow ad noctem, f. V sequenti de Vithow in Lubothin eciam ad noctem et f. VIta mane alias ipso die s. Laurencii in Colo venit de Lubothin iam extra diocesim suam pro s i n o d o ibidem celebrata et finita sinodo profectus est in Volborz clavem suam Gneznensis diocesis.

A. 1509, Novembris 16.

678. (Acta episc. I). Veneris XVI m. Novembris prox. ante festum s. Elizabeth Rmus dnus Vincencius episcopus Wladislaviensis ex Volborz Wladislaviam venit diocesim iam suam.

A. 1509, Novembris 22.

679. (Acta episc. I). Eodem die Rmus dnus de Wladislavia in Racziansch exivit.

A. 1509, Novembris 26— Decembris 7.

680. (Acta episc. I). Die Lune XXVI m. Novembris prox. ante festum Presentacionis gloriose Virginis Marie Rmus dnus ex Racziansch in Lubothin exivit et venit eodem die ibidem et commoratus est ibi continue usque ad f. VI^am alias vigiliam Concepcionis gloriose Virg. Marie, qua exinde exivit et in Chelmcze pro prandio venit.

A. 1509, Decembris 20.

681. (Acta episc. I). Die Iovis XX m. Decembris alias f. V in vigilia s. Thome apost. Rmus dnus ex Chelmcze exivit et Wladislaviam pro prandio venit.

A. 1510, Ianuarii 12—23.

682. (Acta episc. I). Die Saturni XII m. Ianuarii alias in vigilia octave Trium Regum Rmus dnus Vincencius episcopus Wladislaviensis de Wladislavia mane in Vithow exivit et in crastino demum ex Vithow in Colo ad conventionem terrestrem et tandem exinde in Volborz profectus est. Die autem Martis XXII m. Ianuarii alias ipso die s. Vincencii in Volborz mane intravit.

Die Mercurii XXIII m. Ianuarii alias f. IV post festum s. Agnetis prox. Rmus dnus Vincencius episcopus Wladislaviensis in Piotrkow intravit ad convencionem generalem ibidem celebrandam.

A. 1510, Martii 2.

683. (Acta episc. I). Die Saturni II m. Martii alias proxima ante Dominicam Oculi Rmus dnus conclusa convencione de Piotrkow egressus est et in Wolborz pro prandio venit.

A. 1510, Martii 3—8.

684. (Acta episc. I). Die Solis predicto Rmus dnus ex Volborz versus Cuiaviam alias diocesim suam post prandia exivit et demum f. IV tunc sequenti in Lubothin iam clavem et diocesim suam f. V^ta in Vithow et f. VI^ta tunc immediate sequentibus in Racziansch venit.

A. 1510, Martii 25—30.

685. (Acta episc. I). Lune XXV m. Martii post Dominicam Palmarum prox. Rmus dnus ex Racziansch mane exivit et Wladislaviam pro prandio venit et tandem sabbato magno Pasche infrascriptos ad gradus et ordines descriptos infra promovit et ordinavit in ecclesia cathedrali Wladislaviensi.

A. 1510, Aprilis 20.

686. (Acta episc. I). Sabbato XX m. Aprilis post festum s. Tiburtii prox

Rmus dnus ex Parkanie mane exivit et Bithgostiam eodem die pro Sinodo diocesana ibidem instituta et celebranda venit.

A. 1510, Aprilis 24 - 27.

687. (Acta episc. I). Die Mercurii XXIIII m. Aprilis alias in crastino s. Adalberti Rmus dnus Vincencius episcopus Wladislaviensis de Bithgostia mane finita sinodo exivit et eodem die in Parkanie venit, ubi continue mansit usque ad diem Veneris XXVI m. Aprilis, quo exinde exivit in Slawsko et demum ex Slawsko in crastino egressus est mane et in Chelmcze venit.

A. 1510, Maii 22.

688. (Acta episc. I). Mercurii XXII m. Maii post festum Pentecostes prox. Rmus dnus ex Chelmcze exivit et in Racziansch pro prandio venit.

A. 1510, Iunii 20—21.

689. (Acta episc. I). Die Iovis XX m. Iunii Rmus dnus ex Racziansch versus Poznaniam pro convencione exivit et eodem die in Chelmcze pro nocte venit et tandem sequenti feria VI[ta] extra diocesim propriam egressus est iter in Poznaniam continuaturus.

A. 1510, Iulii 24.

690. (Acta episc. I). Die Mercurii XXIV m. Iulii alias in vigilia s. Iacobi apostoli Rmus dnus ex Poznania rediens in Racziansch intravit diocesim suam et mansit ad f. II prox., qua mane egressus est et venit in Cziechoczin extra diocesim suam.

A. 1510, Augusti 11—22.

691. (Acta episc. I). Die Solis XI m. Augusti Rmus dnus de Cziechoczin exivit et venit pro nocte in Racziansch diocesim suam, in crastino Wladislaviam et tercia die in Siedlecz iam extra diocesim suam venit et exinde profectus est versus Pirkow clavem suam in terra Sandomiriensi sitam, ubi f. V ante festum s. Bartholomei apost. proxima alias XXII m. Augusti ingressus est.

A. 1510, Decembris 14.

692. (Acta episc. I). Die Saturni XIV m. Decembris alias in crastino s. Lucie Rmus dnus in Chelmcze clavem et diocesim suam rediit ex itinere Pirkoviensi.

A. 1510, Decembris 22—23.

693. (Acta episc. I). Die Solis XXII m. Decembris alias in crastino s. Thome apost. Rmus de Chelmcze exivit in Radzieiow pro convencione et eodem die in Vithow pro nocte venit et demum f. II alias XXIII m. predicti Wladislaviam intravit in vigilia vigilie Nativitatis Dni.

A. 1510—1511, Decembris 31-- Ianuarii 6.

694. (Acta episc. I). Martis ultima m. Decembris alias in vigilia Circumcisionis Dni Rmus dnus de Wladislavia mane ad convencionem terrestrem in Colo celebrandam exivit et eodem die in Isbiczam venit et tandem in cra-

stino in Colo ad convencionem prefatam intravit iam extra diocesim suam ac exinde versus Wolborz clavem suam profectus est. Die vero Solis V m. Ianuarii in Volborz intravit et in crastino in Piotrkow ad conventionem generalem intravit.

A. 1511, Februarii 14—17.

695. (Acta episc. I). Die Veneris XIV m. Februarii alias ipso die s. Valentini Rmus dnus conclusa convencione generali Piotrkoviensi exivit de Piotrkow in Volborz et in crastino versus diocesim suam inde egressus est, die autem Lune XVII m. predicti alias proxima post Valentini in Lubothin iam clavem et diocesim suam venit.

A. 1511, Februarii 22.

696. (Acta episc. I). Die Saturni XXII m. Februarii ante s. Mathie apost. prox. Rmus dnus ex Lubothin mane exivit et in Chelmcze pro prandio venit.

A. 1511, Martii 7—15.

697. (Acta episc. I). Die Veneris VII m. Martii post Cinerum prox. Rmus dnus ex Chelmcze exivit mane et in Racziansch pro prandio venit. Sabbato.. post Cinerum ordines infrascripti per Rmum dnum.. in capella castrensi in Racziansch sunt celebrati.

A. 1511, Aprilis 7.

698. (Acta episc. I). Die Lune VII m. Aprilis post Dominicam Iudica prox. Rmus dnus de Racziansch mane exivit et ipso die in Vithow pro prandio venit.

A. 1511, Aprilis 10.

699. (Acta episc. I). Die Iovis X m. Aprilis ante Dominicam Palmarum prox. Rmus dnus ex Vithow mane exivit et Wladislaviam venit ad prandia.

A. 1511, Aprilis 26.

700. (Acta episc. I). Sabbato Conductus Pasche Rmus dnus de Wladislavia mane exivit et eodem die in Cziechoczin clavem suam Plocensis diocesis pro prandio venit.

A. 1511, Maii 28.

701. (Acta episc. I). Die Mercurii XXVIII m. Maii alias in vigilia Ascensionis Dni Rmus dnus de Cziechoczin mane exivit et in Racziansch eodem die venit.

A. 1511, Iunii 12.

702. (Acta episc. I). Nobilis Iohannes Nieviesczinski de archidiaconatu Pomeranie Wladislaviensis diocesis coram domino et apud acta presencia constitutus.. eliberando se et suos kmethones de Nieviesczino de censuris excommunicacionum, quibus ad instanciam et ex officio domini racione non solucionis decimarum ipsi dno Episcopo et mense sue dudum retentarum extiterunt et sunt innodati, obligavit se suo et dictorum kmethonum nominibus.. quod parebit in toto ordinacioni seu composicioni ipsius dni Episcopi, que cum aliis Pomeranis, qui pro huiusmodi decimarum non solucione eciam sunt excommunicati, sub tempore subsequetur;

et in hanc vim prefatus Rmus ipsum Iohannem et suos kmethones prefatos decrevit absolvendos..

A. 1511, Iulii 1.

703. (Acta episc. I). Martis I Iulii alias in vigilia Visitacionis gloriose Virginis Marie Rmus dnus de Racziansch exivit et Wladislaviam pro prandio venit.

A. 1511, Augusti 12.

704. (Acta episc. I). Die Martis XII m. Augusti alias ante festum Assumcionis gloriose Virginis Marie prox. Rmus dnus ex Chelmcze mane exivit et in Racziansch pro prandio venit.

A. 1511, Septembris 5.

705. (Acta episc. I). Die Veneris V m. Septembris ante festum Nativ. Virg. Marie prox. Rmus dnus de Racziansch mane exivit et in Vithow pro prandio venit illucque pernoctavit.

A. 1511, Septembris 6.

706. (Acta episc. I). Die Sabbati VI m. Septembris.. Rmus dnus ex Vithow mane exivit et in Lubotin pro prandio venit.

A. 1511, Septembris 18.

707. (Acta episc. I). Die Iovis XVIII m. Septembris.. Rmus dnus de Lubotin mane in Siedlecz exivit iam extra diocesim suam et inde in Volborz profectus est.

A. 1512, Februarii 25—Martii 8.

708. (Acta episc. I). Die Mercurii XXV m. Februarii alias f. IV Cinerum, qua tunc fuit festum s. Mathie apostoli Rmus dnus Vincencius D. g. episcopus Wladislaviensis ex itinere Volboriensi rediens in Lubotin diocesim et clavem suam intravit et continuavit aliquot diebus et tandem d. Lune VIII m. Martii.. in Racziansch ingressus est.

A. 1512, Aprilis 15.

709. (Acta episc. I). Die Iovis XV m. Aprilis.. Rmus dnus Vincencius D. g. episcopus Wladislaviensis ex Racziansch diocesi sua mane exivit et in Cziechoczin clavem suam diocesis Plocensis eodem die venit et illuc continuavit.

A. 1512, Maii 19.

710. (Acta episc. I). Die Mercurii XIX Maii.. Rmus.. dnus Vincencius D. g. episcopus Wladislaviensis ex Cziechoczin diocesis Plocensis exivit et Wladislaviam propriam diocesim venit et ibidem mansit.

A. 1513, Aprilis 27, in curia episcopali.

711. (Acta episc. I).. [Comparuit] Mgr. Paulus de Zyrnyky legitimus procurator generosi dni Iohannis filii olim dni Ambrosii Pampowsky etc. reproducta monicione debite executa contra plebanum, patronum et victricos in Skarzewo non curantes restituere caput s Cristine legatum testamentaliter per prefatum

olim Ambrosium ecclesie prefate in Sroda, in cuius vim et effectum ibidem produxit testamentum prefati Ambrosii Pąmpowsky, petens eosdem declarari incurrisse sentencias excommunicacionis in monitorio contentas.

A. 1515, Martii 11.

712. (Acta offic. V). Die Solis, XI die m. Martii et alias in vigilia beatissimi Gregorii pape, ubi tunc dominica »Oculi mei etc.« in Quadragesima cadebat, aut forti influencia planetarum et corporum supercelestium cooperante aut ad ostendendum optimi maximi Dei iram et furorem, quibus tunc universum regnum Polonie tam peste quam igne in brevi erat perculsurus, quemadmodum rem ipsam effectus et exitus rerum indicavit, regnum ipsum Polonie ac provincias circumiacentes ac ferme universum terrarum orbem ventus horrendus et multis antea et retroactis seculis inauditus perflavit, unde edificia multa in regno ipso disiecta nemoraque ac silve eo ipso turbine radicitus perfacile corruerunt, globus quoque cum cruce deaurata ex summo pinne ecclesie cathedralis Wladislaviensis eo impetu depulsa ymum pecierunt solum, et alia ibidem tum in civitate quam summo colapsa sunt hoc malo a meridie quasi usque ad auroram diei alterius magis ac magis increbrescente; tunc statim civitas Wladislaviensis festo Pasche peracto horrendo epidemie morbo correpta est, in qua multi memorandi viri mortes immaturas appetere coacti sunt. Eo ipso malo atrocius per totum ferme annum debacchante, civitates quoque Warschoviensis et Lublinensis in festo Pentecosten multaque alia oppida per regnum ipsum consistencia per maleficos subordinacione ducis Mosquarum, qui intercepta arce Smolnensi, copiis in aciem deductis octingentis milibus suorum desideratis haud dignam, clandestinam et fraudulentam recompensam attentavit, rapaci igne absumpta plures calamitate extrema oppresserunt. Conventus quoque ille famatissimus et posteris seculis digne memorandus per divum Maximilianum Romanorum electum imperatorem Cesarem semper Augustum necnon serenissimos et invictissimos principes Wladislaum seniorem, Ludovicum iuvenem Bohemie et Hungarie principes et Sigismundum Polonie reges in oppido Posonii alias Pransburgk per multos dies habitus est, ubi multi insignes tractatus facti et pax perpetua inter regem Polonie et ordinem Cruciferorum de Prussia predicata fuit et alia multa et laudabilia sancita pro communi bono, que utinam in robore maneant, ibidem narrantur fuisse facta. Moxque rege Polonie Sigismundo ad propria remeante, ut plerumque fit, post leta tristia evenire, regina Barbara mulier laudate pulchritudinis morumque ac clemencie singularissimorum partu edito femineo in arce Cracoviensi die Martis, II m. Octobris, diem vite sue adhuc in iuvenili etate viriumque robore clausit extremum regem ipsum totamque aulam ipsius ac ferme universum regno Polonie diutino eiulatu afficiendo, cuius mortem magnifici dni Nicolaus Camienieczky palatinus Cracoviensis, Andreas Cosczieleczky tezaurarius precesserunt et Iaroczky marschalkus curie subsequutus.

A. 1515, Martii 14, in consistorio.

713. (Acta offic. V). In causa honor dni Przeczlai Swianthoslawsky prepositi mansionariorum ecclesie parochialis in Chotecz contra nobilem Petrum Zalessky, prepositus.. proposuit verbo, quomodo ipse.. tenetur eidem marcam me-

diam.. pro residuo decime apud eundem empte, petens ipsum in eadem condempnari.. Et ibidem Petrus per se reconveniendo.. allegavit, quod licet.. eidem dictam ½ marcam teneatur.. tamen eandem sibi detinuit racione detencionis huiusmodi sibi per certum alium nobilem facte et quamvis eundem memoratus dnus prepositus.. a quolibet detentore decime evincere pollicitus fuit, quod tamen minus fecit inhactenus.. Et dominus ex confessatis ipsius Petri solvendum decrevit per quindenam.. et nichilominus memorato dno preposito cum nobili decime detentore actionem decrevit intentandam fore..

714. (Ibidem). In causa eiusdem dni prepositi contra honestum Mathiam Duscha oppidanum de Przedecz, prepositus.. proposuit verbo, quomodo ipse.. tenetur eidem VIII marcas.. pro certis decimis apud eundem emptis.. Et ibidem Mathias allegavit.. quia sibi dictam pecuniam VIII marcarum detinuit et detinet inhactenus ex eo, quia nobilis Iohannes Bronyschewsky a dicta decima denegavit sibi stramina danda fore neque dedit et propterea ad solucionem memoratarum VIII marcarum.. se minime debere teneri ex eo, quod ipsam decimam per eum apud dictum dnum prepositum eciam cum straminibus emptam non totaliter receperit. Et ibidem Iohannes Bronyschevsky.. allegavit, quia dictam decimam vicinorum et suum agros devenientem conducit equis et familia curruque propriis et obinde huiusmodi stramina deberi pertinere ad eundem. Et dominus huiusmodi stramina eidem adiudicavit, et nichilominus memorato Mathie Duscha VIII marcas pecuniarum pro ipsa decima dno preposito solvendas esse.. decrevit..

715. (Ibidem). In causa eiusdem dni prepositi contra nobilem Iohannem Sbiewsky et suos vicinos de ibidem, prepositus.. [proposuit], quomodo ipse cum suis vicinis stramina ab huiusmodi decimis manipularibus ad ipsum dnum prepositum et suam ecclesiam pertinentibus.. pro se usurpant et dare recusant in preiudicium et gravamen dicti dni prepositi ac illibertacionem decime, petens eos propterea in ipsis straminibus et valore earum condemnari.. Et ibidem Iohannes ..allegavit, quia decimam ipsam, pro qua contra eundem proponitur, unacum vicinis ipsius conducit equis, familia et curru propriis, et ideo ad restitucionem straminum ab eadem se minime debere teneri ac circa ea manere secundum consuetudinem antiquam per dominum decerni cum instancia debita postulavit. Et dominus decrevit..

A. 1515, Aprilis 18, in consistorio.

716. (Acta offic. V). Abhinc coram Rdo patre dno Iohanne de Parznyowyce archidiacono vicarioque in Spiritualibus Wladislaviensi generali in loco et civitate Wladislaviensi omnes audiencie cessaverunt, quia iam tunc inibi sevicia pestis, ut ex certis indiciis comperiebatur, incipiebat pullulare, ideo tunc primum dnus archidiaconus in Prussiam ad Sobkovy prope Gdanum causa componendi cleri concessit.

A. 1516, Martii 7, in consistorio.

717. (Acta offic. V). In causa discretorum Iohannis vicarii contra Paulum ministrum ecclesie parochialis in Bythom circumspectus mgr. Paulus de Zernyky Iohannis legitimus procurator.. proposuit verbo, quomodo ipse anno presenti die Dominica Letare.. immediate preterita.. machinacione dyabolica vinum pro celebranda missa, quod tunc ibidem in ecclesia fuit, ipsi Iohanni celebranti in Dei

omnipotentis et ipsius Iohannis iniuriam et perturbacionem dare recusavit, sic quod ipse Iohannes missa incepta, in qua ad offertorium usque processerat inclusive in defectu vini recedere ab altari coactus est missa non finita, quas huiusmodi omnipotentis Dei ad X et ipsius Iohannis ad III marcas.. memoratus Paulus procurator ad animum revocando iniurias, prout tunc revocavit.. et extimat.. petens ipsum [Paulum ministrum].. ad solvendum cogi.. Iterum contra eundem memoratus Paulus procurator gravi in querela ex officio domini proposuit, quomodo in schola prope ecclesiam sub missa et divinis officiis mane cervisiam et vinum combustum propinat sicque divina officia per se et suos combibones impedit et perturbat in iniuriam omnipotentis Dei non modicam animeque sue.. damnacionem et Christifidelium plurimorum exemplum perniciosum et sequelam malam. Et dominus eidem exnunc huiusmodi potaciones propinare inhibuit sub pena III marcarum irremissibiliter solvendarum. Et ibidem generosus et nobilis dni Iacobus Spiegowsky gladifer Dobrzinensis et Albertus Camyensky recognoverunt, quomodo ipse Paulus minister anno prox preterito bonum hominem nobilem cognomento Bodzantha in Dobrzin interfecit. Et dominus eidem ex consistorio suo abire mandavit..

A. 1516, Aprilis 4, Wladislavie in curia episcopali.

718. (Acta episc. II). In causa honor. Iohannis plebani in Dambye contra discretum Stanislaum in Swyerczyno, mgr. Paulus Banthkowsky plebani procurator legitimus proposuit verbo, quia ipse existens vicarius ad ecclesiam parochialem in prefata Swyerczyno ausus est ipsius plebani parochiam intrare absque voluntate eiusdem panesque anno presenti nobili.. Dampski de prefata Dambye, qui domicilium habet sub campana ipsius plebani, benedicere in preiudicium contemptumque ipsius plebani contraque statuta provincialia, petens ipsum in pena sinodali, videlicet III marcarum condemnari. Exadverso comparens vicarius per se contenta in propositione confessus est se fecisse, allegando, quod de mandato sui plebani, videlicet Martini Grad mansionarii ecclesie cathedr. Wladislav. fecit. Et Rmus dnus ex confessatis ipsum Stanislaum vicarium in pena sinodali videlicet III marcarum condemnavit ipsasque eidem Stanislao vicario infra I mensem sub excommunicacionis pena solvere mandavit, actionem nichilominus ipsi Stanislao vicario cum Martino plebano suo reservavit..

A. 1516, Aprilis 10, Wladislavie in curia episcopali.

719. (Acta episc. II). Mathias Drevicius D. g. episcopus Wladislaviensis significamus per presentes, quibus expedit, universis et singulis, quia compacientes oppidanis nostris oppidi Racziansch, quos ignis domos eorum et res concremando castigavit et magno dampno affecit, libertatem eis ad intercessionem vener. capituli nostri Wladislav. octo annorum, ut se viceversa instaurent et in edificiis reparent, ab omnibus oneribus, tributis et dacionibus ac angariis necnon a censu civili nobis solvi annis singulis consueto et a *morgowe* damus et donamus, censum agrorum pro nobis integraliter reservando; sed ut tanto libencius et commodius de instauracione domorum operam dent, absolvimus eosdem cives a medio censu agrorum hoc anno duntaxat subsidium eisdem ad edificiorum instauracionem faciendam, medietatem autem nobis solvere sint astricti, et deinceps annis sequen-

tibus integrum. Ut autem idem oppidani post tam magnum dampnum in substancia crescant, indulgemus et permittimus, ut tam annualia fora quam septimanalia diebus et temporibus ab antiquo consuetis, omni libertate a Srmis regibus et principibus, tum eciam a nostris predecessoribus habita gaudentes, exerceant. His itaque in testimonium sigillum nostrum subappendi fecimus. Datum Wladislavie X m. Aprilis A. D. MDXVI..

A. 1516, Aprilis 25—27.

720. (Acta episc. II). XXV[ta] m. Aprilis Rmus dnus Mathias D. g. episcopus Wladislaviensis ex Wladislavia in Lyubothyn exivit; exinde XXVII mensis eiusdem exiens in Chelmcze venit et infrascripta decrevit.

A. 1516, Aprilis 27[1]), Wladislavie in curia episcopali.

721. (Acta episc. II). Rmus dnus Episcopus honor. Urbanum Ulricht presbiterum de Gedano racione contumacie dudum ex officio ad instanciam instigatoris officii sue Ptis Rme per vener. dnum Iohannem de Parznyewycze archidiaconum vicariumque in Spiritualibus ac officialem Wladislaviensem generalem excommunicatum, prout lacius in processibus desuper emanatis continetur, id humiliter petentem, recepto prius ab eo iuramento corporali.. de parendo iuri.. ipsum absolvit et litteras absolucionis dandas decrevit; nichilominus tamen ipsi Urbano ad respondendum certis articulis contra eum ex officio datis.. terminum in futura sinodo diocesana prefixit et assignavit, quem terminum ipse Urbanus acceptavit..

A. 1516, Aprilis 29.

722. (Acta episc. II). Penultima eiusdem mensis Rmus dnus ex Chelmcze exivit et in Wladislaviam pro prandio venit.

A. 1516, Aprilis 30.

723. (Acta episc. II). Tricesima eiusdem mensis Rmus dnus Episcopus ex Chelmcze in Cruswycza pro audiendis divinis et videndo regimine in divinis officiis iverat et ad Chelmcze pro prandio venerat econtra eadem die.

A. 1516, Maii 16, Wladislavie in curia episcopali.

724. (Acta episc. II). In causa nobilium Helene et Elizabeth virginum heredum in Gaszowo contra honor. Petrum plebanum in Branno occasione eiectionis scabelli seu stalli de ipsa ecclesia in Branno ad predecessores ipsarum virginum ex antiquo et successive ad ipsas spectantis et pertinentis, Rmus dnus.. mandavit plebano, ut infra octo dies se immediate sequentes ipsum scabellum seu stallum ad dictas nobiles modo premisso spectans ad locum hunc, de quo semotum fuerat et in quo ex antiquo stabat, transferret et locaret et tabulam, picturam Crucifixi in se continentem in medio ecclesie et in terra locatam, ad partem semoveret sub excommunicacionis pena..

A. 1516, Maii 26, Wladislavie in curia episcopali.

725. (Acta episc. II). Constitutus coram Rmo dno honestus surdus mutus familiaris dni Iohannis Parznyewski archidiaconi vicariique in Spiritualibus ac offi-

1) Data ta nie jest pewną. Następne zaraz zapiski są z 31 marca i 2 kwietnia, być więc może, że zamiast »Martii« pisarz przez nieuwagę napisał »Aprilis«.

cialis Wladislaviensis generalis per signa et nutus in suum procuratorem constituit in causa, quam movit et intentat honeste Anne Sczepanowa de Wladislavia occasione certi depositi, discretum Mathiam Lyubowyczski confamiliarem suum presentem nutus signaque sua interpretantem et onus huiusmodi procuracionis in se sponte suscipientem pro principalique se in ipsa causa ponentem, eciam si ipse mutus surdus a ratihabicione recesserit, iudicatum solvere promittentem cum omnibus et singulis clausulis.. oportunis..

A. 1516, Iunii 1—2.

726. (Acta episc. II). Rmus dnus die Lune prima m. Iunii mane de Wladislavia exivit et in Racziansch pro prandio venit et exinde in crastino ad noctem econtra rediit Wladislaviam.

A. 1516, Iunii 26—28.

727. (Acta episc. II). Die Iovis XXVI m. Iunii Rmus dnus de Wladislavia mane exivit et in Chelmcze eundo in Bresczie pro conspiciendo ordine et regimine ecclesie parochialis condescendit et ad noctem in Chelmcze venit, inde usque XXVIII eiusdem mensis pro capitulo Cruschwiciensi ivit ibique coram sua Pte Rma actus infrascripti sunt observati et primo in Chelmcze.

A. 1516, Iulii 23, Wladislavie in curia episcopali.

728. (Acta episc. II). Constituti personaliter coram Rmo.. dno Matia episcopo Wladislav. generosi dni Nicolaus Cosczeleczky de Skampe castellanus Iuniwladislaviensis et capitaneus Brzestensis et Martinus Borzymowsky iudex terre Brzestensis certas litteras quatuor sub titulo et sigillo.. Srmi.. dni Alexandri D. g. olim Regis Polonie etc. unas videlicet super tribus millibus flor., alias vero ratificacionis exempcionis medietatis thelonei Brzestensis in CD flor. Hungar. a dno Andrea Opporowsky per dnum Raphaelem Lesczynsky, tercias consensum super exempcione medietatis thelonei a successoribus dni Raphaelis Lyesczynsky dno Paulo Sworcz datum in se continentes, quartas obligacionis Brzesczye in alia summa videlicet MDCCC marcis per R. Mtem dno Paulo Sworcz et consensum exemendi Radzeiow in se continentes, necnon quintas litteras.. Srmi.. dni Sigismundi D. g. Regis Polonie feliciter moderni consensum, quod videlicet prefatus dnus Nicolaus posset predicto dno Martino Borzymowsky oppidum Lypno, necnon molendina et torquatilia in Brzesczye et censum ex villa Przepusth necnon censum pretorii dictum *loiowye* obligare, in se continentes reproduxerunt, quas pecierunt per Rmum dnum Episcopum ad acta sue Ptis Rme regestrari.. mandari, quibus regestratis demum ad thezaurum ecclesie Wladislaviensis ac in manus vener. capitulo canonicorum Wladislav. ad servandum dari.. ita tamen, quod dictum capitulum prefatas litteras dno Nicolao Cosczeleczky sine dno Martino Borzymowsky et dno Borzymowsky sine dno Cosczeleczky sive eorum successoribus non debent dari, sed utriusque consensu accedente. Et Rmus dnus Episcopus litteras prefatas ad acta sue Rme Ptis regestrari michi notario publico mandavit.. quarum litterarum tenores.. sunt tales[1]):

Alexander D. g. rex Polonie.. significamus.. quia pro nostra et reipu-

[1]) Z przytoczonych tu dokumentów podajemy tylko pierwszy ze względu na wzmiankę o przywileju Nieszawskim.

blice necessitate a generoso Paulo de Visthovicze capitaneo Nove civitatis Corczyn, nostrarum Vieliciensium et Bochnensium zupparum factore, tria millia flor. in moneta mediorum gr. mutuavimus realiterque levavimus et recepimus, de quibusquidem tribus millibus flor. Paulum ipsum successoresque suos cerciorem et indemnem facere volentes sibi successoribusque suis eadem tria millia flor. in moneta in et super castro et oppido nostro Brzesczye ac villis Crosyno, Clobya, Sokolowo et Mnychowicze aliisque villis ad castrum et oppidum predictum pertinentibus, que inpresenciarum in possessione nostra sunt, de consilio et sciencia consiliariorum nostrorum inscribendum duximus et inscribimus eorumqe omnium bonorum sibi possessionem et intromissionem realem dedimus.. tenore presencium mediante per ipsum Paulum et successores suos legitimos castrum et oppidum predictum cum capitaneatu ac villis ad castrum et capitaneatum oppidumque illud pertinentibus suprascriptis cum omnibus et singulis oppidanis, cmethonibus, censibus, fructibus, redditibus et proventibus universis, cum exactione *poradlne* terre Brzestensis, contribucione frumentaria alias *sepy*, theloneis, stationibus, foralibus, iudiciis castrensibus districtuum omnium terre eiusdem et penis nostris et cum omnibus agris, pratis, campis, silvis, borris, gaiis, rubetis, curiis, domibus earumque suppellectilibus, prediis, pecoribus, pecudibus, iumentis, equis, acervis, horreis, frumentis et segetibus, bladis, fluviis, fluminibus, piscinis, piscaturis, lacubus, molendinis aquaticis, equestribus et ventilibus eorumque emolumentis, daciis gallorum, ancarum, ovorum et rerum aliarum cumque omni iure, dominio et proprietate nichil excipiendo, prout ad predicta bona spectant et pertinent ab antiquo, nichil iuris et dominii pro nobis et successoribus nostris penitus reservando, sed sicut soli tenuimus et habuimus, tenendum, habendum, utifruendum et quiete possidendum usque ad plenariam predictorum trium millium flor. per nos vel nostros successores sibi et eius successoribus legitimis faciendam solucionem, qua solucione facta possessio predictorum bonorum omnium ad nos et successores nostros converteretur pleno iure. Eas vero conditiones describimus, quia nulli hominum, cuiuscunque status et condicionis existencium, Paulum predictum de tenuta bonorum eorundem redimere admittemus aut consenciemus interim, donec ipse Paulus vitam aget in humanis, excepto quod nos ipsi propriis pecuniis nostris vellemus eximere; tunc equidem salvum volumus ius esse nobis successoribusque nostris redimendi in vita et post mortem Pauli prefati, sed eodem Paulo morte absumpto licebit nobis successoribusque nostris vel pro necessitate nostra vel pro condicione meliori tenute illius bona ipsa de manibus successorum eiusdem Pauli consentire per alium vel alios, quibus favere voluerimus aut successores nostri voluerint, redimi. Verum quia accipimus statutum esse in regno nostro, presertim vero in privilegio Nyeschoviensi, quod castra et civitates principales nulli hominum esse inscripturi (s) sub ammissione summarum inscribendarum, itaque volentes in ea parte securitati et indemnitati eiusdem Pauli et successorum suorum consulere, decrevimus de consilio consiliariorum nostrorum presentibus litteris nostris illi statuto quo ad eum punctum derogandum atque effectum statuti illius Nyeschoviensis in eo ipso puncto usque ad exempcionem dicti Pauli et successorum suorum, quo duntaxat ad effectum indemnitatis Pauli ipsius et successorum eius, suspendendum derogamusque et suspendimus presentibus; et insuper fidelitatis et benemeritorum gracia Pauli eiusdem providere cupientes in ea parte, ne per vim

statuti illius Paulus ipse et successores sui summas predictas florenorum nobis mutuo datas presentibusque inscriptas ad alicuius importunam aut forsan ad universorum prelatorum, baronum et universorum regnicolarum nostrorum instanciam consilium aut laudum amitterent, aut si ipse Paulus successoresque sui de tenuta et possessione bonorum predictorum nostrorum cedere cogeretur, laudo communi novo aut antiquo et similiter privilegio Nyeschoviensi aut aliquo quocunque novo aut veteri prevalentibus, sic quoque si ipse Paulus successoresque sui in tenuta et possessione bonorum predictorum aut in percepcione integra summarum florenorum suprascriptorum se tueri non possent, pollicemur tenore presencium nosque et successores nostros inscribimus ad solvendum ipsi Paulo successoribusque suis predictam trium millium flor. summam, ad quod nos successoresque nostros obligatos efficimus statuto Nyeschoviensi et quolibet alio non obstante, tanquam presens inscripcio in bonis, sed in verbo nostro regio esset facta, prout verbo nostro regio easdem condiciones sibi successoribusque suis implere harum serie promittimus litterarum, et si ipse Paulus tempore sue tenute in castro predicto nostro aliqua edificia notabilia erexerit vel si pro reparatione castri notabilem sumptum fecerit, id nos successoresque nostri sibi successoribusque suis, quidquid ipse Paulus verbo humanitatis et consciencie sue dicet ad eadem edificia expositum, circa exempcionem solvere debebimus et debemus. Preterea eam cum Paulo ipso condicionem inscribimus reservamusque, quia nos successoresque nostri post mortem Pauli eiusdem exemendo bona predicta nostra successoribus Pauli eiusdem non plus quam duo millia flor. sumus daturi; tercium vero mille eiusdem summe trium millium flor. cum predictis bonis nostris ad nos successoresque nostros devolvetur pleno iure. Et si interim, donec ipse Paulus possidebit eadem bona nostra, aut bellum aut impugnacio imminerent castro et oppido predictis nostris, in eo casu nos successoresque nostri pulveres, bombardas et armorum gentes in ea condicione, quam exiget imminens hostilitas, pro defensione castri et oppidi predictorum daturi sumus, que omnia per nos inscripta rata et firma esse volumus ac ad tenendum ea nos et successores nostros inscribimus et obligamus presentibus, iuribus nostris semper salvis. Harum, quibus sigillum nostrum est subappensum, testimonio litterarum. Datum in Nove Civitatis Corczyn convencione f. VI prox. post octavas Corporis Cristi *(d. 3 Iunii)* anno ipsius Nativitatis MDII, regni vero nostri primo.

Creslaus episcopus et R. P. cancellarius susscripsit.

Relatio Rdi in Christo patris dni Creslai episcopi Wladislaviensis et R. P. cancellarii.

A. 1516, Septembris 5, in consistorio.

729. (Acta offic. V).. Dnus Paulus [canonicorum regularium ordinis s. Augustini conventus in Ludbrancz] prepositus [et ecclesie parochialis in Bythom plebanus] contra.. [nobilem dnum] Nicolaum Nassilowsky.. occasione certarum decimarum.. proposuit verbo, quia quamvis a multis transactis annis et quod in memoria hominum non existit, de laudabili consuetudine iamdudum prescripta fuit et erat estque et existit mos et consuetudo antiqua tenta et approbata, quod persone spirituales decimas manipulares campestres, ad beneficia eorundem spectantes et pertinentes de agris cmethonalibus et quos ipsi cmethones ad usum suum colunt et arant in toto regno Polonie, decimas huiusmodi per se et suos

factores decimant et designant, nullo eos in premissis impediente et molestante, nichilominus tamen prenominatus Nicolaus cmethonibus in Dambrowka, nullo consensu et mandato dicti dni prepositi accedente, decimavit et decimam ipsam nescitur quo abduxit, et ibidem eandem decimam ad VI marcas pecuniarum extimavit, petens ipsum propterea in eisdem condempnari.. Et ibidem dictus Nicolaus allegavit, quia ex antiquo nobiles dictorum bonorum in Dambrowka heredes semper cmethonibus suis ibidem in Dambrowka decimabant et decimam ipsam pro plebano in dicta Bythom spectantem in locum tutum et securum integram fideliter conducebant et providebant, prout ipse Nicolaus similiter nunc fecit, petens se iuxta antiquam consuetudinem in decimanda ipsa decima conservari. Et dominus volens abolere istum morem et consuetudinem malam volensque decimam ipsam liberam facere decrevit, ut exnunc et inantea Nicolaus ipse et sui legitimi successores et posteri in decimacione prenominate decime in Dambrowka sese nullomodo intromittant sed eam dicto dno preposito in Ludbrancz, in prenominata Bythom plebano et suis legitimis successoribus decimare libere permittant iuxta huius provincie consuetudinem realiter et cum effectu sub censuris ecclesiasticis..

A. 1516, Septembris 28, in consistorio.

730. (Acta offic. V). Magnificus dnus Nicolaus Cosczieleczsky de Skampe castellanus Iuniwladislaviensis, Brzestensis et Dobrinensis terrarum capitaneus generalis in presentia Rdi patris dni Stephani de Lochowo canonici vicariique in Spiritualibus et officialis Wladislaviensis generalis.. publice recognovit.. quomodo certum mutuum debitum M flor. Hungaricalium.. quod Rmus.. dnus Iohannes D. g. archiepiscopus Gnesnensis.. Rmo.. dno Nicolao.. episcopo Chelmensis et preposito Wladislaviensis ecclesiarum certo modo tenetur.. ex quodam certo contractu cum prenominato dno Archiepiscopo per ipsum magnificum dnum Nicolaum castellanum de.. voluntate prenominati Rmi dni Nicolai episcopi Chelmensis inito et facto super se et bona sua quecunque ac posteritatem suam legitimam ipsi dno Nicolao episcopo Chelmensi patruo suo modo et ordinacione infrascriptis suscepit solvendum necnon CC flor. Hungaricales.. apud prenominatum dnum Nicolaum episcopum pro se et ad necessitatem suam et bonorum suorum propriam mutuatos.. et manualiter levatos se debere et teneri.. Quorumquidem mille.. et CC.. florenorum preinsertorum.. prenominatus dnus Nicolaus castellanus CC pro nunc.. instanti festo Pasche et tandem singulis annis.. per C flor. pro quolibet festo Pasche ipsi dno Nicolao episcopo, casu vero, quo suam Ptem Rmam de predicta MCC flor. summa in parte vel in toto nichil recipiendo ex hac luce.. migrare contingeret.. extunc.. prefati dni Nicolai episcopi testamenti exequutoribus.. solvere et in manus eorum.. reponere.. usque ad extenuacionem totalem MCC flor. summe.. se obligavit.. Et quia memoratus Rmus dnus Nicolaus episcopus certum censum annuum ex zuppis Premisliensibus eundem concernentem, videlicet CCX florenorum.. pro fabrica, instauracione et complemento turris ecclesie Wladislaviensis a parte sinistra eiusdem ecclesie site designavit, ideo si suam Ptem Rmam ante nunc instantia festa Pasche mori accideret, et alias antequam eidem dictus census de predictis zuppis fuerit exhibitus, extunc dicti dni exequutores dictos CC flor., quos ab ipso dno Nicolao castellano pro prima ratha receperint, pro restauracione memorate turris convertent; et ni-

chilominus memorati dni exequutores.. residuam M flor. summam, si ipsum dnum Episcopum.. mori accideret, antequam aliquid a dicto dno castellano de dictis M flor. ad extenuacionem eorundem totalis summe pro temporibus constitutis receperint, ad edificia et alia necessaria ecclesie et monasterii fratrum Minorum de observancia s. Bernhardini conventus in Skampe per ipsum dnum Nicolaum episcopum noviter erecti et constructi de scientia et dispositione vicarii provincialis dictorum fratrum aut gwardiani dicti conventus alternative integre.. tenebuntur.. extradere.. sub censuris ecclesiasticis..

A. 1516, Octobris 31, in Gedano in curia episcopali.

731. (Acta episc. II). Mandatum sive decretum Rmi dni episcopi contra presbiteros intra et extra muros Gedanenses immorantes sinodaliter factum. – Rmus.. dnus Mathias D. g. episcopus Wladislaviensis omnibus et singulis presbiteris intra et extra muros Gedanenses ubilibet constitutis et existentibus, ipsis in ecclesiam beatissime Virginis Marie parochialem maioris oppidi Gedanensis per speciales litteras sive mandatum sinodaliter convocatis et congregatis, in presencia ipsorum infrascripta tenere et observare sub pena sinodali per ipsos et quemlibet eorum, si secus fecerint vel fecerit, sue Pti Rme irremissibiliter persolvenda mandavit, imprimis: quod nullus presumat divina celebrare officia sub processionibus, que fieri solent pro pace et sub aliis quibuscunque neque sub pronunciacione verbi Dei ad populum quodque eciam ne ipsis processionibus superpiliciati intersint et processionaliter cum ea, qua decet, reverencia incedant. Eciam Rmus dominus mandavit, ut habitum pro statu clericali convenientem et tonsuram deferant comamque non nutriant; quod eciam nullus presumat tabernas visitare et non ultra nisi ad septimam in collacionibus sedere, si ad eas invitati fuerint. Item ut breviarium Wladislaviense et missalia Wladislaviensia infra unum annum habeant secundumque ritum et rubricam consuetudinemque ecclesie cathedralis Wladislaviensis orent, tamen de legendis lectionibus in breviario cum ipsis per suam Ptem Rmam est dispensatum, quod videlicet de ipsis lectionibus in Wladislaviensi breviario existentibus possunt legere, quantum volunt vel quantum devocio uniuscuiusque suaserit. Insuper sua Ptas Rma mandavit, ut statuta sinodalia diocesana et provincialia habeant, in quibus premissa lacius et plura alia pro informacione cleri, quomodo vivere et suum statum dirigere debeat, pernecessaria continentur sub prefata et aliis in ipsis statutis expressis penis habeant et contenta in eisdem expleant, quorum copie in ipsa ecclesia relicta sunt; preterea sua Ptas Rma mandavit prefatis presbiteris et pro tempore existentibus, ut plebanis et prepositis ecclesiarum, alias quod unus quisquam suo prelato, circa cuius ecclesiam immoratur, obediant et obediat ac reverencia honoreque congruis preveniant eosdem et preveniat. Eciam Rmus dominus Episcopus mandavit omnibus et singulis plebanis et prepositis ecclesiarum prefatarum, quod presbiteris extraneis divina celebrare in eorum ecclesiis non admittant, donec prius de litteris receptatoriis in diocesim alias ostensione et productione in medium earundem docuerint; presentibus ibidem vener. dnis Iohanne Parznyewsky archidiacono, Iacobo Erczyschewsky decretorum doctore canonico Wladislaviensibus, Petro Syenynsky Cracoviensi et Paulo Stanowski Cruschwiciensi canonicis ac me Felice Relski notario publico causarumque scriba.

A. 1516, Novembris 26—30.

732. (Acta episc. II). Die Mercurii XXVI Novembris Rmus.. dnus Mathias D. g. episcopus Wladislaviensis de Wladislavia exivit et clavem Volboriensem extra diocesim propriam ultima Novembris intravit.

A. 1516—1517, Decembris 22—3 Januarii.

733. (Acta offic. V). Annus presens et si divino nutu a contagione pestilentica hic in partibus inferioribus Polonie immunis fuerit, tamen superior ora: Cracoviensis, Sandomiriensis et Lublinensis terre eo ipso malo nichilominus fuerunt agitate, cuius mali aliud ferme simile nec mediocre accessit malum. Schite etenim, quos vulgo Tartaros vocamus, terras Russie ingressi versus Samboriam omnia ferro igneque vastarunt, unde congesta grandi et numerosa preda ad propria licet nonnulli eorum, qui sparsim non glomerato agmine debachabantur, desiderati fuissent, remearunt incolumes nec in suam interiorem provinciam se conferentes prope Braslaw, Kyowiam et Wynnycza territoria Podolie maximis exercitibus coactis tripliariam divisi hiemarunt. Quid tandem acturi imposterum sint, soli Deo non incognitum arbitramur. Que configuracio celi, quive influxus celestes effecerint, satis ambiguum, ut hoc regnum Polonie eo ipso anno frugum hiemalium alias annone caristia afflictum inaudita tonitruorum tempestate vexatum est, unde incinerationes edificiorum et hominum mortes ex scintillationibus et ictibus supernis creberrimis acciderunt. Soles quoque tres pari lumine Sabbatho ante Dni Epiphaniam visu horrendi, ut plerique affirmabant, visi sunt, et coruscationes in hieme cum levi tonitruo in die s. Barbare ante auroram vise et audite fuerunt, prima quoque turris ecclesie Wladislaviensis per aliquas noctes aliquandiu irradiari a plerisque visa comprobatur.

A. 1517, Ianuarii 10—15.

734. (Acta episc. II). Die Saturni X m. Ianuarii Rmus.. dnus Mathias D. g. episcopus Wladislaviensis ex clave et oppido Wolboriensi exivit et in Wladislaviam diocesemque suam die Iovis XVma eiusdem mensis intravit, ubi actus infrascripti sunt coram sua Pte Rma observati.

A. 1517, Ianuarii 30.

735. (Acta episc. II).. Die.. Lune XXX m. Ianuarii Rmus dnus Episcopus ex Wladislavia diocesi sua exivit et clavem Volboriensem extra diocesim sitam intravit.

A. 1517, Marcii 30—Aprilis 2.

736. (Acta episc. II).. Die.. Lune XXX Martii Rmus dnus Episcopus ex clave Volboriensi cum curia sua exivit et versus Vladislaviam iter continuavit diocesimque suam d. Iovis II m. Aprilis intravit.

A. 1517, Aprilis 16.

737. (Acta episc. II).. Die.. Iovis XVI m. Aprilis Rmus dnus Episcopus ex Wladislavia versus clavem Wolboriensem extra diocesim sitam exivit et iter cum curia sua continuavit, inde Hungariam per R. Mtem in legacione missus profecturus.

A. 1517, Augusti 12.

738. (Acta episc. II).. Die.. Mercurii XII m. Augusti Rmus dnus Episcopus itinere Hungarico terminato ex clave Wolboriensi in Wladislaviam diocesimque suam intravit.

A. 1517, Septembris 4, in consistorio.

739. (Acta offic. V). In causa iniuriarum honor. dni Michaelis plebani ecclesie parochialis in Soliecz et contra providum Coska carpentarium oppidanum de Dibowo, Michael plebanus per se.. verbo proposuit, quomodo ipse plebanus convenit eundem Thomam ad edificandum ecclesiam de novo in dicta Soliecz de roboribus lignorum paratis, ad cuiusmodi laborem ipse Thomas a dicto dno Michaele recepit XXI sexagenas pecuniarum prompte et male pecunie et certa victualia etiam non spernendi valoris, nec tamen inceptum continuat laborem, nec eum in tantum perfecit, quantum accepit pecunie pro eodem, petens ipsum omnibus remediis iuris ad huiusmodi laborem continuandum et perficiendum cogi et compelli, quia et robora ob interrupcionem laboris a sole, vento et pluvia sunt denigrata et informem ecclesiam reddent, in quo eandem ecclesiam maxime dampnificavit, petens etiam ipsum ad refundendum ac realiter et cum effectu solvendum damnum ipsi ecclesie compelli. Et ibidem prenominatus Thomas.. allegavit iudicialiter se propterea huiusmodi laborem intermisisse, quia eundem dictus dnus Michael notorie infamavit, extimando iniuriam ad X marcas.. Et dominus in favorem ecclesie et cultus divini.. mandavit et precepit ipsi Thome continuare et successive perficere huiusmodi laborem ab hodie ad tercium diem sub censuris ecclesiasticis, super infamia autem sibi, ut asseruit, per dnum plebanum obiecta actionem reservavit integram ad tempus, quando ecclesie laborem consumabit..

A. 1517, Octobris 7, Wladislavie in curia episcopali.

740. (Acta episc. II). Constitutus personaliter coram Rmo dno Episcopo honor. Felix Relski altarista altaris s. Barbare in ecclesia cathedr. Wladislaviensi et officii instigator.. accusata contumacia honor. dni Stephani plebani in Spythal contra ipsum proposuit verbo, quia ipse contra prohibiciones sacrorum canonum statutorumque provincialium ac diocesanorum tabernas visitat et collaciones in ipsis eciam cum rusticis ebrietatibus deditis celebrat et conversatur, cum quibus dissensiones contencionesque facit et exercet et multociens ad arma clericis prohibita, cum quibus incedit, consurgit et ipsos rusticos impetuose manu armata aggreditur eos percuciendo et vulnerando, prout clare constat et nequaquam negari poterit in honesto Nicolao de Chelmycza cmethone, quem ita atrociter in facie et naso ac in aliis sui corporis partibus vulneraverat quod ex ipsis vulneribus vix vivus remansit, in magnum dedecus status clericalis ac sacrorum canonum statutorumque provincialium et diocesanorum in contemptum, per quod status clericalis vilipenditur et ad odium pervenit secularium, petens propterea in ipsum plebanum penas in sacris canonibus statutisque predictis contentas extendi, in eas incidisse declarari ac eundem carceribus pro arbitrio sue Ptis Rme deputari. Exadverso comparens per se Stephanus plebanus contenta in proposicione negavit.. preter vulneracionem Nicolai cmethonis, quam se fecisse confessus est, tamen vi vim repellendo et se ab imminente mortis periculo defendendo. Felice instiga-

tore.. allegacionem.. tanquam locum non habentem repelli petente, et hoc ex eo, quia se rei illicite, hoc est taberne, ubi diversorum concursus communiter fit hominum rebellium tempore noctis in distancia a domo sua medii miliaris ingessit.. petens.. per.. dnum Episcopum interloqui. Et Rmus dnus Episcopus.. ipsum in pena sinodali III marcarum.. condempnavit..

A. 1517, Decembris 30.

741. (Acta episc. II).. Die.. Mercurii penultima m. Decembris Rmus dominus ex Wladislavia exivit et Cracoviam pro conventione et coronacione reginalis Mtis Bone iter continuavit.

A. 1518, Augusti 11.

742. (Acta episc. II).. Die Mercurii XI m. Augusti Rmus dnus Episcopus ex clave Volboriensi diocesis Gneznensis in Wladislaviam diocesis sue intravit.

A. 1518, Octobris 21, Wladislavie in curia episcopali.

743. (Acta episc. II). Tenor litterarum R. Mtis occasione litoris marini in bonis Czethnovo piscatureque Gedanensibus missarum — Sigismundus D. g. rex Polonie magnus dux Lithwanie, Russie Prussieque etc. dominus et heres famatis preconsulibus et consulibus civitatis nostre Gedanensis fidelibus dilectis graciam regiam. Famati, fideles dilecti. Detulit ad nos non sine animi sui gravitate Rdus.. dnus Mathias episcopus Wladislaviensis summe nobis dilectus, quomodo vos in preiudicium iurium ecclesie sue Wladislaviensis, que coram nobis reproducta sunt iusta et legitima, prohiberetis litus maris in bonis eius Czethnowo et piscaturam ibidem in mari liberam ex vetusta et pia donacione ducum Pomeranie predecessorum nostrorum concessam ac datam, quamquidem prohibicionem vestram indebitam et ab equitate alienam esse censemus nec ferre possumus eundem dnum Episcopum in iure suo et ecclesie sue perturbari. Et proinde mandamus vobis, quatinus ad requisicionem presencium dictum litus in prefatis bonis et piscaturam in mari ipsi dno Episcopo nullatenus prohibere audeatis, sed usum liberum tam litoris quam piscature illi permittatis et permitti faciatis pro gracia nostra. Datum Cracovie die s. Marci pape et confessoris (*d. 7 Octobris*) an. Dni MDXVIII regni nostri XII^{mo}. — Ad mandatum R. Mtis proprium.

A. 1518, Novembris 15.

744. (Acta episc. II).. Rmus.. dnus Mathias D. g. episcopus Wladislaviensis ex Wladislavia exivit et iter in Wolborz continuavit.

A. 1519, Martii 5.

745. (Acta episc. II).. Rmus.. dnus Mathias D. g. episcopus Wladislaviensis in Wolborz et in ecclesia parochiali tituli s. Nicolai sacros clericorum ordines ex speciali admissione Rmi.. dni Iohannis D. g. archiepiscopi s. ecclesie Gneznensis et primatis legatique nati celebrando ad infrascriptos infranotatos promovit ordines.

A. 1519, Aprilis 10—13.

746. (Acta episc. II). Rmus.. dnus Mathias D. g. episcopus Wladislaviensis ex Wolborz diocesis Gneznensis die Solis X m. Aprilis exivit et in Wladislaviam diocesem propriam die Mercurii XIII eiusdem mensis intravit.

A. 1519, Aprilis 23.

747. (Acta episc. II). Hic Rmus dnus Episcopus ex Wladislavia exivit et iter versus Franfordiam Mayn pro electione imperatoris pro festo s. Viti proximo illic fienda per R. Mtem dato sibi collega pro voto dno Raphaele Lyesczynsky missus continuavit.

A. 1519, Maii 20.

748. (Acta episc. II). Hic Rmus dnus Episcopus ex electione imperatoris predicta rediit.

A. 1519, Octobris 4.

749. (Acta episc. II).. Rmus dnus Episcopus ex Wladislavia exivit et pro nocte in Lyubothyn venit indeque iter in Colo extra diocesim pro conventione celebranda continuavit.

A. 1519, Octobris 5, in Colo in conventione generali.

750. (Acta episc. II).. Vener. dnus Iohannes Gorski archidiaconus Poznaniensis et S. R. Mtis secretarius, per suam Mtem pro conventione in Colo celębrata ad dnos regni consiliarios tunc ibidem congregatos et presentes ad explicandam sue Mtis intencionem in negociis reipublice tutande voluntatemque missus, Rmis.. dnis Iohanni D. g. s. ecclesie metropolitane Gneznensis archiepiscopo et primati legatoque nato, Mathie Wladislaviensi et Iohanni Poznaniensi.. episcopis brevia infrascripti tenoris bina tradidit originalia.. ac ad noticiam indubitatam deduxit, presentibus magnificis, generosis et vener. dnis Nicolao de Lyubranyecz Poznaniensi, Iohanne de Kalynowa Calisiensi, Iaroslao de Lasko Siradiensi, Iarando de Bruden Lanciciensi et Nicolao de Cuthno Rawensi palatinis, Nicolao de Skampe Iuniwladislaviensi et Iohanne de Opporow Brzesthensi castellanis, Iohanne Naropienski custode Wladislaviensi, Felice eciam Naropienski archidiacono Lanciciensi, Nicolao Mygdal Poznaniensi et Georgio Myskowski utriusque iuris doctore Gneznensi canonicis ac me Felice Relski notario..

Tenor brevium, de quibus supra mentio [1]).

A. 1519, Octobris 5.

751. (Acta episc. II). Hic Rmus dnus Episcopus ex convencione Colnensi in Wladislaviam venit.

A. 1519, Decembris 2—3.

752. (Acta episc. II). Die II m. Decembris Rmus dnus Episcopus ex civitate Wladislaviensi exivit in Raczyanschque pro prandio venit et illic pernoctavit ac inde in Thoruniam tercia die eiusdem mensis pro conventione generali celebranda intravit.

A. 1521, Augusti 21, Wladislavie in curia episcopali.

753. (Acta episc. II). In causa vener. dni Felicis Naropienski, archidiaconi

---

[1]) Oba »brevia«, o których tu mowa, ogłoszone już zostały w »Acta ecclesiastica II» str. 810 N° 1730. — Bezpośrednio po tekście pism papieskich notaryusz wypisał jeszcze: «Hic Rmus dnus Episcopus ex convencione Colnensi in Wladislaviam venit«.

Lanciciensis et Gneznensis, Wladislaviensis ecclesiarum canonici, contra vener. dnum Nicolaum Labiski archidiaconi Pomeranie in ecclesia predicta Wladislaviensi, dnus Felix per se reproducta monicione contra ipsum dnum Nicolaum ob non solucionem pensionis annue VI marcarum.. ipsi dno Felici in fructibus et proventibus dicti archidiaconatus Pomeranie de consensu ipsius dni Nicolai Labiski per Sedem apostolicam reservate ac per ipsum dnum Nicolaum ad solam signaturam sine expedicione litterarum apostolicarum prefato dno Felici coram certis arbitris sub censuris ecclesiasticis solvi obligate emanata debite executa et accusata contumacia ipsius dni Nicolai, petivit ipsum sentencias excommunicacionis in dicto monitorio contentas ob non paricionem eidem.. incidisse.. declarari..

A. 1521, Septembris 23, Wladislavie in curia episcopali.

754. (Acta episc. II). In causa vener. capituli Wladislaviensis contra vener. dnum Andream Oporowski canonicum Wladislaviensem, dnus Parznyewski nomine tocius capituli producto monitorio.. contra dnum Andream Oporowski prefatum in effectum.. restituendi testamentum Rmi olim dni Andree episcopi Wladislaviensis capitulo predicto.. petiit ipsum sententias excommunicacionis.. incurrisse declarari. Exadverso dnus Oporowski.. allegavit, quod non veniet declarandus neque ad restitucionem ipsius testamenti compellendus ex eo presertim, quod testamentum predictum ipsi dno Oporowski tanquam legitimo successori est omni tempore necessarium et propterea circa se retinendum servandumque. Et Rmus dnus Episcopus ..testamentum predictum ipsi dno Opporowski originaliter ad acta presentia reponere actisque presentibus michi notario.. ingrossari mandavit; quiquidem dnus Opporowski.. huiusmodi testamentum actis.. reposuit tenoris infrascripti..

Tenor testamenti, de quo supra mentio: In nomine Dni amen. Sub anno a Nativitate eiusdem MCCCCLXXXIII.. die vero XXV m. Aprilis.. in oppido Merecz et in caminata curie regalis in magno ducatu Lithwanie consistenti Vilnensis diocesis Rmus.. dnus Andreas D. g. episcopus Wladislaviensis et R. P. vicecancellarius corpore quidem langwens sanus tamen mente.. testamentum ultimamque voluntatem suam fecit.. et ordinavit.. in hunc, qui sequitur, modum: Et primo protestatus est se esse verum katholicum.. item Deo omnipotenti.. animam suam corpusque suum terre commendavit, cuius sepulturam in ecclesia kathedrali Wladislaviensi in choro ante magnum altare penes sepulcrum olim Rmi.. dni Sbiluthi eiusdem ecclesie episcopi elegit et commisit. Cuiusquidem testamenti.. exequutores et fideicommissarios, videlicet magnificum dnum Iohannem de Opporow palatinum et capitaneum Iuniwladislaviensem fratrem suum germanum et Cristinum de Bowanthowo canonicum Wladislaviensem et cancellarium curie sue, in forma iuris.. constituit.. de omnibus et singulis suis bonis, pecuniis et universis rebus quomodocunque nuncupatis in thezauro suo habitis penes se et in aliis locis, videlicet Opporow et Cuyavie, depositis et derelictis dispensandis et ordinandis. Item satisfaciendo voto per eundem dnum testatorem dudum facto et emisso pro salute anime sue et suorum successorum M flor. Hungar. ad fundandum et dotandum capellam et altare sub honore omnipotentis Dei sueque genitricis virginis Marie et specialiter ss. Fabiani et Sebastiani martirum in ecclesia kathedrali Wladislaviensi et in manus vener. dnorum prelatorum et canonicorum capitulique

ecclesie predicte reponendum commisit; quingentos videlicet pro edificacione capelle ex opposito capelle mansionariorum construende et comparacione ornamentorum et alios quingentos flor. pro dotacione fundi eiusdem altaris dedit et legavit et ad eandem honor. dnum Martinum capellanum et confessorem suum nominavit presentandum, iusque patronatus et presentandi eisdem dnis prelatis et canonicis Wladislaviensibus in perpetuum.. assignavit, quosquidem M flor. in toto suo argento, videlicet: scutellis, cuppis, ciffis, pelvibus, tassiis et coceariis, preter II scutellas demonstravit, quas magnifice dne Zophie palatine et capitanee Iuniwladislaviensi, et scutellam minorem alias mediocrem, quam pro reformacione baculi curvature ecclesie Wladislaviensi dedit et legavit. Si vero ex huiusmodi argento summa M flor., taxato et librato predicto argento, non sufficeret, extunc de pecuniis decimarum apud dnum palatinum predictum depositarum residuum recipere mandavit et demonstravit. Item magnificum dnum Iohannem de Opporow palatinum et capitaneum Iuniwladislaviensem fratrem suum germanum cum tota domo sua Srmo principi.. Kazimiro D. g. Regi Polonie.. commendavit et ut eius domui esset pius princeps, promotor et defensor, eidem dno Regi M flor. Hungar. dedit.. et legavit; quosquidem M flor. Hungar. apud dnum Iohannem Brandis notarium sue R. Mtis, videlicet D flor., quos eidem dno Brandis novissime ante festum Pasche in civitate Trocensi pro empcione argenti apud generosum dnum Nicolaum de Curozwanki castellanum Rosperiensem tunc in Cracoviam eunti dederat, et alios D flor. de CCCL flor. sive alias magis, quos apud vener. dnum Gregorium Ludbranski s. Floriani ante Cracoviam et Skarbimiriensem prepositum racione suorum proventuum officii vicecancellariatus et quittanciarum per eundem dnum Ludbranski retentarum et in aliis locis eidem dno Brandis iuxta reformacionem testatoris pronunc recipere debuit aut iam recepit; residuum vero ipse dnus Episcopus et vicecancellarius testator de quittancia per R. Mtem perprius et novissime pro expedicione sibi datis et non extraditis demonstravit tollendum. Item pro generosa virgine Hedvigi nepti sua germana racione dotalicii de pecuniis a dno Andrea wladario in clave et tenuta Pomeranie ex proventibus omnibus per eum conservatis, quos dixit se extendere ad MCD flor. Hungar.(?), et eidem nepti sue pellicium alias *cortel* mardurinum, *cafther* rubeum et palium bonum dedit et legavit. Item generoso dno Andree nepoti suo germano filio olim dni Nicolai de Oporow castellani Brestensis CC flor. Hungar., et attento eo, quia aliquando per XX, aliquando per XXX flor. apud eundem Nicolaum fratrem suum recipiebat et solvere differebat, tercium centum flor. et sic in toto CCC flor. Hungar. dedit et in pecuniis apud dnum palatinum depositis necnon duas schubas legavit. Item magnifice dne Zophie palatine Iuniwladislaviensi gloti sue germane D flor. Hungar. ex pecuniis censuum apud eundem depositis necnon II scutellas argenteas, anulum magnum cum zaphiro, qui est de Gdano; pectorale parvum; IV vestes, quas sibi eligere voluerit, donavit. Item Rmo.. dno Sbigneo.. ecclesie Gnezn. archiepo et primati equum ambulatorem *gnyady*, qui est a dno palatino Odrovansch, sabellum nigrum cum unguibus aureis et margaritis datum per dnum Martinum Gastoldum palatinum Trocensem et alios II sabellos novissime per Illmos principes dnos Srmi dni nostri regis natos datos, ut domui sue fratribusque esset pius patronus et promotor, dedit et donari mandavit. Item pro male acquisitis aut ablatis CC flor. Hungar. ad pios usus pauperum et ad ecclesias defectuosas distribuere et dare

mandavit. Item ad ecclesiam parochialem in Scranowo Przemisliensis diocesis. XX marcas pecuniarum, quas de eadem receperat, sub gravissima oneracione consciencie exequutores dari et reportari mandavit. Item ad ecclesiam in Opporow pro edificacione capelle diucius incepte CC marcas et pectorale maius cum kathena aurea in Gdano laboratum et II pulvinaria de axamento nigro et novo parato fecit et legavit. Item ad eandem ecclesiam omnes libros per eum capitulo Plocensi sive ecclesie predicte Plocensi in XL florenis dudum impignoratos legavit, ita tamen, quod omnes de domo sua et armis *Sulyma* in eisdem studere volentes, sive eciam quicunque in eisdem studere voluerint, facta caucione sufficienti, poterint eos recipere, sed ecclesie predicte in Opporow restituere tenebuntur, quos libros pecuniis suis commisit exemendum. Et eidem ecclesie aliquam camcham cum auro et II lodices dare mandavit et legavit. Item pectorale novum cum zaphiris et lapidibus Cracovie laboratum pro successore episcopo Wladislaviensi, ut esset huic domui sue pius propiciusque patronus et defensor, dedit et legavit. Item nobili dno Thome alias Malynski marschalko curie sue pellicium mardurinum, quod fuit datum per dnum palatinum Vilnensem, non in vim serviciorum, sed pro pecuniis debitis dari commisit. Item Hannush cubiculario suo XXX marcas pecuniarum, equum unum, pellicium mardureum cum strictis manicis et pellicium vulpinum dari mandavit, rogando propter Deum, ut aliter non fiat. Item michi Cristino in hec verba dixit: ut sis menor mei, rogo te propter Deum, recipe tibi tunicam nigram *hatlassy* subductam sabellis. Item rogavit propter Deum et obtestatus est mandando, ut omnibus familiaribus et servitoribus a maximo ad minimum, a seniore ad minorem dupla servicia et merita et quam longe quis servivit, debite solvatur, dicendo hec verba: Habetis pecunias, vestes et equos et pannum, expediatis quemlibet, ut nullus michi maledicat et anima mea non retineatur. Item magnifico dno Mathie de Sluszewo castellano Brestensi aliquam schubam dari commisit. Item fratri suo dno Wlodek schubam ex aliqua veste parari et palium dari cum aliquot marcis solidorum commisit. Item generose virgini Chrząstowska amite sue tunicam brunaticam athlassii subductam ermelinis legavit. Item dno Mathie capellano vicethezaurario suo in presencia sui X marcas et palium suum flaveum cum capucio dari mandavit. Item chamchatas cum auro et sine auro, que sunt novissime per Soboczki in Poloniam ducte, et alias chamchatas eciam perprius in Opporow relictas iuxta arbitrium exequutorum ad ecclesias distribuere et presertim ad ecclesiam Wladislaviensem aliquot chamchatas dare mandavit et legavit. Residuas vero pro dno palatino et filiabus suis legavit. Item de omnibus decimis venditis stantibus et non solutis providere commisit et easdem extorquere venerabilesque dnos prelatos et canonicos ecclesie sue Wladislaviensis, ne se de eisdem intromittant, rogare mandavit, quas dixit esse venditas citra vel ultra summam MCD marcarum, que sunt iam in maiori parte solute iuxta sua regestra et quod sibi sua deservita non denegentur. Item vidue Pawlikowa de Zneyna V flor. Hungar. dudum debitos, si non sunt soluti, solvere mandavit. Item debitum dni Mylinski Rakovyeczki solvere mandavit. Item Valleyer civi et mercatori Poznaniensi pro pelliceo sabellino, pro quo, summam ignoravit, quod iustum fuerit, solvere mandavit. Item si quid Sebastiano civi Cracoviensi teneretur, facta debita cum eo racione, solvere mandavit. Item anulum et humerale de margaritis ecclesie Przemisliensi restituere mandavit. Item res omnes ecclesie Wladislaviensis,

videlicet infulam, curvaturam, ampulas, anulos et subtilia de tezauro recepta, restituere mandavit. Item argentum, videlicet IV scutellas et I ciffum argentum(s), per iudeum Smoys de Troki eidem dno testatori in L marcis latorum gr. et numeri Litwanici XLVIII gr. latos in quamlibet marcam computando, solutis eisdem L marcis, restituere commisit. Item specialiter rogavit, ut omnia debita, quecunque essent nota et iusta et legitime de eisdem constiterit seu probatum fuerit, que ipse teneretur et non memoraretur, solvere mandavit. Et similiter debita sua et quittancias per R. Mtem datas et retentas exigere commisit. Item dnum palatinum fratrem suum rogare fecit, ut virgini nepti sue moniali in Strzelno censum annuum ad tempora vite sue pro victu et amictu det aut emat. Item ipse testator reliqua omnia sua derelicta, res, pecunias, vestes, equos et quecunque per eundem essent derelicta, prefato magnifico dno Iohanni de Opporow palatino et capitaneo Iuniwladislaviensi fratri suo germano dedit et manibus suis consignata commisit dispensandum, dicens hec verba: Iam nunc nichil memoror, quoniam sum fatigatus, commendo salutem anime mee fratri meo dno palatino, disponat cum aliis rebus, prout saluti anime mee melius videbitur expedire. Super quibus omnibus et singulis premissis prefatus Rmus.. dnus Andreas D. g. episcopus Wladislaviensis et R. P. vicecancellarius testator peciit per me infrascriptum notarium publicum.. [confici] publica instrumenta. Acta sunt hec anno, indiccione, pontificatu, die, loco et mense quibus supra; presentibus ibidem generoso, honorabili et nobilibus dnis Andrea de Opporow nepote germano eiusdem Rmi dni Episcopi testatoris, Mathia capellano vicethesaurario, Thoma Malynsky marschalko curie, Nicolao Varzymowski de Lyschowo, Iohanne Hannusch cubiculariis et aliis servitoribus eiusdem dni testatoris pluribus fidedignis testibus circa premissa vocatis specialiter et rogatis [1]).

A. 1525, Ianuarii 27, in conventione generali Piotrkoviensi.

755. (Acta episc. II).. Generosus dnus Michael Szelislawsky succamerarius Mariemburgensis et capitaneus Novensis.. sponte et libere pro generosa dna Anna uxore sua legitima se dnis notariis cancellarie curie Rmi dni episcopi Wladislaviensis LVI florenos.. pro regestro in causa matrimoniali inter prefatam dnam Annam uxorem suam legitimam, ex una et nobilem Melchierem Glaybicz advocatum castri Marburgensis(»), ex alia partibus, vertente ad instanciam prefati Glaybicz vigore litterarum apostolicarum compulsorialium scripto et regestrato pro cognicione et decisione ipsius causae per dnos commissarios per Mtem R. ad hoc datos et deputatos ipsum regestrum eliberando pro medio Quadragesime prox. instante soluturum sub censuris ecclesiasticis per Rmum dnum Episcopum aut sue Ptis Rme vicarium generalem Wladislaviensem ferendis obligavit et illos ad acta memorati dni vicarii Wladislaviensis repositurum. Quiquidem dnus Michael succamerarius ibidem incontinenti per discretum Andream Sgliczynsky notarium publicum deputatum est monitus, ut satisfaceret sue obligacioni pro tempore superius designato.. [2])

[1]) Następuje uwierzytelnienie przez notaryusza publicznego, poczem idzie jeszcze akt z 8 Stycznia 1485 r., w którym Piotr biskup Włocławski na prośbę exekutorów potwierdza rozporządzenie ostatniej woli swego poprzednika.

[2]) W rękopisie niewątpliwie mylnie: »obligato«.

A. 1525, Februarii 17, in conventione generali Piotrkoviensi.

756. (Acta episc. II).. Nobiles dni Iohannes Glogowski iudex terre Gostinensis et Nicolaus Baruchowsky coram Rmo.. dno Mathia D. g. episcopo Wladislaviensi.. eliberando generosum dnum Adam Kyernosky castellanum terre Gostinensis a quibusvis excommunicacionum sentenciis vener. dni Martini, abbatis monasterii Pokrzywnicensis iudicis commissarii, contra ipsum dnum castellanum ad instanciam vener. dni Iohannis Chleviczky prepositi Sandomiriensis occasione certorum damnorum in decimis et villis ipsius dni Chleviczky per ipsum dnum Kyernosky ad bellum tunc tendentem factorum et illatorum latis et fulminatis, ad memorati Rmi dni episcopi Wladislaviensis inter partes prefatas occasione premissorum cognicionem et arbitramentum consenserunt..

A. 1525, Martii 24, in civitate Cracoviensi.

757. (Acta episc. II).. In domo dni Felicis Szyrzichowsky canonici Cracoviensis constitutus personaliter coram me notario.. nobilis dnus Iohannes Gorzandowsky principalis recognovit.. se emisse et convenisse decimas infrascriptas, videlicet: in Cuchari, in Ploschewo, in Okladzyschewo, in Kyethlin, in Dzypulcza, in Pyaschczicze, in Sthrzalkowo et in Zaleschicze, ac omnes et singulos fructus, redditus et proventus ad prebendam Strzalkoviensem quomodolibet spectantes et pertinentes per triennium, annum primum a Dominica Reminiscere prox. preterita incipiendo et tandem continuando usque ad Dominicam similiter Reminiscere anni Dni 1528 apud vener. dnum Felicem Naropinsky decanum et canonicum Wladislaviensem dicte prebende Sthrzalkoviensis possessorem ac ad predictas decimas canonicatuum Gneznensium interesse ex certis contractibus cum dominis istarum decimarum factis habentem sub condicionibus infrascriptis: Quod videlicet inprimis prefatus dnus Iohannes Gorzandowsky debet et tenetur presbiterum idoneum servare et illum pecuniis propriis salariare, qui missas in ecclesia Sthrzalkoviensi leget et alia onera eidem prebende incumbencia supplebit. Item idem dnus Gorzadowsky debet II piscinas in curia Strzalkoviensi reformare alias *zasthavicz* et terciam piscinam in advocacia in Orzechow similiter reformare alias *zasthavicz* et molendinum de novo ibidem construere, quas piscinas reformare et molendinum facere debet impensa communi, quarum piscinarum demissionem alias *spusthow* tercio anno eciam per medium idem dnus Iohannes cum memorato dno Naropynsky percipere debet. Item prefatus dnus Iohannes curiam reformare debet et *owczarnya* novam edificare ac stubam novam albam penes palatium ex opposito stube albe minoris et antiquioris, et ex stuba moderna prefata alba caminatam cum camino facere et edificare propria impensa debet. Item prefatus dnus Iohannes borras et silvas tam in hereditate Sthrzalkow quam Sczepoczicze consistentes defendere debet, nec ex eis borris et silvis robora neque ligna cruda vendere debet, exceptis lignis siccis alias *suchi* ac eciam exceptis lignis ex silvis Szczepoczicze, que solent duci tempore hiemis alias *wkupi*. Item idem dnus Iohannes debet defendere granicies a dno Goschek et pro eis agere et illum aut dominam suam pro invocacione granicierum citare. Item cmethonibus iniuriam non debet facere, nec eos superfluis et inconsuetis laboribus gravare debet, nec eos desertare durante huiusmodi contractu. Item idem dnus Felix reliquit eidem dno Iohanni pecora communia XXX et III

vitellos anni presentis, exceptis aduc nascendis, oves eciam antiquas LVIII et anni presentis XXX, et aduc hoc anno plures esse debent. Item scrophas XVI; ex quibus pecoribus futuris annis idem dnus Iohannes debet habere medietatem *przi-plothku*, ac eciam ex usu dictorum pecorum et pecudum prefatus dnus Iohannes eidem dno Felici debet dare singulis annis pro festo s. Hedvigis III ollas butiri boni et quelibet olla debet in se continere bonam urnam alias *thrzi phasky* per unam urnam, et IV sexagenas bonorum caseorum alias *maldrzikow* et V sexagenas gomolkonum bonorum pro familia. Item idem dnus Iohannes mutones ipsius dni Felicis debet vendere et oves loco eorum emere. Item castores alias *bobri* ex fluvio Vartha per medium habere debent. Item prefatus dnus Iohannes debet eidem dno Felici tercio anno dimittere agros pro yeme ita tamen seminatos, ut nunc accipit, videlicet siliginis LXXVI choros plenos seminare debet, tritici medium quartum chorum mensure plene Radomiensis. Item pro seminacione estivalium debet relinquere, ut nunc solus recepit, videlicet: avene choros LX, ordei VI, siliginis *yarégo* VI, tritici *yarey* VI, pisi IV et *thatharky* XII choros plenos ac I chorum scruti. Item stramina eciam debet remanere (s) sufficiencia, ut nunc recepit, quorum straminum nunc sunt ad possibilitatem ultra III acervi, et similiter et feni, cuius est medius acervus bonus in horreo et supra stabulum sunt ad minus II acervi optimi feni. Item prefatus dnus Iohannes eidem dno Felici pro huiusmodi decimis et proventibus universis in Sthrzalkow et Sczepoczicze ac eciam advocacia in Orzechow singulis annis solvet per CX marcas.. excepto hoc anno, pro quo iam solucionem CX marcarum fecit et de qua summa quittatur per presentes. Quarumquidem CX marcarum medietatem pro s. Hedvigis et aliam medietatem pro Concepcionis gloriosissime Virginis Marie festis sese et immediate sequentibus in Volborzs prefatus dnus Iohannes eidem dno Felici unacum butiro et caseis in manibus dni capitanei Volboriensis se sub censuris ecclesiasticis per Rmum dnum Episcopum Wladislaviensem aut sue Ptis Rme officialem generalem Wladislaviensem aut eciam Gneznensem vel Lanciciensem officiales fulminandis.. singulis annis solvere obligavit..

A. 1525, Maii 31, Wladislavie in oraculo divi Stanislai.

758. (Acta episc. II).. Coram Rmo.. dno Mathia D. g. episcopo Wladislaviensi, s i n o d u m d i o c e s a n a m cum sue Ptis Rme clero celebrante, in Rdorum et vener. dnorum Alexandri eadem gracia episcopi Margarithensis et sufraganei Wladislaviensis, Iohannis Parznyewski prepositi, Iohannis de Naropna custodis, Nicolai Labyski in ecclesia Wladislaviensi archidiaconi Pomeranie, Stanislai Lypowyecz et Stephani Lochowski etc. prelatorum et canonicorum ecclesie Wladislaviensis ac decanorum decanatuum ruralium diocesis Wladislaviensis tunc sinodaliter congregatorum in meique notarii publici subscripti presencia.. honor. Franciscus plebanus in Dobrcz principalis suo et ecclesie sue nominibus et in presencia vener. et religiosi dni Iohannis abbatis Coronoviensis querulose proposuit, quod quamvis missalia ad ecclesiam parochialem in Dobrcz de mansis V scultecie in villa Czyeczrzewyecz, videlicet de quolibet manso per metretam siliginis, ac aliis mansis in dicta Czyeczrzewyecz cultis proveniebant et per cultores eorundem mansorum solvebantur; nichilominus tamen vener. dnus Iohannes abbas Coronoviensis modernus emptis V mansis scultecie a scultetis ibidem in Czyetrzewyecz de eis-

dem V mansis et aliis desertatis missalia dare et solvere indebite a tempore ipsius emptionis recusat et pro quibus missalibus ad sue Rme Ptis ac vener. dni Stephani Lochowski canonici vicariique in Spiritualibus et officialis Wladislaviensis generalis presentiam prefatum dnum abbatem Coronoviensem in causam evocaverat, petens ipsum dnum abbatem per suam Rmam Ptem ad solvendum prefata missalia cogi et compelli. Exadverso vener. dnus Iohannes abbas confessus est se V mansos scultecie in Czyeczrzewyecz emisse, allegavit tamen se non teneri de eisdem ad solucionem missalium, subinferens levitas levitis decimare non tenere, petens petita fieri non debere. Et Rmus.. dnus Mathias D. g. episcopus Wladislaviensis de assensu et ex votis omnium prelatorum et canonicorum ac decanorum decanatuum ruralium tunc sinodaliter congregatorum missalia per dnum abbatem Coronoviensem et conventum suum de V mansis scultecie in Czyeczrzeviecz sic, ut premittitur, emptis et aliis iuxta consuetudinem antiquam perpetuis temporibus futura·et retenta sub censuris ecclesiasticis omnibus ecclesie predicte in Dobrcz et rectoribus ipsius pro tempore existentibus solvere decrevit et mandavit..

A. 1526, Iunii 1, in Gedano in curia episcopali.

759. (Acta episc. II). In causa officii contra discretum Bernardum Baschman, arcium liberalium magistrum quondam rectorem scole ecclesie parochialis dive Virginis Marie genitricis Dei maioris oppidi Gedanensis, mgr. Nicolaus Holste instigator officii produxit in scriptis articulos heretice pravitatis obiectivos, petens ad causam admitti. Et Rmus dnus Episcopus in presencia ipsius Bernardi ad hoc legitime citati admisit ipsosque articulos legere et vocaliter intelligibiliterque legere mandavit, quibus ipse Bernardus auditis eos negavit esse veros.. Et mgr. Nicolaus officii instigator prefatus ipsos articulos esse veros obtulit se probaturum.. Hicque et incontinenti prenominatus mgr. Nicolaus Holste officii instigator prefatum Bernardum, post abiurationem secte dampnate Lutherane antea per eum sollenniter factam relapsum, de fuga suspectum allegavit, eum ad dandam sufficientem cautionem fideiussoriam de stando iuri et iudicato solvendo ac mandatis domini obediendo compelli petiit, alias ad carceres detrudendum et detinendum in eisdem. Et Rmus dnus Epus attento, quod ipse Bernardus sit persona vaga et non possessionata multumque de ipsa dampnata heresi Lutherana suspecta, quam antea in manibus sue Ptis Rme in forma ecclesie abiuraverat et ad gremium s. Matris ecclesie unitatemque Christiane religionis, quam s. mater ecclesia Romana apostolica profitetur, redierat, in quam heresim nephandam recidivasse accusatur, ad ipsam cautionem dandam et faciendam in effectum premissum compulit. Quiquidem Bernardus parendo mandatis sue Ptis Rme statim et incontinenti quendam dnum Bernardum Baschman maioris oppidi Gedanensis oppidanum in platea pistorum morantem possessionatum in effectum huiusmodi cautionem fideiussoriam pro eo faciendi induxit; quiquidem Bernardus oppidanus.. pro dicto Bernardo quondam rectore scole fecit cautionem fideiussoriam, quod videlicet eum, quando, ubi et quociens opus fuerit, sue Pti Rme aut cui sua Ptas Rma iusserit, statuet representabitque sub pena M ducatorum auri.. ecclesie cathedrali Wladislaviensi applicandorum..

A. 1526, Iunii 6, in Gedano in curia episcopali.

760. (Acta episc. II). Constitutus personaliter apud acta Rmi dni Episcopi

Wladislaviensis presencia honor. et religiosus frater Petrus monasterii Olivensis ordinis Cisterciensis, sui dni abbatis tociusque conventus procurator, nomine procuratorio eorundem cuidam concordie per prefatum dnum abbatem pro suis subditis Schowarcz cum nobilibus Felice et Zegotha Plyechowsczy germanis occasione interempcionis eorundem germanorum videlicet Gabrielis et Othe Plyechowsczi, per predictos subditos dni abbatis facte, inite, in qua lacius continetur, satisfaciendo, dictum dnum abbatem suumque conventum Olivensem obligavit et presentibus obligat, quod videlicet in eodem monasterio Olivensi per fratres eiusdem singulis septimanis usque ad decennium inclusive due misse pro defunctis legentur, quodque idem dnus abbas cum suis fratribus lapidem tabulatum pollitum et bene ornatum, in quo due imagines ad instar duorum militum et clenodium domus bippennium alias *Topor* bona forma debent excudi, ordinare et in tumulum sive locum, ubi predicti Gabriel et Otha interfecti sepulti sunt, infra hinc et festum s. Martini prox. sub penis sive censuris ecclesiasticis ponere debebit et tenebitur. Preterea ipse frater Petrus nomine dicti dni abbatis tociusque conventus omnes et singulos ville predicte Schowarcz advocatum sive advocatos et incolas nunc et pro tempore existentes similiter obligavit et presentibus obligat, quod videlicet anniversarium in ecclesia parochiali dive Virginis maioris oppidi Gedanensis pro defunctis celebrandum procurare, hoc est sacerdotem, qui celebraret, et scolares, qui cantarent missam pro defunctis, salariari singulis annis, cui misse incole ville predicte omnes et singuli personaliter interesse pro ipsorumque posse offerre, nec donec missa finiatur ab eadem discedere humilitatemque eo, quo proxime preterita feria II fecerunt, modo sub protestacione plebani vel in absencia eius sui commendarii facere ipsumque anniversarium sic, ut prefertur, tamdiu donec aliquis incolarum predictorum, qui occasionem necis predictorum nobilium prebuerat, viveret sub censuris ecclesiasticis predictis, a quibus, si eas incurrerint, non alias, nisi de consensu prefatorum Felicis et Zegothe Plyechowsczy absolvi debent, continuare debebunt et tenebuntur eruntque astricti, quibus omnibus defunctis eorum successores ab huiusmodi anniversario celebrandum procurando deinceps liberi erunt..

A. 1526, Iunii 9, in Gedano in curia episcopali.

761. (Acta episc. II). Constitutus personaliter coram Rmo dno Episcopo Wladislaviensi et apud acta sue Ptis Rme presencia famatus dnus Michael Kyesler mercator et oppidanus Gedanensis pro quodam Mathia Buckdal pistore de Gedano, de spurcissima dampnata heresi Lutherana suspecto et accusato et propterea in iudicium sue Ptis Rme tracto, presente, cautionem fideiussoriam fecit ac eundem tam coram sua Pte Rma quam etiam Mte R., quando, ubi et quociens opus fuerit, sub pena M ducatorum Hungar. auri.. statuendum.. se obligavit..

A. 1526, Iunii 15, in Gedano in curia episcopali.

762. (Acta episc. II). Constituti personaliter coram Rmo.. dno Mathia D. g. episcopo Wladislaviensi.. famati Nicolaus Hacken et Andreas Koler preconsul et scabinus antiquioris oppidi Gedanensis quendam Alexandrum Seplar presbiterum de carceribus, quibus ob professionem secte nephande dampnate Lutherane sinodaliter ex confessatis eiusdem non temeritate tamen sed comminationibus

Lutheranorum secularium et metu mortis imminentis, uti asserebat et publice confitebatur, factam deputatus et detrusus ac detentus fuerat, liberando pro eo cautionem fideiussoriam fide data et manibus stipulatis fecerunt, quod videlicet eum Rmo dno Episcopo.. sub pena M marcarum levium Prutenicalium fabrice ecclesie cathedralis Wladislaviensis applicandarum personaliter.. representabunt..

763. (Ibidem). Honesti Martinus Stantknecht, Symon Spykerman, Hans Sworcze et Lucas Bouch Gedanenses oppidani coram Rmo dno Episcopo Wladislaviensi.. personaliter constituti quendam Iodocum presbiterum heresi dampnata nephanda Lutherana infectum et contaminatum de carceribus, ad quos propterea sinodaliter condempnatus deputatusque et intrusus fuerat, liberando eum statuendum et.. ubi sua Ptas Rma mandaverit, representandum sub pena DCCC marcarum Prutenicalium levium promiserunt.. ac presentibus se obligaverunt..

A. 1527, Octobris 30, Wladislavie in curia episcopali.

764. (Acta episc. II). In causa vener. dni Sthephani ecclesie parochialis in Schpythal plebani contra nobilem dnum Iohannem Chodowski de Nagorni Schpythal, prefatus Stephanus plebanus coram Rmo dno Episcopo.. proposuit verbo, quomodo ipse dnus Iohannes Chodowsky decimas pecuniarias de agris desertatis cultis ville bonorum Culyno anni prox. preteriti et presentis, quam antea semper annis preteritis percipiebat, non solvit solvereque non vult et denegat, petens eum ad solucionem de iure.. compelli; prefato dno Chodowsky ibidem presente.. alleganteque solucionem decime prefate de dictis agris desertatis cultis non teneri neque debere, ex quo alia nobilitas terre Dobrinensis de talibus agris non solvit iuxta privilegia, quibus super hoc terra Dobrinensis gaudet. Et Rmus dnus.. ad presens decretum sue Ptis Rme super premissis inter partes prefatas.. suspendit et ad feriam VI^{tam} ante festum s. Martini prox. prorogavit privilegiumque allegatum legitime probare.. mandavit..

A. 1527, Novembris 8, Wladislavie in curia episcopali.

765. (Acta episc. II). In causa honor. Stephani ecclesie parochialis in Schpythal plebani contra nobilem dnum Iohannem Chodowsky de Nagorni Schpythal.. prefato dno Chodowsky ibidem presente intencionemque et allegacionem suas alias privilegium allegatum ex prioris termini.. prorogacione, prout ex decreto domini debuerat, non probante alleganteque ibidem non posse neque velle solvere, donec nobilitas tocius terre Dobrinensis de similibus agris solverit iuxta privilegium ipsorum per ipsum allegatum.. Rmus dnus non obstantibus ipsius allegacionibus sibi de iure non subvenientibus decrevit.. retentas decimas duorum annorum prefato plebano sub censuris ecclesiasticis solvere hinc ad duas septimanas..

A. 1530, Maii 30, Wladislavie in curia episcopali.

766. (Acta episc. II). In causa officii contra honor. Thomam de Rybnyky, ecclesie parochialis in Raczyasch plebanum et ecclesie cathedralis Wladislaviensis vicarium perpetuum, honor. Stanislaus Seroczky procurator et instigator officii Rmi.. dni Mathie D. g. episcopi Wladislaviensis.. in presencia dicti Thome certos articulos ex officio contra eum.. produxit.. Quiquidem Thomas.. etsi articulorum prefatorum copiam petivit et terminum dicendi contra.. sibi prefigi, tamen ad

unum articulum, in quo deducitur, quod XXVII oppidanos oppidi Raczyasch, ubi ipse plebanus existit, a percepcione divinissimi sacramenti Eucaristie pro sua privata iniuria, uti ipse dicebat, sibi in pratis sive in feno illata pro festo Pasce prox. preterito contra constitutiones sacrorum canonum prohibuisset et suspendisset.. innitendo responsioni super eodem articulo, per oppidanos dicti oppidi Raczyasch hora terciarum coram Rmo dno Episcopo et coram prelatis et canonicis ecclesie cathedralis Wladislaviensis tunc per Rmum dnum Episcopum ad hanc causam audiendam capitulariter in loco capitulari congregatis contra eum proposito, eundem articulum, quo ad prohibitionem et suspensionem XXVII personarum suorum parochianorum, prout alias contra ipsum propositum fuit, confessus fuit.. articulum verum et recognovit publice se huiusmodi prohibicionem et suspensionem fecisse in hocque errasse et deliquisse et propter huiusmodi delictum et excessum veniam apud Rmum dnum petivisse. Quiquidem Rmus dnus Mathias episcopus Wladislaviensis etsi attenta gravitate excessus contra prefatum Thomam ad graviores penas procedere debuisset, tamen sua Ptas Rma hoc oblivisci nec preterire noluit, quod semper micius agitur cum confesso, quam cum convicto, ideo sua Rma Ptas.. eundem dnum Thomam plebanum in Raczyasch pro delicto huiusmodi et excessu tam gravi facto contra bonos et Christifideles suos parochianos, quos pocius si ipsi essent incurabiles salutis sue benigne allicere et inducere ad suscipiendum divinissimum sacramentum Eucaristie, quam eos repellere etc. ex confessatis eiusdem Thome eundem carceribus ad penitenciam pro huiusmodi excessu et scandalo publico in castro Wladislaviensi peragendam per VI menses, tamen postea, ad peticionem et intercessionem prelatorum et canonicorum suorum eandem penam VI mensium moderando, per II menses deputavit, quam penitenciam ipse Thomas cum paciencia confitendo se publice excessisse peragendam non diffidens eciam in gracia sue Rme Ptis suscepit..

1530, Octobris 26, Wladislavie in curia episcopali.

767. (Acta episc. II). In causa inter generosum et honor. dnos Martinum Usthronysky de Thulybow pincernam Bresthensem, ex una, et Nicolaum Conarsky de Narthy plebanum in Lubyeny, ex alia partibus, prefatus dnus Thulybowsky.. coram Rmo dno Episcopo per se iudicialiter comparens contra dnum Conarsky prefatum proposuit verbo, quomodo anno presenti dum quendam Paulum Mylonek de Hodecz civem Wladislaviensem conveniret, ut sibi V lastas cum media minus X metretis siliginis ad suam scapham alias vulgariter *prses frocht* ad Gedanum cum suo frumento reciperet et in Gedano, iuxta observacionem in talibus foris fieri solitam statueret, ipso Mylonek cum frumentis prefatis et dni Conarsky ex foro facto receptis iam defluitante, casu in itinere in Fordan per quosdam sauciatus extiterat, qui ut in vulneribus provideretur, in oppido Gnyew remansit, et scapha cum frumentis iuxta forum factum in loco in Gedano per ipsius Mylonek homines seu nautas constituta est, pro cuius frumenti vendicione prefatus dnus Thulybowsky filium suum cum famulo proprio in alia speciali schcapha frumento eciam repleta miserat, quod frumentum dum idem filius dni Thulybowsky iuxta preceptum et informacionem patris vendere voluit, prefatus dnus Conarsky ipsum a vendicione repulit, neque sibi admittere voluit, asserens se velle pariter omnia frumenta in schcapha existentia uni negociatori vendere et de pecuniis suo tem-

pore dno Thulybowsky patri respondere, cui et hucusque de eidem pecuniis respondere et restituere recusat neque vult, petens ipsum per suam Rmam Ptem pro prefatis frumentis, sic ut prefertur per ipsum venditis pecunias pro eis receptas et manualiter levatas sibi restitui cogi et de iure compelli. Exadverso prefatus dnus Nicolaus Conarsky super propositis contra ipsum.. factis.. negavit narrata.. alias se prorsus de isto frumento ignorasse [asseruit] neque ipsius dni Thulybowsky frumentum dumtaxat suum proprium, quod in schapha habuit, vendidisse et propterea neque pecunias pro eis recepisse. Et prefatus dnus Thulybowsky se probaturum sua proposita obtulit.. Et Rmus dnus decrevit terminumque probacionis quindenam prefixit..

A. 1532, Augusti 12, in sinodo Wladislaviensi.

768. (Acta episc. II). Honor. dnus Iohannes Crosnyewski, rector ecclesie parochialis in Chodecz, per Rdum dnum Iohannem Dziaduski archidiacouum Wladislaviensem post visitacionem illius et ecclesie sue ibidem in Chodecz factam pro sacra presentis diei sinodo citatus non comparens pronunciatus contumax, instante instigatore officii, et nichilominus in pena sinodali condemnatus..

769. (Ibidem) Honor. dnus Iohannes Sampolynski, rector ecclesie parochialis Iuniwladislaviensis et vicarius perpetuus ecclesie cathedr. Wladislav. ibidem presens.. pro termino sibi in sinodo assignato comparens pro eo, quod postquam alias iam non semel partim per predecessores Rmi dni nostri episcopi Wladislav. partim per eius officiales fuerat sibi prohibitum, ne Barbaram suam concubinam, ex qua adhuc secularem agens hominem cohabitans eidem multifariam prolem suscepit et quam sibi frater suus nuper recepit, fovebat, quam etiam nunc frater eius apud se tenet, pro qua eliberanda de manibus fratris omnium pudore hominum postposito cum scandalo plurimorum apud multos homines laborat, et pro aliis excessibus et negligentiis in visitacione illius per dnum archidiaconum compertis, in pena sinodali III marcarum condemnatus, quam infra triduum solvendam domini mandarunt sub excommunicacionis pena, pro qua ibidem peremptorie est.. monitus, et nichilominus domini eidem iniunxerunt sub pena carcerum, ut omnino a premissis sibi abstineret et quod se deinceps exemplarem plebi sue preberet..

770. (Ibidem) Honor. dnus Gregorius Wyroząbsky, ecclesie parochialis in Bidgoscza rector.. instante vener. dno Iohanne Dziaduski archidiacono Wladislaviensi et suam querimoniam ac levitatem seu potius Rmi dni Episcopi despectum proponente pro eo, quod ipse Gregorius non modo non suscepit ipsum dnum archidiaconum cum debito honore et reverentia in domum suam tempore visitationis eique procurationem competentem ministrare minime curavit, sed etiam domum ipsam et curiam plebanalem forsan data opera solus inde descendens et nemine constituto, qui suo nomine debitum et officium ipsi dno archidiacono impenderet, obseravit et clausam dimisit etc., quandoquidem adventum ipsius dni archidiaconi tergiversari nequaquam potuit, cum ante hac fuerat processibus avisatus et pro eo, quod etiam vinum acetosum presbiteris ad sacrum subministrat, ita quod presbiteros celebrantes aliquoties contigit vomitare, in pena sinodali III marcarum condemnatus, quam ibidem monitus incontinenti solvit. Et nichilominus admonitus est, ut sibi a concubinatu sive adulterio mulierum in visitacione contra

eum facta descriptarum et ab earum ac aliarum quarumcunque conversacione et consuetudine abstineret et quod caste ac exemplariter viveret, sub pena sinodali est iniunctum..

A. 1532, Augusti 14, in sinodo Wladislaviensi.

771. (Acta episc. II). Honor. dnus Iohannes Byeliczki, rector ecclesie parochialis in Przedecz, pro eo quod habens nonnichil pecuniarum ecclesie, ut ex visitacione licet intueri, sinit ecclesiam ruinam pati, nec eam in aliquo edificiis instaurat et in hoc negligens est, licet a populo ad hoc urgeatur, de quo in priore visitacione 1529 per dnum archidiaconum fuit admonitus, monitioni tamen eiusdem parere contempsit, domini eum in pena sinodali pro contemptu huiusmodi III marcarum condemnarunt, quam hinc ad festum s. Martini alias pro arbitrio Rmi dni servandam mandarunt, et interim eidem iniunxerunt, ut omnino intra hoc tempus sub pena dupli, hoc est VI marcarum, curaret ecclesiam predictam aut edificiis restaurare, ne in toto corruat et ne in eam stillet, aut novam edificandam saltem inchoaret, ad quod se obligavit sub penis predictis..

A. 1532, Augusti 16, in sinodo Wladislaviensi

772. (Acta episc. II). Honor. dnus Iohannes Crosnyewski, rector seu prepositus ecclesie parochialis in Chodecz, nuper pro sinodo nudiusquintus celebrata per dnum archidiaconum citatus, et ob non paricionem excommunicatus, purgando contumaciam.. peciit se a sentenciis excommunicacionis.. absolvi, allegans causam sue non comparitionis eo, quod gravi egritudine tum fuerat detentus, nec potuit propterea per se comparere. Et domini super hoc detulerunt eius iuramento, quod si prestiterit, decreverunt ipsum fore a pena sinodali et censuris absolvendum; tandem pro eo, quod in reficienda ecclesia sua, que nimium in sua structura patitur detrimentum, sit negligens, nec eam post monitionem dni archidiaconi ante triennium factam hactenus texerit, licet in hoc se patronorum negligentia et renitentia, quos dixit etiam ad hoc de consuetudine teneri, excusaverit, tamen quia ipse nec in hoc suas diligentias fecerit nec patronos ad hoc instigaverit, quodque vitricos ecclesie etiam iuxta dicti dni archidiaconi priorem admonitionem ad hoc instigare minime procuravit, in pena predicta III marcarum officio suo condemnavit, quam infra triduum reponi sibi mandavit sub excommunicacionis pena..

A. 1533, Martii 7, in Racziąz in curia episcopali.

773. (Acta episc. II). Honor. Iohannes Naparlo vicarius perpetuus ecclesie collegiate Crushwiciensis ad proposicionem contra eum per honor. Martinum Glowaczki instigatorem officii ad hoc per Rmum dnum Episcopum deputatum verbo factam pro eo, quod ipse compertus sit ex inquisitione dni archidiaconi incontinens et concubinarius, ita quod trinam prolem ex quadam muliere, cum qua victitavit et victitat commerciumque habuit, suscepisset in scandalum plurimorum.. idem Iohannes Naparlo.. negavit narrata.. offerens suam innocenciam purgaturum.. Extunc memoratus Rmus dnus Episcopus indixit illi purgacionem canonicam manu mettercia, etiam si in presentia potuerit habere conexpurgatores, faciendam. Et eo facto ibidem statim produxit duos conexpurgatores.. qui noverunt eius vitam prestititque imprimis idem Iohannes.. sacramentum.. quod vide-

licet ipse sit ab obiectis sibi criminibus immunis, conexpurgatores vero similiter prestito sacramento dixerunt, quod credunt eum ex eius conversacione recte iuravisse, atque ita Rmus dnus eum habuit pro sufficienter expurgato..

774. (Ibidem). Honor. Nicolaus vicecustos Crushviciensis ad proposicionem contra eum per honor. Martinum Glowaczki instigatorem officii Rmi dni ad hoc deputatum ex inquisitione dni archidiaconi Crushviciensis factam, quod videlicet teneret mulierem iuvenem de se multum suspectam nomine Annam, ex qua prolem masculinam suscepit, quodque alias sit multum scandalosus non vivens, ut expedit ad bonum presbiterum etc., idem Nicolaus allegavit pro huiusmodi excessu se iam fuisse per dnum Iohannem Parznyowski prepositum vicariumque in Spiritualibus et officialem generalem Wladislaviensem correctum pena III marcarum, cuius correctionis et pene solute ibidem produxit quiettantiam.. Quaquidem cedula quiettancie visa et cum die visitationis dni archidiaconi collata comperit, quod correctio ipsa precessisset multum visitacionem dni archidiaconi, ita quod facile apparuit eundem Nicolaum post correctionem predictam a conversatione dicte mulieris de se suspecte non abstinuisse et propterea ipsum Rmus dnus ob incorrigibilitatem et excessum huiusmodi deputandum duxit carceribus ad arbitrium suum in eis detinendum, reservans sibi facultatem ipsam penam in aliam posse mutare..

775. (Ibidem). Honor. Iohannes vicedecanus Crushviciensis ad instigacionem.. ex inquisitione dni archidiaconi Crushviciensis factam, quod sit multum negligens et rarus in ecclesia, cum ipse primus in illa et ultimus egredi de eadem ex iniuncto sibi officio deberet, quodque sit tabernarius etc., idem Iohannes negavit narrata etc., et eo facto dnus Rmus eum benignis verbis admonitum esse voluit, ne talia deinceps committat et quod sit diligentior circa officium suum agatque, ut expedit bonum presbiterum et abstineat a tabernis ac conversatione mulierum sub pena carcerum. Quiquidem Iohannes pollicitus est se, in quantum fuerit exorbitans, emendaturum..

776. (Ibidem). Honor. Iohannem de Paczina vicarium perpetuum Crushwiciensem morbo epilepsis comitiali, quem caducum vulgo dicunt, cum horrore et sputaminorum emissione laborantem, per vener. dnum Iohannem Parznyowski, prepositum vicariumque in Spiritualibus generalem Wladislaviensem, a sacris exercendis et ingressu ecclesie tum, cum divina peraguntur, propter clamorem et horrorem, quem solet facere, invadente eo ipso morbo, esse suspensum et sibi decretum predictum dni Vicarii relaxari petenti(s) dnus Rmus Episcopus conservavit in omnibus decretum dicti dni vicarii generalis Wladislaviensis, iniunxit et precepit, ut omnino sibi ab ingressu ecclesie abstineat; conservavit ipsum compatiens illius valetudini circa fundum vicarie sue, ut eum libere percipiat, refectiones vero et alia emolumenta decrevit inter communitatem vicariorum distribuendum, qui eius vices pro eo in ecclesia supplebunt interim, quoad Deus misericordiam suam cum eo non declaraverit..

A. 1533, Martii 14, Wladislavie in curia episcopali.

777. (Acta episc. II). Instigator officii honor. Martinus Glowaczki per Rmum dnum deputatus proposuit contra honor. Paulum Sthanomski canonicum Cruschviciensem et plebanum in Chelmcze pro eo, quod ipse tenet concubinam nomine

Margaretham Mathiaska, ex qua binam prolem dicitur suscepisse, et quod eadem concubina adeo ipsi est imperiosa, quod interdum nedum illum obiurgat, sed et percutit etc., et quod possidet duas parochiales invicem incompatibiles, de cuius dispensatione non constat etc. et quod etiam cereum fontis alias paschalem sine sciencia vitricorum ad cereos et alios usus distraxerit aliosque despectus et excessus latius in visitacione dni archidiaconi Crushviciensis descriptos; idem dnus Paulus Sthanomski.. negavit contra se proposita esse vera.. quo ad inhonestam conversationem et prolem.. cui Rmus dnus indixit canonicam purgacionem manu tercia in quindena faciendam, quam ipse dnus Paulus sponte suscepit seque eam faciendam submisit. Et nichilominus eidem dominus mandavit ibidem docendum de dispensatione apostolica super duo incompatibilia, quam se habere asseruit, quo vero ad cereum recognovit quidem se eum distraxisse defectu et necessitate cere ad ecclesiam adactus, sed illius loco pro VII fertonibus pecuniarum cere eidem ecclesie se emisse dixit.

778. (Ibidem). Instigator[is] officii ad proposicionem occasione excessuum et scandalorum in visitacione dni archidiaconi contra ipsum descriptorum et signanter procurationis bine prolis ex concubina, quam ab aliquot annis penes se fovet, et alias inhonesti victus statum clericalem deturpantis cum scandalo plurimorum honor. Andreas Choynaczki vicarius Crushviciensis.. confessus est se unam duntaxat prolem ex muliere predicta suscepisse, alteram vero negavit, et eo facto Rmus dnus propterea ipsum in pena III marcarum officio suo condemnavit, quam ibidem idem Andreas incontinenti reposuit, quo vero ad aliam prolem et ceteros excessus dnus Rmus indixit illi purgacionem canonicam manu mettertia.. faciendam.

A. 1533, Martii 31, Wladislavie in curia episcopali.

779. (Acta episc. II). Honor. Iohannes Locat vicarius perpetuus ecclesie cathedralis Wladislav. ad propositionem instigatoris officii Rmi dni Episcopi contra eum pro certis excessibus et scandalis factam et signanter quod vixerit incontinenter et habuerit commercium cum quadam Polcziowa muliere maritata, ad quam sepius visus est ingredi cum scandalo multorum ob hocque sit eius gravata opinio notorie et manifeste, et quod etiam ingrederetur tabernas illicque consuevisset potitare ad medium noctis ludo alee insistendo et deinde mane surgens crapula indigesta ad sacrum accedere non esset veritus etc. et irreverenter se habeat in ecclesia cantando horas canonicas et alia sacra obeundo contra statum et conscienciam suam etc. et quod non esset executus testamentum Bernardi olim vicedecani Wladislaviensis etc. et pro aliis excessibus latius in visitacione descriptis. Idem dnus Iohannes negavit contra se proposita esse vera.. sed potius odio et inimicitia contra se fuisse deposita, offerens se quatenus opus sit purgaturum Quo facto Rmus dnus Episcopus ipsum verbis honestis charitative de premissis corripuit, iniungens sibi omnino, ut a consuetudine et familiaritate dicte mulieris de eo suspecte et aliarum mulierum, de quibus oriri possit suspicio et scandalum, sub pena carcerum, etiam si unico teste convictus fuerit, subeunda abstineat, et quod ingressum tabernarum et ebrietatem vitet sub pena VIII gr. pecunie fabrice ecclesie maioris, totiens quotiens unico teste in illis compertus fuerit, lugenda; quo vero ad testamentum olim Bernardi reddet de expositis et debite executis die Veneris prox. sufficientem racionem..

780. (Ibidem). Honor. Iohannem Wspynek vicarium perpetuum ecclesie cathedralis Wladislaviensis per officium domini de excessibus infrascriptis per eum tamen negatis accusatum etc. dnus Rmus Episcopus benigne et paterne admonuit, ut sibi omnino a conversatione et consuetudine cuiusdam mulieris nomine Czudnykovska, de qua est multum suspectus cum magno scandalo, et aliarum mulierum etc. idque sub pena carcerum, et similiter ut sibi abstineret ab ingressu tabernarum et maxime nocturno ac ludo alearum aliisque scandalis et excessibus latius ex inquisitione facta sibi obiectis sub pena predicta, et totiens, quotiens etiam se unico teste comprobatus fuerit ingredi tabernam, VIII grossorum pena mulctandus; et preterea eundem admonuit, ut honestius se habeat circa horas canonicas decantandas in assurgendo et birro deponendo, ubi expediens est; cui quidem admonitioni dictus Iohannes Wspynek se paraturum submisit..

781. (Ibidem) Honor. Blasium de Clodawa vicarium perpetuum ecclesie Wladislaviensis officio domini ex inquisitione de certis excessibus, per eum tamen constanter negatis, delatum Rmus dnus Episcopus paterne admonuit, ut sibi abstineret primum ab ingressu tabernarum preterquam necessitatis tempore sub pena VIII gr. totiens, quotiens etiam si unico teste fuerit comprobatus, fabricatori ecclesie pro fabrica solvendorum; deinde ut sibi etiam abstineret a conversatione et commercio cuiusdam mulieris Curdzina, de eo multum suspecte, et ne ad eam amplius ingrediatur et illam ad se ingredi non permittat et similiter a consuetudine aliarum mulierum, de quibus scandalum oriri possit, sub pena carcerum; admonitus etiam, ut clericalem habitum non curtum statui suo convenientem deferat et quod composite et honeste se gerat, ut expedit, in exolvendo divino officio vel decantandis horis canonicis; ad que omnia dictus Blasius se sponte submisit et promisit emendaturum..

782. (Ibidem) Honor. Blasius Klothno vicarius perpetuus ecclesie Wladislaviensis ad proposicionem per instigatorem officii contra eum factam pro eo, quod inhoneste et incontinenter hactenus vixerit, post admonicionem Rmi dni in synodo et alias paulo ante habitam, cum quadam muliere maritata Swynyaskowa, ex qua prolem dicitur suscepisse, que proles postea cum levitate status clericalis publice est sibi allata, occasione cuius et alimentorum sibi ministrandorum ad maiorem suam et totius status clericalis ignominiam coram secularibus personis consulibus Wladislaviensibus fecit amicabilem compositionem, ita videlicet quod postea prolem illam alimentis providit; item adhuc pro eo, quod solet ingredi tabernas quotidie illicque potitare ad medium noctis, deinde mane surgens crapula indigesta ad altare accedit etc, et quod habitum clericalem non defert et quod circa horarum divinarum cantum minus reverenter se gesserit.. Confessus est hoc quidem, quod puer predictus esset sibi allatus, quem ipse timens periculum, ne suffocaretur, alimentis providit propter Deum, calumnie hominum cedendo, negavit tamen esse suum, negavitque etiam se inhoneste cum dicta muliere vixisse et reliqua etiam negavit, petens per dnum Rmum secum gratiose procedi. Rmus vero dnus Episcopus.. cognito.. quod sit non immunis ab obiectis sibi delictis.. [ipsum] in pena III marcarum officio suo condemnavit.. et nichilominus eidem sub pena carcerum omnino inhibuit, ut deinceps a dicte mulieris et cuiusvis alterius consuetudine abstineret.. etiam sub pena VIII gr. fabrice huius ecclesie.. solvendorum..

Et ut reverentiam debitam observaret circa decantationem horarum canonicarum assurgendo ad intonaciones, oraciones, Benedictus, Magnificat et Gloria Patri etc...

783. (Ibidem) Honor. Iableczki vicarius perpetuus Wladislaviensis ad proposicionem instigatoris officii contra eum factam pro eo, quod viveret ad presens etiam post correctionem et admonitionem synodalem et paulo ante habitam incontinenter cum quadam muliere relicta olim Ozegani, cum qua prolem habuit, et ad quam sepius ingredi solet et vicissim illa ad eum cum prole, quam ex eadem suscepit, etiam post correctionem dni Officialis, et quod etiam tabernas visitaret etc. Idem Iableczki recognovit quidem se prolem propositam ex dicta muliere suscepisse, peciit tamen humiliter per dnum Rmum sibi eam dimitti.. promittens in futurum emendam; dnus vero Rmus.. condemnavit ipsum officio suo in III marcis.. et nichilominus eidem prohibuit sub pena carcerum, ut a conversatione et consuetudine dicte mulieris deinceps abstineat et tabernas sub pena VIII grossorum.. non ingrediatur..

A. 1533, Aprilis 1, Wladislavie in curia episcopali.

784. (Acta episc. II) Honor. Stephanum de Ploczka substitutum dni Lyubowski vicarii Wladislaviensis ex officio propter eius excessus ad presentiam Rmi dni Episcopi vocatum.. tabernas frequenter visitantem et de muliere quadam dicta Thiburcza maritata plurimum suspectum et post correctionem carcerum dni vicarii in Spiritualibus generalis Wladislaviensis de hac ipsa muliere minime emendatum ex visitatione seu inquisitione repertum et alias multum scandalosum in ecclesia circa horas canonicas et divina irreverenter se gerentem, licet hec in parte negantem, dnus Rmus relegavit de diocesi sua, nolens hec eius exorbitantias et scandala diutius in sua diocesi pati, cui hinc alio de diocesi sua mandavit se transferendum infra unum mensem sub pena carcerum, et interim eidem iniunxit, ut omnino per hunc mensem vivat composite, ut convenit presbitero..

785. (Ibidem) Honor. Iacobum substitutum et Chadzinski vicarium Wladidislav. sepius tabernas ingredientes illicque in eis inebriantes et ludum alee exercere solitos contra prohibitionem canonum et statutorum provincialium admonitionemque ipsius Rmi dni Episcopi et in synodo et alias antea factam dnus Rmus paterne admonere dignatus est, ut ab hiis sibi abstinerent sub pena VIII gr. pecuniarum.. quotiens comperti fuerint deliquisse, solvenda..

A. 1533, Aprilis 2, Wladislavie in curia episcopali.

786. (Acta episc. II) Honor. Simonem vicarium et predicatorem ecclesie Wladislaviensis de quadam muliere maritata rotificis e regione hospitalis manentis, que eius domum sepius visa est ingredi et vestimenta ab illo pulchra habere, multum suspectum et circa celebrationem misse gestum consuetum et periculosum habere solitum Rmus dnus Episcopus paterne et charitative admonuit, ut a talibus abstineret; qui ibidem admonitionem paternam suscipiens promisit quandam focariam suam, ad quam solita est dicta mulier venire, ad tollendam omnem occasionem scandali a se amovere et providere, ne exteris sit scandalo..

787. (Ibidem). Magister schole, cantor et campanatores sunt admoniti, ut circa officia sua diligentiores sint: in ecclesia campanatores, et magister ut ser-

varet scholares in disciplina scholastica maiores et minores et ne permittat eos per tabernas vagari, scortari etc. utque diligentius doceret eos etc. Similiter cantor ut doceret scholares cantum, musicam etc. et ne ita, ut consuevit, in ecclęsia boaret, sed quod vocem sibi moderaret, ne iocos et chachinos in ecclesia exerceret; insuper campanatoribus precepit Rmus dnus, ut diligentius res ecclesie custodirent et ne simul omnes e vestigiario exeant, sed unus circa apparatus et res semper maneat et dno vicecustodi obediant sub pena alienationis..

A. 1533, Aprilis 3, Wladislavie in curia episcopali.

788. (Acta episc. II). Honor. Bartholomeum Grąnda substitutum in mansionaria sepius tabernas ingredientem et seditiones ac controversias cum laicis facientem dnus Rmus paterne admonuit, ut sibi a talibus abstineret sub pena carcerum, et nichilominus eundem in pena VIII gr. racione ingressus taberne pro fabrica ecclesie condemnavit..

A. 1533, Aprilis 21, Wladislavie in curia episcopali.

789. (Acta episc. II). Honor. Stanislaus in Caczewo plebanus ex officio citatus pro eo, quod inhoneste vivit et sit multum suspectus de quadam muliere, cui vestimenta et ornamenta pulchra comparat et pellitam vestem nuper illi comparavit ac nichilominus argenteos deauratos, et quod etiam eidem scamnum inter alia scamna nobilium in ede posuerit cum scandalo plurimorum; negavit contra se proposita, allegans ipsam mulierem esse honestam et de se vel in minimo suspectam; dnus itaque Rmus quamvis habuerit nonnullas probationes contra eundem, tamen pro hac vice illi eam noxam in specie emende condonavit, prohibens illi sub pena carcerum, ne deinceps eam ipsam mulierem hinc ad festum s. Iohannis foveat, sed eam abigat et scamnum predictum eiciat, a tabernis etiam sese abstineat sub penis predictis, ad quod se sponte submisit..

790. (Ibidem). Honor. Martinus Bonyewo plebanus ad instanciam instigatoris officii domini citatus pro eo, quod ipse est multum scandalosus, adducit enim ex oppidis vicinis cervisiam et propinat in domo plebanali et ibidem aliquando contentiones oriuntur ipseque plebanus aliquoties per rusticos capillabatur. Negavit contra se proposita allegavitque emere cervisiam ad suam utilitatem; cui Rmus dnus sub censuris ecclesiasticis inhibuit, ne deinceps talia faceret..

A. 1533, Aprilis 30, Wladislavie in curia episcopali.

791. (Acta episc. II). Honor. Stanislaum Chelmiczki in Zakrzow plebanum et altaristam in ecclesia Wladislaviensi, circa ecclesiam suam parochialem non residentem sed in domo fratris sui delitescentem illicque divina officia et contiones in domibus facere et a divinis parochianos illius loci per hoc retrahere solitum, maxime diebus celebribus, cum preiudicio parochie illius loci hicque circa suum altare missas, ad quas obligatur, non legentem domumque ad hoc idem altare spectantem labi per negligentiam et putrefieri permittentem, officio Rmi dni delatum eundem dominus paterne admonuit eidemque sub excommunicacionis et privacionis penis districte precipiendo mandavit, ut videlicet frequentius visitaret parochialem suam illicque divina officia perageret et sacramenta administraret et quod a predicacione prefata sibi abstineat quodque etiam circa suum altare aut per se missas,

ad quas obligatur, legat aut lectorem foveat, qui eius suppleat onera, et domum altaris predictam, quam passus est corrui, reficeret etc. Quiquidem Stanislaus promisit et se sub penis predictis obligavit pariturum decreto Rmi dni et maxime eciam in reficienda dicta domo altaris..

792. (Ibidem). Honor. Albertus Choynaczki in Piaski plebanus officio Rmi dni delatus pro eo, quod sit tabernarius, contentiosus et quod sit aliquoties in tabernis capilatus et ecclesiam non reformat, eundem dominus in pena III marcarum condemnavit[1]), quam hinc ad diem Veneris prox. reponendam mandavit..

793. (Ibidem). Honor. Stanislaus in Lyubothyn plebanus officio Rmi dni delatus pro [eo], quod solet adducere ex vicinis oppidis cervisiam, quam propinat tabernator suus, inde tabernatores Rmi dni, qui braxare solent cervisiam, nichil posunt vendere, malunt enim coloni civilem bibere quam domesticam, exindeque et ipsi ad paupertatem reducuntur; cui Rmus dnus sub pena inhibuit et districte mandavit, ne id amplius faciat, ad quod se sponte submisit..

[1]) Cod. condemnatus.



IX. ACTA IUDICII ECCLESIASTICI WIELUNENSIS.[1]

A. 1513, Octobris 17, in consistorio.

794. (Acta offic. IV). Ecclesie collegiate b. Marie Wyelunensis ad contenta monitionis occasione non solutionis sepulture per nobiles Nicolaum Gasshinski et Helenam advocatos Wyelunenses ac providum Laurentium Loryncz sartorem civem Wyelunensem nec aliquid ecclesie contribuentes a suis liberis per eos in dicta ecclesia sepultis.. contra nobiles Nicolaum Gaschynski, Elenam et Annam Czolethkowa ac Laurentium sartorem civem ac advocatos Wyelunenses, vener. dnus Stanislaus Lowyenski decanus et canonicus Vyelunensis cum vitricis eiusdem [ecclesie].. proposuit, quod ipsi advocati et Lorincz Wyelunenses, non existentes patroni eiusdem ecclesie collegiate aut notabiles et speciales benefactores, nuper peste exasperante et posthac corpora suorum puerorum et consanguineorum intra ipsam ecclesiam tumulari procuraverunt, licentia ab eodem dno decano et aliis prelatis et vitricis minime petita et nolentes pro ipsa ecclesia ratione sepulture huiusmodi aliquid contribuere, asserentes, quia ipsis ita licere pretextu certarum dotationum et fundationum per progenitores ipsorum ipsi ecclesie factarum. Et dominus.. innitendo laudabili consuetudini et pie fidelium devotioni ad subveniendum ecclesie prefate indigentiis dudum introducte decrevit, quatinus ipse Nicolaus advocatus cum uxore et Helena ac Anna duntaxat liberam habeant sepulturam in dicta ecclesia Wyelunensi et alii advocati pro tempore existentes legitime et per veram radicem genealogie descendentes, videlicet maritus et uxor duntaxat, pueri vero eorum aut consanguinei non; qui autem ex ipsis pueris aut consanguineis sepulturam in ipsa ecclesia elegerint, extunc pro indigentiis ipsius ecclesie per unam sexagenam iuxta consuetudinem laudabilem ipsius ecclesie diutius introductam et observatam a sepultura huiusmodi contribuant, prefato vero Lorincz et suis successoribus sepulturam interdixit, nisi soluta prius sexagena a quolibet corpore, prout est consuetudinis. Qui ibidem idem Lorincz ad Rmum dnum Ar-

---

[1]) Prócz ksiąg Wieluńskich zużytkowanych w Tomie II niniejszego wydawnictwa, odszukane zostały jeszcze dwie następne, z których wyjątki obecnie podajemy.

chiepum ab huiusmodi decreto verbo appellavit, in presentia dictorum Nicolai, Helene et Anne decretum huiusmodi acceptantium et suscipientium..

A. 1514, Iunii 16, in consistorio.

795. (Acta offic. IV). In causa nobilis Nicolai Gaschinski advocati, ab una, et proconsulis ac consulum civitatis Wyelunensis, partibus ab altera, occasione balneationis scolarium et pauperum in balneo civitatis Wyelunensis, dominus.. innitendo privilegiis et fundationi, quam ipsi consules se habere fassi sunt, decrevit, quatinus ipsi consules annis singulis et in perpetuum solvant balneatori cuilibet pro tempore existenti tres fertones cum II grossis pro festo Natalis Dni ratione balneationis scolarium et pauperum semel in septimana, alias feria IV qualibet, preter festum impediens aut aliquod legitimum impedimentum, et alias alio aliquo die competenti, si balneator aliquibus negotiis impeditus fuerit, sub censuris ecclesiasticis..

A. 1514, Iulii 6, in sinodo diocesana.

796. (Acta offic. IV). Sinodus diocesana per vener. dnum Stanislaum de Lippowiecz canonicum Wladislav. et officialem Vielunensem commissarium ad hoc specialiter deputatum in Vielun die Iovis VI Iulii celebrata 1514.

797. (Ibidem). Dnus officialis et commissarius Stanislaum in Waschosche plebanum in pena III marcarum condemnavit pro eo, quia ipse quandam Annam mulierem maritatam ultra prohibitiones Rmi dni Archiepiscopi et dni Officialis fovet, quam solvet infra unum mensem et eandem de cetero non foveat, pro qua pena persolvenda per dnum Stanislaum vicarium Vielunensem est monitus..

798. (Ibidem). Gregorius in Zythnyow plebanus condemnatur in pena sinodali pro eo, quia contra mandatum dni visitatoris non curavit vitrum comparare in monstrantia et in die Corporis Christi processionem non fecit, pro qua ibidem per dnum Stanislaum vicarium Wyelunensem est monitus, et ut vitrum comparare interim procuret.

799. (Ibidem). Dominus ex confessatis Iohannis Russek plebani in Rudniki eundem carceribus deputavit puniendum et imponendum pro eo, quia focariam eidem prohibitam ad servandum, ex qua sex pueros procreavit et non curavit eam alienare, prout se sub carceribus et penis ad acta officialatus inscripsit et pro ipsa coctrice perprius per dnum Officialem et commissarium incarceratus fuit; item etiam pro eo, quia non curavit emere vitrum ad monstrantiam, prout sibi mandatum fuerat et corpus divinissimum Cristi die Corporis Cristi circumeundo ecclesiam processionaliter supra calicem digitis gestabat. Item pro eo, quod se etiam ingessit in administrationem sacramentorum ecclesiasticorum ad ecclesiam in Laschow non habendo commendam processiones solenniter faciendo.

800. (Ibidem). Honor. Stanislaus vicarius Wyelunensis executor per dominum datus monuit honor. Andream de Coschmin plebanum in Cowale, quatinus infra unum mensem solvat penam sinodalem pro eo, quia contra prohibicionem domini et obligationem et inscriptionem ad acta servat focariam, ex qua IV pueros procreavit, et quod eam infra tempus prefixum alienet sub pena carcerum.

801. (Ibidem). Dominus ex confessatis honor. Nicolai in Voyczin plebani eundem in pena sinodali condemnavit pro eo, quia quandam mulierem Iandrowa

de ibidem temerarie post partum introducere in ecclesiam noluit et quia in die s. Martini et diebus Rogationum nullam processionem cum letaniis fecit. Item quod ibidem kmethones verberavit et eis non reconciliatus celebravit. Qui ibidem pro eadem pena est monitus per dnum Stanislaum, ut eam infra I mensem solvat.

802. (Ibidem). Dominus honor. Mathiam in Chotow plebanum in pena III marcarum condemnavit pro eo, quia ipse focariam ultra prohibicionem Rmi dni Archiepi et dni Officialis commissarii, ex qua multos pueros procreavit, fovet, pro qua per dnum Stanislaum est monitus, ut infra I mensem eam solvat et ne de cetero eam fovere audeat, sub pena carcerum eidem inhibuit.

803. (Ibidem). Dominus ex deposicionibus testium honor. Nicolaum in Vydrzin plebanum in pena sinodali condemnavit pro eo, quia est lusor taxillorum; item quia propinat cervisiam ultra prohibicionem per dnum visitatorem factam; item quia fons est repertus sine clausura, pro qua est monitus per dnum Stanislaum, ut infra I mensem eandem penam solvat et ut a talibus desistat sub pena carcerum.

804. (Ibidem). Dominus honor. Nicolaum in Czieschanczin plebanum in pena sinodali condemnavit pro eo, quia ex focaria puerum procreavit; item quia est lusor taxillorum; item quia est ebriosus contentiosus; item quia crisma non habet usque ad festum Visitacionis Marie, pro qua est monitus per dnum Stanislaum, ut eandem infra I mensem solvat et ut eandem focariam de cetero sub pena carcerum non foveat.

805. (Ibidem). Dominus honor. Mathiam in Czastary plebanum, faciendo cum eo graciam, propter conservacionem Anne focarie ultra prohibicionem Rmi dni Archipresulis in pena sinodali condemnavit, pro qua est monitus per dnum Stanislaum, ut eam in mense solvat et ut eandem focariam de cetero non foveat sub pena carcerum.

806. (Ibidem). Dominus honor. Alberto in Szyemikovicze prebendario inhibuit, ne de cetero Dorotheam maritatam ad se foveat sub pena III marcarum.

807. (Ibidem). Dominus honor. Lucam in Biala, Stanislaum in Naramicze plebanos in pena sinodali condemnavit pro eo, quia ipsi certos homines de Naramicze nullis habitis processibus excommunicaverunt neque ad sacramenta admiserunt percipienda, pro qua per dnum Stanislaum sunt moniti, ut eandem infra I mensem solvant sub censuris.

A. 1514, Octobris 27, in consistorio.

808. (Acta offic. IV). Officii domini in causa contra honor. Nicolaum plebanum in Brzesnicza, Wladislaus rector scole instigator officii per dominum deputatus proposuit contra eundem, quomodo anno presenti.. circa festa s. Hedvigis divinissimum Eucaristie sacramentum de ciborio unacum pixide argentea valoris XL marcarum in ecclesia parochiali Brzezniczensi per manus nephandas, sacrilegas per incuriam dicti dni plebani est ablatum, petens eundem in penis in iure contentis et suspensionis condemnari..

A. 1515, Iulii 9, in consistorio.

809. (Acta offic. IV). In causa universitatis vicariorum ecclesie collegiate b. Virginis Marie Vyelunensis contra.. religiosos fratres Georgium vicarium et

priorem et suum conventum Corporis Cristi in Vyelun, dni vicarii proposuerunt contra dictum priorem et suum conventum, quomodo ipsi contra canonicas sanctiones se ad benediccionem herbarum die Assumpcionis gloriosissime et cereorum die Purificationis Marie, vini et cervisiarum die s. Iohannis se intromittunt necnon ipsos dnos vicarios in ordine columbationis preveniunt et vigilias pro defunctis principaliter ante vicarios decantant ac modum debitum in predicacione et missarum officiis non servant certis horis more aliarum conventualium in preiudicium ipsorum dnorum vicariorum curam animarum habentium et contra decretum olim Rmi.. dni Iacobi de Senno Archiepi Gnezn. iudicialiter.. concessum facientes, petentes se per dominum circa huiusmodi decretum conservari et ipsis fratribus monachis, ne se de cetero ad supradicta ingerant, inhiberi.. Et ibidem frater Georgius vicarius et prior in termino cum fratribus suis comparens cum missali eorum de rubrica Romane ecclesie allegabat, quod possunt cerimonias prefatas in proposicione ubique exercere benedicendo cereos, herbas, vinum et alia, prout habetur in missali et iuxta bullas et privilegia sui ordinis, neque volumus aliquid scire de decreto huiusmodi olim Archiepi Gnezn. dato, ad quod noster Provincialis non consensit, neque interfuit, neque volumus parere mandatis dni ordinarii, duntaxat iuribus nostris per Sedem Apostol. nobis concessis libere volumus uti, quia Sedem apostol. in tutorem habemus et iudicem. Et dnus Officialis.. viso decreto et perlecto prefati olim Rmi dni Archiepi.. et innitendo eidem necnon statutis provincialibus desuper editis eosdem dnos vicarios circa decretum huiusmodi conservavit, ipsis priori et suo conventui inhibendo sub pena excommunicacionis, ne se de cetero in preiudicium ipsorum dnorum vicariorum ad premissa, prout supra, intromittant..

A. 1517, Augusti 24, in consistorio.

810. (Acta offic. IV). Mandatum regium concessum Spiritualibus, ut libere possint locare et vendere suas decimas et percipere:

Sigismundus D. g. rex Polonie.. Magnifice Elizabeth de Tharnow palatine Sandomiriensi et capitanee Wielunensi sincere nobis dilecte, in absentia eius vicecapitaneo graciam regiam. Magnifica, sincere nobis dilecta. Retulit ad nos Rmus dnus Archiepus Gnezn. unacum aliis dnis episcopis et prelatis cathedralium et regularium ecclesiarum in sinodo provinciali Pyotrkoviensi preterita congregatis, quomodo persone spirituales multiplices iniurias in decimis sibi debitis a secularibus paciuntur; nos, qui eos ut reliquos omnes subditos nostros defendere in iuribus suis tenemur experimurque illorum erga nos in rempublicam obsequium et subsidium non vulgare, mandamus tue Sinceritati, ut proclamari faciat in omnibus oppidis et locis publicis capitaneatus sui, quo nemo audeat iniuriam aliquam ipsis personis spiritualibus in percipiendis et vendendis libere suis decimis inferre, quia tales severa animadversione nostra cohercere volumus, pro gracia nostra aliter non facturi. Datum in oppido nostro Crewe d. s. Petri ad Vincula (*d. 1. Augusti*) a. D. 1517 regni nostri anno XI. Ad mandatum proprium R. Mtis.

A. 1517, Decembris 2, in consistorio.

811. (Acta offic. IV). In causa honor. Stanislai plebani et vitricorum in Vyrzchlasch occasione peticionis cum tabula ac conduccionis roborum et

scindularum pro ecclesia in Vyrzchlasch, quotiens opus fuerit, dominus.. decrevit, quatinus ipsi cmethones de Vyrzchlasch omnes et singuli, bini et bini infra duas ebdomadas ordinarie debent ambulare cum tabula ad petendum elemosinas pro necessariis ecclesie, quod si quis aliquo labore, dum ad eum ordo pervenerit, detentus aut occupatus esset, extunc sequenti et proximo vicino debet tabulam porrigere dimidium grossum dando. Prefati vero cmethones tres de Chochlow debent absoluti esse a tabula seu peticione cum tabula et pretextu huiusmodi debent dare annis singulis pro festo Natalis Dni quilibet eorum per I gr. pro ecclesia in Vyrzchlasch; molendinator vero simili absolutione petitionis debet gaudere et racione huius debebit reficere hostium in cimiterio, quotiens opus fuerit, cancello alias *bronkq*. Quodquidem decretum ipsi kmethones approbaverunt et se tenere submiserunt in evum sub censuris ecclesiasticis..

A. 1519, Februarii 15, in consistorio.

812. (Acta offic. IV).. Providi Nicolaus et Mathias fratres uterini muratores et oppidani de Wielun publice recognoverunt, quia contractum sive forum fecerunt cum vener. et religioso fratre Stanislao preposito et cum toto suo conventu in Clobuczko canonicorum regularium pro m u r a c i o n e d o m u s ibidem lapideam(s) talem videlicet: quod ipse Nicolaus et Mathias fratres muratores debent erigere ex fundamento parietes et murare lapidibus, videlicet hostia, quotquot fuerint necessaria, ex lapide seu saxo secto, fenestras ad XII cellas et duas stubellas, unam superius pro infirmaria, alteram pro preposito cum fenestris, gradus lapideos quadratos ex lapidibus sectis, angularia secta ex lapide alias *orthy*, quotquot fuerint necessaria, prout ipsi dno preposito et suis fratribus seu toti conventui fuerit ad placitum, caminos etiam omnes debent totaliter consumare, prout ipsi dno preposito placuerit; item ipse Nicolaus et Mathias frater suus hoc debent facere propriis sumptibus, lapides ex petra evellere et alios secare, ex petrosis montibus cementum urere, fideliter laborare et pretextu huiusmodi laboris prefati dnus prepositus cum suo conventu debebunt.. eidem Nicolao et suo fratri Mathie a labore huiusmodi videlicet: muracione, ereccione domus, lapidum excussione etc. debent eidem dare CXXX marcas.. et pro ratihabicione seu firmo foro et contractu inter eos facto religiosus frater Mathias nuntius et procurator eiusdem conventus eidem Nicolao et Mathie fratribus muratoribus II marcas dedit, quas ibidem apud acta receperunt.. Fundamentum vero ipse prepositus cum suo conventu suis impensis debent effodere et rudera educere, calcem seu cementum, lapides pro quadratis et alios pro muro et robora ad fornacem pro exurendo cemento ipse prepositus cum suo conventu tenebuntur ducere et conducere. Preterea ipse prepositus cum suo conventu propter captandam benevolenciam ipsorum muratorum et diligenciam debet eis dare, duntaxat ipsi Nicolao et Mathie, prandium et ipsis absentibus aut aliquo eorum ex eis nemini(s) quidquam loco suo substituere non debent. Quemquidem laborem ipse Nicolaus et Mathias fratres ommissis omnibus aliis laboribus obligaverunt se continuare fideliter et laborare sub censuris ecclesiasticis et penis civilibus ac mulctis et carceribus..

A. 1519, Iulii 27, in consistorio.

813. (Acta offic. IV). In causa honor. dni Stanislai plebani in Rudlicze con-

tra nobiles Petrum Skrzynski et Iohannem heredes in Gromathky, [idem plebanus] proposuit verbo, quomodo ipsi nobiles eidem plebano decimam anni presentis post predia ipsorum provenientem integre non dederunt, sed ipsam absque scitu et voluntate plebani de campis conduxerunt ad horrea propria, certos manipulos pro plebano relinquentes, necnon eidem decimum manipulum seu cassulam non dant. Et dominus.. decrevit, quatinus de cetero ipsi nobiles dicto plebano decimam integre solvant et postquam tempus decimacionis venerit, debent ipsum plebanum avisare, ut veniat solus aut nuntium mittat ad decimandum die sibi assignata prius; item eciam decrevit, quod ipsi nobiles tenebuntur et debebunt solvere decimum manipulum seu cassulam et postea messoribus solvant de suis frumentis; quod si plebanus neglexerit pro tempore seu die sibi statuta venire ad decimandum, habebunt facultatem decimandi et relinquendi decimam sub eorum consciencia, partibus ibidem personaliter comparentibus et decretum domini acceptantibus..

A. 1520, Februarii 24, in consistorio.

814. (Acta offic. IV). In causa magnif. dne Elizabeth de Tarnow palatine Sandomiriensis et tenutarie Wielunensis contra honor. dnum Mathiam plebanum in Czastary, dnus Iohannes Grochola procurator dne palatine proposuit, quod ipse dnus plebanus, exercendo mercaturas cum certis hominibus in villa Czastary videlicet cum Comornyczky et kmethonibus dictis Nanny, theoloneum novum regale a XL tunnis mellis per VI gr. a qualibet tunna non solvit, sub cuius custodia ipsum theoloneum est, ad X marcas extimans dampnum, aliud vero theoloneum castrense similiter non solvit ab eodem melle per tot tempus et ultra videlicet VIII marcas, petens ad solucionem compelli.

Item ipse dnus plebanus eciam exercet negocia emendo pelles mardurinas, vulpinas, ceram, cutes et sepum, item eciam destruxit dotem plebanalem in Sokolnyky et Czastary, et ibidem raro celebrat, petens eum ex officio conpelli ad edificia restauranda; in presencia plebani petentis terminum respondendi ad quindenam, cui datur.

815. (Ibidem). In causa honor. dni Nicolai de Wielun plebani in Rzassna contra dnum Martinum Cozyk presbiterum morantem in nemore Ossymy ad oraculum s. Leonardi, dnus Nicolaus.. proposuit, quomodo ipse Martinus absque eius scitu et voluntate procurat certos eius parochianos in sua parochia et villis Ossymy, Chabielicze, Brescheczyn sacramentis, confessiones audit, cereos benedicit, similiter herbas et oblaciones ceteraque iura parochialia ad ipsum dnum plebanum et ministros ecclesie sue spectantia percipit et tollit, non habita investitura neque commenda Rmi dni aut sui officialis, petens contra eum statutum extendi et eidem de talibus inhiberi ac eum occasione premissorum in V marcis condemnari; in presencia dicti Martini confitentis se non habere neque commendam neque investituram, quam sibi dnus Ossynsky promisit expedire. Et dnus Officialis audita ipsius dni Martini allegacione sibi inhibuit sub pena sinodali, ne de cetero se intromitteret de parochia dni plebani in Rzassna et oblacionibus percipiendis mandavitque sibi restituere oblaciones, quas ibidem tulit in oraculo Ossymy a festo s. Iacobi et ultra, et si ibi manere voluerit, extunc de voluntate dni plebani id possit facere et ea implere, que continentur in decreto per olim Rmum dnum Sbigneum archiepiscopum condito et facto..

A. 1520, Martii 9, in consistorio.

816. (Acta offic. IV). In causa magnif. dne Elizabeth palatine Sandomiriensis et tenutricis Wielunensis contra honor. Mathiam plebanum in Sokolnyky, plebanus iuxta terminum eidem per dominum prefixum.. iuravit, quod apud se non habet teoloneum domine preter dimidiam marcam et quod eciam nunquam recepit teoloneum novum R. Mtis neque commercia habuit cum kmethonibus, qui faciebant negotia emendo mel, ceram et alia; in presencia Iohannis Grochola procuratoris dne palatine. Qui [Mathias] ibidem reposuit ½ marcam de teoloneo noviter recepto; quas [pecunias] recepit a Valentino kmethone de Comornyki, de quibus pecuniis domina scit; et ibidem per dominum absolvitur..

A. 1520, Martii 22, in consistorio.

817. (Acta offic. IV). In causa honor dni Mathie plebani in Stolecz contra laboriosos Steffanum Pyelisg, Stanislaum Rospad kmethones de Nyekmyrow, dnus plebanus.. proposuit, quomodo ipsi per I mansum agri desertum quilibet eorum in villa Nyekmyrow colunt et dno heredi de eisdem censuant a XV annis et labores exercent, petens eosdem compelli ad solvenda missalia de eisdem iuxta statutum Rmi dni nostri Johannis de Lasko Archiepiscopi Gnezn. etc. per sacram sinodum editum; in presencia honor. dni Iohannis mansionarii Wielunensis procuratoris laicorum allegantis se esse absolutos et alias suspensum negocium per Rmum dnum nostrum, in quo se asserunt expeditas habere litteras Rmi dni nostri. Et dnus Officialis dedit terminum.. ad reproducendas litteras prefatas..

A. 1520, Aprilis 18, in consistorio.

818. (Acta offic. IV). In causa honor. dni Mathie plebani in Stolecz contra laboriosos Steffanum Pyelysg, Stanislaum Rospad kmethones de Nyekmyrow.. dnus Officialis visis litteris vener. dni Spytek de Buzenyn Gnezn. et Crac. canonici ac cancellarii Rmi dni nostri Archiepi Gnezn. per nobilem Petrum Nyekmyrowsky nomine suorum kmethonum reproductis in termino, suspendit negocium et alias supersedit in causa ad sinodum provincialem Lanciciensem prox. celebraturam, in qua statutum huiusmodi per dnum Rmum editum aut confirmabitur vel restringetur..

A. 1520, Iunii 15, in consistorio.

819. (Acta offic. IV). Dominus ex officio propter scandala inhibuit dno Iohanni plebano in Myerzicze sub pena sinodali, quatinus Maruscham coctricem de cetero non foveat, sed eam alienet, prout sibi Rmus dnus mandavit in sinodo, et similiter dnum Mathiam vicarium alienet propter sepissimas querelas, que contra eundem sepius fiunt ad officium, sub simili pena..

A. 1521, Aprilis 17, in consistorio.

820. (Acta offic. IV). In causa magnif. dne Elizabeth de Tharnow palatine Sandomiriensis et capitanee Wielunensis contra honor. dnum Iacobum Kyernozek de Wielun plebanum in Crzywarzeka, honor. Iohannes Grochola procurator dne palatine.. verbo proposuit, quomodo ipse plebanus audet et presumit diversis modis subditos eiusdem domine aggravare et multis iniuriis opprimere, ita ut eciam

nonnulli kmethones propter eius tales iniurias clam aufugere tentaverunt in dampnum et gravamen sue Dnacionis: et primo presumit eisdem subditis kmethonibus dampna facere in pascuis depascendo segetes et frumenta, neminem reverendo, deinde quibusdam pecora auferendo et occulte versus Slesiam propellendo, pueros dictorum subditorum baptisare contemnendo, confessiones audire renuendo, sepes circa ortos dissecando, agros ecclesie occupando, irrogare non veretur; quas iniurias sua Dnacio extimavit ad summam XX marcarum, petens eum propterea a talibus compescere et in dicta summa condemnare vel saltem ad commutacionem dicte sue plebanie astringi.. in presencia ex adverso dicti dni plebani petentis terminum deliberandi vel concordandi ad quindenam, cui datur..

A. 1521, Aprilis 26, in consistorio.

821. (Acta offic. IV). In causa commissaria ordinaria honor. dni Iohannis plebani in Mykanow contra honor. dnum Nicolaum Lopasch plebanum in Scheborzicze, Iohannes Stoleczky procurator plebani.. proposuit coram dnis commissariis.. quomodo ipse Nicolaus Lopasch plebanus ipsum Iohannem plebanum in Mykanow de districtu et officialatu Wielunensi existens in Unyeyow in sinodo diocesana citavit ad presenciam dni Officialis Unyeyoviensis, per magnam loci distanciam sibi gravamina et incommoditates viarum faciendo, petens eundem in pena sinodali ob indebitum tractum condemnari, fatigas insuper et expensas extimans ad X marcas; in presencia dicti Nicolai Lopasch plebani in Scheborzicze consentientis in iurisdiccionem dnorum commissariorum et petentis sibi terminum dari ad reconveniendum eundem dnum plebanum aut concordandum; et datur terminus de consensu parcium.. Preterea dni commissarii eidem inhibuerunt, ne in causa in Unyeyow contra ipsum dnum plebanum mota ulterius procederet aut aliquid attentaret sub ammissione cause; quam inhibicionem idem Nicolaus ratam suscepit..

A. 1521, Augusti 28, in consistorio.

822. (Acta offic. IV). Nobiles Thomas Gawin et Stanislaus Wyaczkowsky heredes in Baby sub parochia Cruschina submiserunt se tenere ordinacionem infrascriptam pro benediccione panum in festo Pasce inter se perpetuo, ita quod anno currenti Thome Gavin plebanus ipsorum debet benedicere panes et Stanislao pro alio sequenti [festo] Pasce, et ita semper alternatim sub censuris ecclesiasticis..

A. 1522, Ianuarii 15, in consistorio.

823. (Acta offic. IV). In causa omnium et singulorum kmethonum de villis Voyczin et Sdzar contra honor. dnum Nicolaum plebanum in Voyczin, rustici de Sdzar proposuerunt, quia ipse dnus Nicolaus in tercia Dominica non celebrat divinum officium, prout antiqua consuetudo servata erat; item quia non solet ad eos venire ad villam ad benedicendos panes, herbas et cereos; quod eciam postquam sibi affertur infans ad baptisandum, antequam baptisat, homines obiurgat verbis turpibus protrahendo moram; similiter in confessionibus et alia sacramenta eis ministrando non cum bona voluntate. Ex adverso plebanus negavit. Et dominus.. decrevit, quatinus ipsi laici habeant recursum ad ecclesiam parochialem

in Voyczyn tanquam eorum matricem singulis annis cum panibus, cereis et herbis, ad benedicendum portent et deferant. Quantum vero de officio divino, plebanus tercia Dominica officium in Sdzary peraget, mandans, ut de cetero ipse plebanus sub pena sinodali, postquam requisitus fuerit pro baptismo et aliis sacramentis ecclesiasticis per ipsos parochianos, eis sine mora et absque protraccione aliqua, semotis conviciis et turpibus verbis, administret..

824. (Ibidem). Omnes kmethones de Voyczin comparentes similiter proposuerunt cum querela contra ipsum plebanum, quomodo cum ipsis in taberna contendit et quando sermonisat, turpia verba infert infra sermonem, maledictos ipsos affirmando et afficiendo, antequam eos et mulieres confessiones audit, turpibus verbis invadit, eas appellando meretrices et parochianos fures; eciam eosdem rusticos ante eorum domos stans in conflictum provocat et cum armis tabernatum vadit; item ipse plebanus demandat sibi dare omni anno pro crismate duos grossos emendo; item eciam solus claves portat ad ecclesiam non dans eas vitricis, et quod sub sua custodia certa pars cere, superpilicium et cusinus et alia vestimenta, que fuerunt pro ecclesia data, de ipsa ecclesia sublata sunt; item quia eciam non servat ministrum ecclesie et solucionem clericature vult integre habere; et si aliquem pro tempore ordinat, prius percussum ante tempus expellit, propter cuius dni plebani furiam et protervitatem ipsi parochiani magnum dispendium et iniuriam paciuntur, petentes eundem a talibus compescere et per dnum Officialem ad resignandum seu commutandum ecclesiam suam propterea compellendum fore; in presencia plebani petentis terminum deliberandi vel concordandi.. Dnus vero Officialis decrevit, ut ipsi parochiani collecta clericatura eam presentabunt ad acta scolamque reformare tenebuntur; eciam dominus eosdem absolvit a solucione II grossorum, quos dabant plebano pro emendo crismate.

825. (Ibidem). Item plebanus proposuit contra Albertum scultetum de Voyczin.. quomodo ipse ortum sepivit in predio castri, in quo consevit frumenta et de eodem dicto plebano decimam dare et solvere manipularem non vult, petens eum communi iure ad solvendum dictam decimam compelli; in presencia dicti Alberti sculteti allegantis eandem decimam solvere non debere.. quia ipsum ortum pretio apud burgrabium convenit, qui sibi decimam prohibuit dare, duntaxat grossum, prout colonus, qui aliquando in eodem orto residebat, solverat, petens se ab impeticione ipsius absolvi. Et dominus.. attento, quia ipse ortus est emensuratus de agris predialibus, decrevit decimam solvendam annis singulis dno plebano pro tempore existenti, prout omnes parochiani tam de Voyczin quam de Sdzary apud acta presentes voce clara eundem ortum esse emensuratum de agris predialibus et publice testificati sunt..

A. 1522, Martii 31, in consistorio.

826. (Acta offic. IV). In causa dni Gregorii plebani in Sworzischovicze, contra omnes et singulos kmethones dnus plebanus.. proposuit in presencia Stanislai Slavik et Iacobi Czurba nuntiorum communitatis de ibidem missorum, quomodo ipsi nolunt se conformare districtui Wielunensi et aliarum ecclesiarum in empcione vini et cere ac eciam dnum plebanum nolunt admittere ad cisticulam seu thezaurum ecclesie neque rationem facere coram eo de pecuniis et obvencionibus ecclesie sue, petens eosdem compelli; dictis laicis allegantibus.. quia nun-

quam dnus plebanus pro tempore existens habuit clavem ad cistam tezauri; habeat et victrici aliam et, si placebit, communitas terciam vinumque de cista, ceram et farinam pro pane pistando procurent. Quodquidem decretum dnus Officialis reservavit arbitrio Rmi dni nostri Archiepi etc.

A. 1522, Iunii 6, in consistorio.

827. (Acta offic. IV). In causa magnif. dni Nicolai de Schydlowiecz castellani Sandomirieusis R. P. tezaurarii et capitanei Crzepicensis contra honor. dnum Nicolaum Czuczel plebanum in Dankow, nobilis dnus Iohannes Camoczky procurator dicti dni castellani.. proposuit contra ipsum dnum plebanum, quomodo ipse omnes et singulos kmethones et scultetos racione non solucionis clericature de utraque Zayaczky excommunicat processibus dni Officialis, quam ipsi kmethones nunquam dno plebano moderno et ipsius antecessoribus ac eorundem ministris solvebant, nisi vivente olim dno Stanislao de Curozwanki ipsos kmethones compulit ad solvendum huiusmodi clericaturam, petens eosdem ab impeticione ipsius et a solucione dicte clericature et alias ad causam a sentencia absolvi; in presencia ipsius dni plebani allegantis, quia ante IX annos, dum visitatores missi fuerant per modernum Rmum dnum per districtum Wielunensem ad visitandum, videlicet vener. Stanislaus de Lypowiecz et Iohannes Sworcz canonici Wielunenses in Dankow existentes, audita querela plebani, quod ministri ecclesie propter carenciam scole ibidem in Dankow ac eciam non solucionis clericature per kmethones de Zayaczki (?), convocatis eisdem kmethonibus mandaverunt eisdem scolam edificare cum aliis parochianis, et ut de cetero clericaturam solverent more aliarum parochialium ecclesiarum in districtu Wielunensi, referens se ad notam seu decretum huiusmodi in missali Dankoviensis ecclesie per dnum visitatorem et commissarium inscriptum, petens se circa huiusmodi decretum conservari et offerens se probaturum per missale. Ex adverso dno Camoczki replicante non posse instituere dnos commissarios huiusmodi clericaturam maxime perpetuis temporibus solvendam, ex quo nunquam ante ea solvebatur, alias protestatus est de nullitate et petens eosdem kmethones ab impeticione solucionis clericature absolvi. Et dominus deliberatus faciet facienda et kmethones ad causam decrevit absolvendos..

A. 1523, Aprilis 22, in consistorio.

828. (Acta offic. V). In causa matrimoniali laboriosi Gregorii de Ochle dicti Stoligwidz nunc in Proslicze morantis contra honestam Dorotheam Resczanka de Antiqua Sczyrczew uxorem suam, idem.. petivit se iudicialiter a dicta Dorothea uxore divortiari ex eo, quia est sibi odiosa et eam duxit coactus per heredem; in presentia mulieris uxoris sue, petentis eundem compelli ad commanendum. Et dominus.. decrevit, quatinus ipsi insimul matrimonialiter commaneant, qui [Gregorius] ibidem per honor. Thomam mansionarium Wielunensem executorem est monitus de mandato dni Officialis, ut ad uxorem redeat..

A. 1523, Iunii 19, in consistorio.

829. (Acta offic. V). Nobilis Wierussius Nyemoyowski ibidem heres contra honor. Iohannem plebanum in Lutotroff verbo proposuit, quia ipse plebanus.. eum diffamavit, dicitque, quod sibi recepisset equos de domo; item anno currenti

ipso die Corporis Christi ipse plebanus de nocte in campanam super violentiam pulsavit cum sua familia percutiente videlicet focariam cum filiis, ubi multam seditionem et scandalum fecit in populo accurrente; et in crastino contra suam focariam coram dicto nobili questus est, petens eam per heredem exeundum de oppido compelli, qui utique contra inhibitionem nobilis eam fovet, item cum ea in balneo nudus cum nuda balneatur; item quia crisma eundo de Valknovy amisit, usque die tertia reperiit, extimans iniuriam ad C marcas et petens eundem pro talibus puniri; in presentia ex adverso dni plebani reconvenientis eum et contra eum proponentis, quia ipse nobilis eundo ad bellum ab ipso plebano equum trium marcarum valoris in mutuum recepit, loco cuius eidem alium equum valoris dimidie marce restituit. Item quia ipse nobilis pro sua necessitate cervisiam ipsi plebano de sua dote vi recepit neque solvit[1]), petens eundem ad solutionem integram compelli. Et ibidem partes utraque negaverunt..

A. 1524, Maii 20, in consistorio.

830. (Acta offic. V). In causa nobilis Mathie Urbanski contra honor. Mathiam in Ruda vicarium, nobilis.. verbo proposuit, quomodo ipse dnus Mathias vicarius.. anno currenti f. II Pentecostes, ipso sedente in domo Orzel in civitate Wyelun, ipse vicarius eum verbis turpissimis invasit ac eundem furem latronem et fraudatorem appellavit et non contentus hiis verbis extracta framea vibrata manu eum in caput lesit et vulnus letale intulit, et nisi protectus fuisset, ipsum interemisset, extimans iniuriam et vulnus, prout nobilium iura disponunt, ad tres marcas, et in hac sua percussione de businis amisit tres fertones cum II gr., petens eundem in petitis condemnari..

A. 1525, Aprilis 5, in consistorio.

831. (Acta offic. V). In causa commissaria ordinaria vitricorum seu provisorum ecclesie in Przestan et omnium kmethonum de ibidem contra nobilem Stanislaum Zacrzewski nunc in Grabowa morantem, vitrici.. verbo et summarie proposuerunt, quomodo eidem nobili prefati vitrici cum kmethonibus post deflagrationem ecclesie in Przestan dederunt ei massam metalli alias *spyza* exusti de campanis ut et tamquam heredi suo et domino, et convenerunt eum IX quartalibus avene, ut hoc idem metallum alias *spyzą* sub pondere cambiret Cracovie pro nova campana, quod se idem nobilis submisit facturum et massam huiusmodi recepit metalli et Cracoviam vexit, petens eundem ad restitutionem.. [compelli]. Ex adverso idem nobilis Zacrzewski respondendo allegavit et fassus est se recepisse a dictis vitricis metallum alias *spyza*, quod et Cracoviam conduxit, et pro eodem campanam novam sub pondere ad magistrum seu fusorem campanarum cambivit et comparavit, eidemque magistro ultra V flor. addere debuit, quos ipsi kmethones florenos noluerunt dare, et ipse minorem campanam recepit, ad quam dimidiam marcam addere debuit, que Cracovie usque a XII annis est; in presentia vitricorum replicantium, quia eidem nobili satisfecerunt pro vectura, quia laboraverunt ei XI kmethones tribus diebus, et V flor. eidem dederunt, ut maiorem campanam recipiat. Ex adverso nobili negante receptionem V flor., sed paratus est ducere campanam, prout allegavit supra, dummodo sibi dabitur dimidia

[1]) Cod. receperunt neque solverunt.

marca. Et dominus decrevit probare vitricis eosdem V flor. per eos nobili datos, quando placet..

A. 1525, Iunii 8, in Wielun.

832. (Acta offic. V). Sinodus diocesana per vener. dnum Iohannem Sworcz de Wyelun canonicum et officialem Wielunensem, commissarium ad hoc specialiter deputatum, in Wyelun die Iovis VIII m. Iunii celebrata an. Dni MDXXV.

A. 1525, Iunii 9, in consistorio.

833. (Acta offic. V). In causa honor. dni Martini in Parzymyechy plebani contra omnes et singulos kmethones de villa Rambyelicze Maiori, kmethones iuxta exigentiam termini eis assignati respondendo propositioni ipsius dni Martini allegaverunt, quia illorum villa est fundata in decima mellis, quam solvunt Rmo dno Archiepo in Wyelun, videlicet VIII manualia mellis et non plus, etiam si unus kmetho resideret sive centum, et nunquam decima proveniebat plebano manipularis neque ibidem predium domini habetur, de quo decima manipularis plebano cedere deberet, sed dominus eorum heres ipsis kmethonibus in subsidium solutionis decime dederat certos agros desertos, quos tamen pronunc solus colit eosdem pro *morgy*, neque ipsos kmethones iuvat in solutione decime mellis, petentes se ab impetitione propterea ipsius plebani absolvi et dominum heredem compelli, ut eos iuvaret in solutione decime mellis. Et dnus Officialis deliberatus voluntatem suam f. IV in vigilia s. Margarete pronuntiabit.

A. 1525, Septembris 18, in consistorio.

834. (Acta offic. V). In causa honor. dni Nicolai in Vydrzyn plebani, ab una, et [contra] Mathiam et Urbanum fratres heredes in Skrzyn et kmethones de ibidem [partibus ex altera] occasione locationis decime in villa Skrzyn ad plebanum spectantis, dnus cancellarius.. decrevit, quatinus ipse dnus plebanus habeat decetero liberam locationem decime apud kmethonem, quem ipse elegerit in villa Skrzyn, et cum eodem kmethone ipse plebanus componat pro collatione seu prandio faciendo. si eidem placebit prandium habere apud eundem, aut dimittat sibi decimam suam, si placebit, pro arbitrio suo. Quod si ipse kmetho faciet prandium de consensu plebani, ipse plebanus poterit vocare ad prandium, quem vellet, non tamen sit astrictus pro eodem prandio vocare heredes ville, sed si placebit, vocabit quemcunque voluerit..

A. 1525, Octobris 24, in consistorio.

835. (Acta offic. V).. Constitutus ad acta presentia magnificus dnus Iacobus Cobylansky succamerarius et capitaneus Wielunensis.. cupiens augmentare cultum divinum.. litteras donationis per olim dnum Hyncza antecessorem suum ecclesie in Dankow et rectoribus eiusdem.. datas.. petivit ad acta presentia admitti.. quarum tenor sequitur..

Hyncza de Rogow castellanus Sandomiriensis et capitaneus Crzepicensis etc. in Parzymyechy et Dankow etc. dominus et heres, significamus.. quia pro laude Omnipotentis Dei et intemerate virginis gloriose Marie necnon b. Stanislai martiris patroni nostri claustrum religiosorum ordinis Heremitarum s. Pauli

Heremite primi de intendentia domus fratrum b. Marie in Claromonte Czastochowa fundare et erigere ac locare in villa nostra hereditaria Dankow diocesis Gnezn. cum provisione et dotatione competenti, super qua sex aut septem fratres ad minus stare possent, deliberavimus, ubi tunc ipsam parochialem ecclesiam in ibidem s. Stanislai cum annexa cura animarum eiusdem fratribus consignare statuimus cum auxilio Dei, et primum proventus eiusdem ecclesie pertinentes ad plebanatum eundem monasterio cum aliis secularibus bonis nostris de Dankow et Lyppye cum piscina ipsa incorporare, dotare et ad tempora eviterna assignare, quibus illic, serviendo Deo Altissimo, subsistere possent, prout in eorum erectione originali de hoc latius intimabitur et describetur. Interea tamen si hec intentio et voluntas nostra firmiter concepta aliquo prepediretur sinistro eventu: puta brevitate vite et mortis venture obstaculo.. nolentes onerare conscientiam suam in hoc, quia exstruendo piscinam in Dankow ecclesie ipsi Dankoviensi prata bona, ortus, fluvios, pascualia cum aliis utilitatibus, quibus plebanus utebatur et vivebat, et tabernam etiam plebanalem cum orto et prato in toto inundare ipsa piscina fecimus et fundamenta piscine eiusdem, hoc est aggerem in plebani prato locavimus, volentes pro eo satisfacere plebano et ecclesie dampna restaurare pro meliori, ipsi honor. dno Nicolao plebano protunc existenti iuxta consciencie nostre arbitrium et ipsius assensum ad hec intervenientem loco fluviorum, in quibus iuxta eadem prata sua victum habebat, unam piscinulam inferiorem iuxta Lyppye et pratum sub eadem nostra piscina assignamus et damus, necnon pro aliis ortis et pratis sibi inundatis in eadem nostra piscina damus eidem libertatem piscandi cum rethe traha alias *wloczkyem,* quotiens placuerit, alias *zabrodnyam,* et cum rethe in cimba etiam piscari bis in septimana qualibet. In fossatis vero omnibus subtus aggerem sepitas alias *yazy* gulgustra ponendi libertatem habebit sine cuiusvis impedimento. Et quia tabernam eidem ecclesie pertinentem ad plebanatum inundavimus, pro ea etiam restauranda ac prato et orto, quibus ipsa taberna utebatur, unum laneum agri pro taberna, quemcunque plebanus sibi ex desertis elegerit, damus et appropriamus cum ortis et pratis ad dictum laneum pertinentibus exstruendum, tenendum, possidendum perpetuo pro placito et loco competenti, ita tamen, quod pro nobis et parentibus, fratribus, consanguineis nostris per plebanos eiusdem loci perpetua memoria in exhortationibus dominicis diebus generalis et ad quelibet Quatuor tempora una missa pro defunctis et vigilie mortuorum compleantur. Ad hec premissa plebani perpetuo pro libertate nostra illis prestita erunt obligati. In cuius rei testimonium evidens sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum et datum in castro Crzepicze f. II post Conductum Pasce a. D. MCCCCLXII presentibus nobilibus Stanislao Clomyczki, Iohanne Przeborowski, Nicolao Strzeleczki, Iohanne Croczewski et aliis pluribus fidedignis.

Preterea ipse magnificus dnus Iacobus Cobylensky succamerarius et capitaneus Wielunensis volens ampliare cultum divinum.. donavit donatione irrevocabili.. honor. dno Nicolao Guczel baccalario moderno rectori ecclesie parochialis in Dankow et suis posteris plebanis legitimis successoribus aream et locum, in qua ipse dnus plebanus modernus tabernam construxit, edificavit, quamquidem tabernam ipse plebanus et sui successores plebani habebunt et possidebunt.. libere et pacifice, adiungens.. idem dnus Iacobus Cobylensky heres in Dankow ultra duos dies, prout in donacione dni Hyncza descripti sunt, terciam diem ad-

didit ad meridiem in qualibet septimana, in quibus ipse modernus plebanus et sui successores habebunt liberam piscaturam piscium in cymba piscando pisces per se aut suum piscatorem et tollendum(s) pisces cuiusvis generis cum retibus preter hamorum imposicionem ad aquas in piscinas. Pretextu cuius donacionis ipse dnus Nicolaus plebanus et sui successores tenebuntur et sint astricti sub eorum conscienciis quotannis singulis septimanis legere unam missam in ecclesia parochiali in Dankow pro salute anime ipsius dni donatoris et uxoris sue et successorum suorum feria VI de s. Valentino martire. Item si ipse dnus plebanus modernus et sui successores ministrum ecclesie tenebunt et fovebunt, quem propter carenciam clericature ipsa ecclesia non habet, extunc ipse dnus Iacobus Cobylensky et sui successores pro eodem ministro ecclesie in suis bonis Dankow de censibus XV gr. Polonicales ipsi ministro pro festo Conversionis s. Pauli, assignavit solvendos, si vero ministrum non foverint, extunc dnus non tenebitur ad solucionem XV gr., et plebanus nichilominus et sui successores.. tenebuntur omnia contenta in privilegio donacionis dni Hyncza in toto supplere, alias in defectu complecionis onerum frustrabuntur piscatura. Pro quibusquidem XV gr. donatis ipse minister ecclesie decantabit, quando misse legentur, singulis septimanis cantilenas post elevacionem Corporis Christi: unam de b. Virgine »Ave Sanctissima« uno die, aliam de s. Anna alio die et terciam de septem verbis Domini in diomate Polonico, videlicet „*Wspomynayacz Boze slowa*“ etc., ipse vero plebanus et sui successores tenebuntur providere salario competenti prefatum ministrum. Quamquidem donacionem ipse dnus donator se et suos successores obligavit tenere et satisfacere, et ipse dnus plebanus onera adimplere et sui successores [tenebuntur] sub eorum conscienciis..

A. 1526, Martii 14, in consistorio.

836. (Acta offic. V). Officii domini in causa dnus Officialis ad sepissimas querelas nobilium Malyschczy de Vyrzchlasch contra honor. Paulum suum plebanum in dicta Vyrzchlasch, quia eorum germanam Hedvigim virginem, ut creditur, allicit ad sui amorem, que certas res et supellectilem ad eius dotem portavit.. dicto Paulo plebano inhibuit, ne de cetero.. cum dicta nobili aliqua commercia aut clandestinas locuciones similiter et visiones habeat, neque domum illorum, similiter et ipsa suam visitet sub penis sinodali et carcerum; in presencia dicti plebani huiusmodi penam in se suscipientis, si inhibicioni contravenerit..

A. 1526, Iunii 15, in consistorio.

837. (Acta offic. V). In causa nobilium Alberti Wrzescz, Stanislai Podlewski, Iohannis et Felicis Wronsczy patronorum et collatorum ecclesie parochialis in Brzykow contra honor. Albertum Obydowsky plebanum in Brzykow, nobiles.. contra eundem plebanum verbo proposuerunt, quomodo ipse.. metallum alias *spisą* de ecclesia absque scitu omnium recepit et in Lutomyrsko duxit et invadiavit. Similiter crucem argenteam apud honor. Martinum Czemyenyewsky commendarium in Grabno invadiavit pro usu suo; item apes ecclesie vendidit; item receptis mappis de ecclesia camisias de eisdem focarie sue facere disposuit; item nunquam sermonem ad populum facit allegans, quia nescit, similiter processionem; item ipso die Natalis Domini, eo expectato a populo, ut surgeret ad matutinas, et non veniente,

parochiani eum excitare volentes prevenerunt eum dormientem inter duas mulieres, qui surgens missam cantavit in scandalum populo, et hoc idem pro alia vice fecit, et multa alia scandala facit, — timentes, ne alia clenodia de ecclesia alienaret aut fugam daret, petentes eum ad restituendum compelli, correccionem pro Rmo dno reservando, aut eum alienari a sua parochiali. Item quia obligatus est singulis annis de suis proventibus II sexagenas dare pro restauracione dotis plebanalis et ecclesie, qui nichil dedit, sed neque dotem in aliqua parte refert. In presencia exadverso plebani confitentis se invadiasse crucem, de metallo vero allegavit, quia illud duxit ad ponderandum in Lanczicza, sed propter malam viam illud in Lutomyrsko apud fratrem reliquit, ad alia contenta in proposicione negavit.. Et dominus decrevit, ut ex confessatis metallum et crucem ad quindenam ecclesie restituat et exemat sub censuris ecclesiasticis, ad alia datur terminus probandi, quando placet..

A. 1526, Iulii 11, in consistorio.

838. (Acta offic. V). Officii domini honor. dnus Iacobus in Lagyewniki plebanus citatis kmethonibus de villa Lagyewniky contra omnes et singulos verbo proposuit, quomodo ipsi anno currenti in scandalum omnium Cristifidelium et contra precepta s. Matris Ecclesie temerarie in vigilia ss. apostolorum Petri et Pauli comederunt carnes, similiter vigilia Nativitatis s. Iohannis Baptiste non ieiunaverunt, petens eos iuxta sancciones sanctas puniri; in presencia ex adverso laicorum in iudicio personaliter comparentium, confitencium publice, quia comederunt dictas carnes de mandato nobilis Andree Brodnyczky in ipsius domo, apud quem laboraverunt. Et dnus Officialis audita confessione laicorum iudicialiter facta negotium huiusmodi suspendit ad informationem Rmi dni Archiepiscopi..

839. (Ibidem). In causa honor. dni Iacobi de Wyelun plebani in Lagyewniky contra laboriosos Albertum scoltetum, Iohannem Lyschy, Iacobum Pyątha, Leonardum Przybilo, Iohannem Yayak, Iacobum Iurga, Iohannem Oqueka, Iohannem Voythaschek, Mathiam Costernyk, Sigismundum Czyuk, Tibustium Czyuk, Iohannem Nadetho, Albertum Wyaczek, N. Cosczyan, I. Brzescz liberos et kmethones in dicta villa Lagyewnyky, dnus plebanus.. proposuit, quomodo ipsi supradicti liberi eidem nolunt dare et contradicunt decimum manipulum de frumentis cuiuslibet grani et seminis post agros et araturas eorundem provenientibus, quem decimum manipulum deducentes dant messoribus, sed duntaxat undecimum, petens se circa decreta ante ea per priores dnos officiales facta conservari ipsosque laicos compelli sine aliqua diminucione.. decimam seu decimum manipulum ad extradendum seu solvendum compelli. Ex adverso in presencia dictorum liberorum.. allegancium, quia nunquam dabant decimum manipulum ipsi plebano nec volunt dare, habentes in hoc consuetudinem antiquam, nisi prius deducant decimum manipulum messoribus, plebano undecimum solvunt, petencium eorum allegacionem admitti. Dnus Officialis innitendo prioribus decretis in actis contentis per predecessores dnos officiales Vyelunenses factis decrevit, quatinus ipsi liberi dno plebano suo et successoribus de cetero sub excommunicacionis pena solvant decimum manipulum et ipsam dictam decimam integraliter de agris eorum iuxta canonicas sancciones et consuetudine, que est contraria canonibus, [penitus abo-

lita]; et quod ipsi laici omnes et singuli solvant clericaturam et denarium s. Petri iuxta consuetudinem provincie Gneznensis et districtus Wielunensis..

A. 1528, Iulii 3, in consistorio.

840. (Acta offic. V).. Honor. et religiosus frater Georgius Grosch ordinis s. Augustini Heremitarum, vicarius Wratislaviensis et prior Corporis Cristi in Vyelun, solenniter protestatus est, quia imaginem b. Virginis cum certis clenodiis et armis argenteam ex proprio labore et bonis paternalibus acquisivit, ad quam fratres eorundem ordinis et aliorum quorumcunque et conventus nullam propinquitatem habent, ad eandem imaginem tanquam propriam pro sua necessitate apud providum Albertum Mysgala civem Wyelunensem XVI½ marcas.. recepit et tandem de consensu eiusdem Alberti Misgala ad eandem imaginem similiter pro sua necessitate apud honor. Iohannem de Parczycze precentorem mansionariorum III marcas.. recepit; cuiquidem dno precentori omnem facultatem.. commisit dictam imaginem apud prefatum Albertum Mysgala exemere et pecunias sibi dare, qua sic exempta eidem dno precentori dictam imaginem commisit vendendam, imaginem prius ponderando, qua vendita sub testimonio et ponderata, residuitatem pecuniarum, si quid ultra dictam summam superius scriptam excreverit et resultaverit, ipsi dno Georgio Grusch vicario Wratislav. residuitatem summe fideliter dabit, quemquidem dnum precentorem.. se obligavit ab omni impedimento.. indemnem reddere et evincere..

A. 1528, Novembris 27, in consistorio.

841. (Acta offic. V). Officii domini in causa honor. dnus Bartholomeus Sczuczky arcium baccalarius instigator officii Rmi dni Archiepi contra honor. Iohannem plebanum in Dzyetrzychowycze verbo proposuit, quomodo ipse postposito Dei timore in scandalum sui status et parochianorum suorum ultra inhibiciones sepissimas vener. dnorum archidiaconi commissariorum sinodaliter et dni Officialis inhibiciones quandam focariam Margaretham fovet.. et hucusque detinet, ex qua prolem singulis annis educit et post inhibitionem et mandatum speciale dni Officialis et prefixionem sibi certi termini, ut eam non foveret, posthac cum ea prolificavit, petens eundem in penis in statutis provincialibus [contentis] condemnari; in presencia dicti dni plebani confitentis iudicialiter se talia fecisse et graciam cum eo fieri [petentis]. Et dominus eundem in pena sinodali condemnavit et ut eandem ultra festa Natalis Cristi de cetero, inhibuit, non foveret sub penis carcerum..

842. (Ibidem). Officii domini in causa dnus Officialis ad querelam sepissimam et accusacionem parochianorum in Dzyetrzychowycze, quod eorum plebanus est ignarus neque scit proponere eisdem verbum Dei, petiverunt eis provideri, a quo adiscere possint viam salutis, ibidem in audientia eundem dnum Iohannem plebanum in Dzyetrzychovicze examinavit epistolamque, que sic incipit: »Hora est nos de somno surgere etc.« ad legendum et exponendum dedit. Qui plebanus neque legere neque exponere repertus est [scire. Quare dnus Officialis] dicto plebano mandavit, ut infra tres menses in sui subsidium et edificacionem parochianorum vicarium servet aut commutacionem querat..

A. 1530, Maii 18, in consistorio.

843. (Acta offic. V). In causa providi Alberti balneatoris, oppidani Vyelunensis contra discretum Andream textoris scholarem de Vyelun, Albertus balneator.. contra Andream verbo proposuit, quomodo f. II prox. ipse Andreas discurrens per tabernas in eius domum declinavit ibique insolentias faciebat, videlicet cervisiam hominibus bibentibus evertebat et effundebat, et his non contentis uxori dicti Alberti verba turpia inferebat meretricem eam appellando etc., quod audiens Albertus cepit ei loqui, ut a talibus desisteret et uxorem suam non increparet, in quem ipse scolaris irruit et per crines traxit ac in scamnum proiecit, ex quo ictu ipsum Albertum in frontem enormiter lesit, extimans iniuriam ad X marcas, petens ipsum caucionari de iuri parèndo; in presencia ex adverso Andree textoris negantis narrata, asserentis se per dictum Albertum balneatorem per crines trahi, insuper proponentis, quod ipsum de eius tunica spoliavit tanquam fur, extimantis iniuriam similiter ad X marcas. Et dominus Officialis vocato ad sui presentiam honor. dno Bartholomeo Sczuky artium baccalario, rectore schole, ipsum requisivit, si sub eius disciplina et obediencia esset. Qui baccalarius respondit et dixit se nichil de eo scivisse eumque ab aliquot septimanis propter eius excessus et insolentias, qui hincinde per tabernas actus latrocinatorios, videlicet cartas, taxillos ludendo divagabatur, de scholis alienavit. Et dominus attendens, eundem esse vagam personam, propter eius excessus et ut fideiussores de parendo iuri poneret, quos habere non potuit, ad carcerem deputavit..

A. 1530, Iulii 1, in consistorio.

844. (Acta offic. V). In causa discreti Mathie scolaris filii nobilis Urbani Scrzynsky contra laboriosum Martinum artis gladiatorie socium apud Iacobum Swyerk in Vyelun laborantem, dnus Bartholomeus Sczuczky procurator dicti Mathie.. contra eum verbo proposuit, quomodo anno currenti f. II Pentecosten dictus Mathias scholaris per patrem suum pro invitando Mathia Zedla, ut ad eum pro collacione veniret, ad Wssolek iuvenem missus erat, qui et ivit; ipseque Mathias iussu et mandato dicti Zedla et in domo eius coream duxit. Cui dictus gladiator citarisare inhibuit ac dictum Mathiam increpavit et verba turpia et inhonesta sibi intulit et per crines traxit ac maxillavit et ad terram deiecit, extimans iniuriam ad X marcas; in presencia dicti Martini petentis terminum deliberandi ad quindenam, cui datur..

845. (Ibidem). Officii domini in causa dnus Officialis honor. dnum Nicolaum plebanum in Vydrzyn in pena sinodali pro Rmo dno condemnavit pro eo, quia ipse quandam Annam de Byala, cum qua prolificavit ante visitationem factam et sibi per dictum dnum visitatorem inhibitum fuit, ne eam peramplius foveret, iterum eandem in dotem suam recepit cum eaque moratur ac multa scandala facit. Et iterum pro tercia vice sub penis arbitrio Rmi dni reservatis eidem inhibuit, ut eam deinceps non foveret nec aliqua commercia cum ea habeat etc.

A. 1530, Decembris 2, in consistorio.

846. (Acta offic. V). Officii domini in causa nobilis Albertus Urbanski de Naramycze contra honor. Swyetoslaum in Naramycze cum gravi querela proposuit ex quadam suspicione, quod eundem nobilem cum sua uxore separat, quam

in domo sua plebanali fovit et fovet, quam ipse nobilis post correctionem uxoris sue (s) eius uxor ad dotem plebanalem aufugit, quam idem nobilis ibidem prevenit; et item pro secunda vice similiter; pro tercia vero vice dictus plebanus dicto nobili volenti querere in dote sua cameram aperire noluit, ex quo presumitur, quod eam sibi servat et detinet; petens eum [plebanum] a talibus cohiberi et ut ei uxorem restituat compelli; in presencia plebani negantis eam habere in camera, allegantis eam esse apud matrem suam in Bolkow. Et dominus.. dicto plebano, ex quo est suspectus dicto nobili de uxore sua.. sub sinodali ac carcerum penis inhibuit, ne cum dicta nobili uxore sua aliqua commercia aut sessiones habeat, neque ipse ad eam, similiter [ipsa] ad eum non visitent nec aliqua conferant in locis privatis, excepta ecclesia aut assistentia bonorum hominum testium fidedignorum. Quod si dictus plebanus dicte inhibitioni in aliquo contravenerit et ipse nobilis probaverit, dnus Officialis propter tam obscenum scandalum arbitrio, correctioni Rmi dni reliquit..

Et ibidem dnus Officialis ex officio Rmi dni Archiepi dicto nobili Alberto Urbanski inhibuit, ut de cetero et peramplius quandam Appoloniam concubinam publicam, quam vivente priore uxore servabat et ea usus est, prout solus recognovit, non teneat neque ad eam visitet sub pena excommunicacionis, quam si tenuerit, dnus Officialis dictum nobilem cum dicta concubina plebano denunciare mandavit et alios eam in villa foventes..

A. 1531, Martii 20, in consistorio.

847. (Acta offic. V). In causa vener. dni Gregorii prepositi et sui conventus in Crzepycze canonicorum regularium contra nobilem Stanislaum Mislowski advocatum in eadem Crzepicze, honor. Stanislaus de Russyecz vicarius Vyelunensis procurator dicti dni prepositi et sui conventus.. contra eundem nobilem Stanislaum Myslowsky verbo proposuit, quomodo dictus nobilis Stanislaum contra ius divinum et commune necnon contra statuta provincialia.. decimam iuxta laudabilem consuetudinem regni et aliorum advocatorum pecuniariam seu manipularem post agros advocatie, similiter et missalia post agros civiles, quos habet.. et colit iuxta consuetudinem suorum predecessorum, ab annis XX citra vel ultra dare recusat et recusabat, et licet antecessor suus prepositus, ut creditur, sibi eandem in favorem dimittebat, tamen predecessores alii prepositi in percipienda dicta decima semper fuerunt, quod regestris probare vult et intendit, et dato sed non concesso, si eam non solverit, nihilominus iuxta ius commune se conformare in danda dicta decima vicinis suis debet et tenetur, quam decimam et missalia dictus nobilis Stanislaus advocatus cum magno preiudicio et damno ecclesie et dicti conventus dare et extradere recusat, extimans damnum ad XXX marcas pro retenta decima, petens eundem ad dictam decimam et missalia dandum... compelli ipsumque in X marcis ratione expensarum, quas dictus dnus prepositus faciendo diligencias ad Rmum dnum Piotrkovie et Cracovie fecit, condemnari..

848. (Ibidem). Dnus Officialis in audiencia publica.. solenniter protestatus est cum vener. et honor. dnis Gregorio preposito Crzepicensi, Stanislao de Russyecz, Stanislao de Brzesnycza vicariis perpetuis ecclesie Vyelunensis, quomodo honor. Albertus de Buk vicarius perpetuus Vyelunensis eundem dnum Officialem

in audiencia sedentem frivole ac temere turbavit, sibi verba levia inferendo manu extensa et ad mensam percuciendo, appellando eundem iudicem iniustum et quod me damnificasti in II marcis et alia verba, non habendo reverentiam iudicii et sedis Rmi dni Archiepi in levipendium sibi faciendo, de quibus solenniter est protestatus.

A. 1531, Martii 29, in consistorio.

849. (Acta offic. V). Honesta Elisabet de Cadlub contra laboriosum Paulum filium sculteti de eadem Cadlub verbo proposuit, quia ipsa serviens apud patrem eius cum eo prolificavit, petens sibi eum in sex marcis condemnari; in presencia Pauli petentis terminum deliberandi ad respondendum ad primam iuris.

Et ibidem idem Paulus.. reconveniendo contra eandem verbo proposuit, quod ipse manens apud patrem suum a peccato carnali immunis et virgo existens neque annos habens, dicta Elizabeth ipsum ad actum carnalem verbis blandis et promissionibus alliciebat ad eumque, ubi dormiebat, sepe et sepissime veniebat ipsumque titilabat eum rogando, ut cum ea commisceretur. Qui timens Deum et patrem suum eidem consentire nequaquam voluit, et tandem per longa tempora a talibus desistere non cessans, iterum promissionibus eundem aggressa est, promittens et dicens: est michi pecunia multa, tantum facias id, quod a te opto, te ditabo et mecum ibis in Slesiam. Qui Paulus tanquam fragilis ad eius peticiones et promissiones sepissimas et maxime vi eius voluntatem fecit, petens eandem sibi in X marcis ob privacionem virginitatis sue condemnari eamque pro talibus puniri; in presencia dicte Elizabeth negantis.. Presentibus honor. dnis Petro priore in Mstow, Mathia Drazschek vicario Vyelunensi, Allexio mansionario ecclesie collegiate Vyelunensis testibus.

A. 1531, Iunii 7, in consistorio.

850. (Acta offic. V). In causa Dorothee Rusca focarie contra honor. Nicolaum Byelyecz commendarium in Rudnyky mulier petiit iuxta exigentiam termini sue proposicioni responderi. Honor. Bartholomeus Sczuczki procurator respondendo [allegavit], quod dictam mulierem nunquam pro servicio conveniebat, immo eam ab annis XX citra vel ultra infectam morbo gallico fovebat et nutriebat propter Deum taxando impensas, sed in quantum non est contenta, ad XX marcas; muliere replicante, quod eam primo anno convenit, quod probare intendit, et etiam ab eo infecta est morbo gallico ac eciam eam, dum ab eo recesserat, ubique querebat et inveniebat ac excogitatis processibus excommunicacionum ad commanendum sibi compellebat eam pro voto habendo, petente eidem iusticiam adhiberi. Et dominus mandavit, ut personaliter ipse plebanus per se coram domino compareat f. II post octav. Corporis Cristi. Et dominus decrevit, quatinus idem Nicolaus dicte focarie Ruska pro suis deservitis ½ sexagenam daret ad XV^{am}.

A. 1531, Iunii 30, in consistorio.

851. (Acta offic. V). Officii in causa honor. Bartholomeus Sczuczki instigator officii.. verbo proposuit contra providum Valentinum Ratussny de Crzepycze, quia ipse, nescitur quo spiritu ductus, ut creditur, maligno et ut presumitur. infectus secta Luteriana anno currenti die certa in oppido et in ecclesia Crzepycze existens in ecclesia, religioso Stanislao et (s) matri-

monialiter certos homines copulante ibidem coram personis multis fidedignis in facie ecclesie dictum fratrem Stanislaum verbis infamatoriis suam famam et statum denigrantibus diffamavit.. eum appellans sacrilegum vendentem sacramenta; item dicens non esse verum corpus sub specie panis et quod: in fraudem nostram soli sub utraque specie percipitis sacramenta, nobis sub una tribuentes; item: compellitis homines simplices ad auriculares confessiones, ad quas non tenentur, nam et nos simplices tanta auctoritate fungimur, sicut et vos hoc facientes propter questum vestrum. Et in sessionibus publicis et privatis coram omnibus sexus utriusque dictam sectam damnatam Luterianam spargit, seminat, approbat in damnacionem simplices inducendo; extimans iniuriam personalem iuxta statuta et sanctiones et se offerens [1]) expurgaturum; quantum ad officium est, deffert officio; in presencia dicti Valentini negantis narrata.. et profitentis se esse filium obediencie s. Romane ecclesie, quam profitetur et profiteri vult neque contradicit sacramentis creditque sacramenta, prout ecclesia credit et sui progenitores; insuper allegantis dominos se habere Cristianos et inter quos ipse degit, neque per dnum vicecapitaneum toleretur, immo puniretur, neque se Luterum nosse aut eius codices legisse asserit, legere et adherere sibi denegat; insuper singulis annis ut verus Cristianus se sacramentis ecclesiasticis procurat confessionemque coram proprio pastore dno preposito facit, quem ut pastor, ut creditur, [si] in aliquo errantem sentiret, eundem non toleraret [2]), immo officio deferret. Quantum est ad verba iocalia, fatetur in contubernio cum sibi intelligentibus aliqua proferre non ex animo, sed causa collacionis. Quantum est ad personam religiosi Stanislai, sibi respondere non vult tanquam private persone et ab ordine vagabundo, sed si et in quantum litteras a suo superiori haberet, sibi responderet, sed ex officio citatus officio paret tanquam filius obediencie. Et ibidem dictus Valentinus petivit exequutorem ad citandum dictum dnum Stanislaum, ut de his in proposicione contentis ex eius suggestione factis contra eundem probaret; [dno Stanislao] replicante, quod ipse est bene conservatus nec est vagus et quod de consensu et nomine dni prepositi facit. Et dominus.. decrevit partibus intenciones suas probandas.. et.. mandavit dno Stanislao probare contenta in proposicione infra unum mensem..

A. 1531, Iulii 5, in consistorio.

852. (Acta offic. V). In causa honor. dni Nicolai plebani in Vydrzyn, plebanus.. contra nobilem Andream Raczynski verbo proposuit, quomodo f. V ipso die ss. Petri et Pauli apostol. plebano equitante de civitate in domum et certas res pro ecclesie ducente, que erant comparate in Wratislavia cum aliis rebus, dictus nobilis Andreas sedens cum patre in curru eundem plebanum investigans dixit: Vade volocius; plebano respondente: Statim domine; et iussit famulo suo de via currum movere alias descendere. Qui nobilis de curru descendens dixit plebano: quare non equitas vilissime? cui plebanus: Ecce habetis viam planam, ite in nomine Domini. Et [nobilis] increpans eundem cepit in currum ictus facere gladio evaginato et secare pulvinaria et alia in curru existencia et famulum suum aurigam et equos percutere; qui plebanus metu perculsus reverti

[1]) Cod. offerente. [2]) Cod. tolleretur.

in civitatem voluit, quem nobilis insequutus est et cepit eum per tunicam et manus hincinde trahere dicens: Percuciam te vilissime latro; plebano dicente: In quo deliqui contra vos, rogo, detis michi pacem; et eo recepto reduxit ad currum et cepit eicere de curru lamina et alia pro ecclesia comparata, que et fregit et destruxit et alia perdita [sunt] cum ceteris in curru existentibus. Et eo ascendente in currum dedit fugam, ne eum interimeret, petens eum incidisse in canonem ob violentam manuum iniectionem.. iniuriam existimans ad X marcas.. In presencia ex adverso nobilis Andree Raczynski petentis terminum deliberandi ad quindenam, cui datur..

A. 1531, Augusti 28, in consistorio.

853. (Acta offic. V). Nobilis Stanislaus Zamosczki citato honor. dno Iohanne in Vyevyecz plebano proposuit contra eundem, quia ipse contra canones sanctos et statuta provincialia a.suis subditis extrahit ab introductione mulierum post partum in ecclesiam per I grossum, eciam si sit et non obstante hoc, quod sibi porrigitur per panem, tortam sive gallum, petendo eundem a talibus cohiberi; in presencia plebani allegantis istam consuetudinem servari et quod sui antecessores ista recipiebant, et similiter plebanus se circa consuetudinem conservari [petivit]. Et dominus.. recepit sibi ad Rmum dnum, an ista sit consuetudo servanda vel non etc. Item [nobilis] contra eundem proposuit, quod pecunias ecclesie ad se recepit et servat dimisitque legata testamentaliter pro ecclesia pro sua voluntate, quantum quid voluerit alicui, et ecclesia indiget reformacione; in presencia plebani confitentis se habere pecunias ecclesie V marcas, et alie sunt in debitis. Et dominus inherendo statutis provincialibus ac consuetudini in diocesi tente [1]) decernit: quantum (s) ipse plebanus pecunias non habuerit, sed eligantur vitrici cistaque habeatur ecclesie, ad quam plebanus unam clavem et vitrici similiter per clavem habeant cum consensuque plebani edificent ac racionem per annum toti parochie faciant sub censuris.

A. 1531, Octobris 27, in consistorio.

854. (Acta offic. V). Honor. Iacobus in Lagewnyky plebanus contra laboriosum Iohannem Lythna cmethonem in Lagewnyky proposuit petivitque eundem sentencias excommunicacionis.. incidisse declarari pro eo, quia ipse frumenta post suum agrum absque scitu et voluntate ac decimacione plebani de campo recepit et in suum horreum conduxit neque sibi a II annis de eadem respondit neque conducere in suo curru vult valoris IV marcarum, petens eundem ad solucionem compelli; in presencia dicti Iohannis Lythna confitentis plebanum ad decimandum non admisisse neque admittere velle, dicentis, quod eidem fideliter remansit et quod non tenetur ad conductionem suo curru proprio ex eo, licet sit laicus, tamen nobilitatem emit, volens gaudere privilegio nobilium, quam decimam pecora depasta sunt in campo. Et dominus.. deliberatus in quindenam suam voluntatem pronunciabit..

855. (Ibidem). In causa honor. Iacobi plebani in Lagewnyky contra nobiles Andream et Mathiam fratres germanos heredes in Lagewnyky, plebanus citatis

[1]) Cod. in dicit tenta.

eisdem nobilibus ad videndum eosdem declarari ob non paricionem monitorii contra eosdem de consistorio Vyelunensi emanati, ne absque scitu et voluntate dicti plebani seu eius visoris ad conductionem frumentorum procederent, immo eundem ad secum decimandum vocarent, qui frivole et temere non attenta monicione absque eius scitu dicta frumenta receperunt eique plebano, quidquid voluerunt, remanserunt in locis vilioribus et non in toto metentes frumenta per unum stadium, et quidquid messuerunt, hoc idem ad sua horrea conduxerunt, petens eosdem sibi in X marcis annorum duorum condemnari; in presentia dictorum nobilium dicencium se nolle subicere ad hoc, ut plebanus cum eisdem intersit decimacioni, sed neque hoc perferre volencium, ut ex integro fruges meterent, sed quidquid metere possent, hoc idem statim in horreum conducunt conducereque volunt, non obstante statuto provinciali, sed gaudere volencium privilegio suorum antecessorum, petentium se ab instancia absolvi et plebanum.. frumenta per eos plebano in campo derelicta ad recipiendum compelli. Et dominus.. inherendo statuto provinciali attentoque, quod ipsi nobiles prius ante messem fuerint moniti, ne absque plebano frumenta de campo moverent, ipsis contrarium facientibus decrevit plebano iuramentum super valore dicte decime, quod prestabit in quindenam, quo prestito dominus.. decernet decernenda.

A. 1531, Novembris 3, in consistorio.

856. (Acta . offic. V).. Vener. dni Stanislaus Lovyensky decanus et Nicolaus custos et canonicus Vyelunensis facto et celebrato capitulo cum vicariis perpetuis ecclesie eiusdem in domo dictorum vicariorum super excessibus et querelis per laicos et scolares contra eosdem factis et propositis, cognito de plano, quomodo honor. Stanislaus de Brzeznycza post multas ac paternas admoniciones per dnum decanum, ut a suis nephariis actibus et excessibus cessaret desisteretque, sit admonitus, [tamen] desistere noluit, nuper vero nocte preterita post agapam per Gromaczky civem Vyelunensem pro presbiteris factam de nocte profunda ipse Stanislaus cum Mathia Draczek in domo Hączel cum laicis bibendo contendebant, dictus Stanislaus cum quodam sartore dimicabat et ad terram per dictum laicum prostratus turpiter et deiectus est in praesencia multorum laicorum de tanta levitate gaudencium; dnus decanus attendendo priores excessus per dictum Stanislaum commissos et ipsi paterne indulsos, ultra eosdem non ferens et de periculo et scandalo pertimescens, eidem licenciam dedit, ut infra I mensem pro ipsa sua vicaria commutationem faciat et querat sub privacione eiusdem vicarie; ubi in continenti per dnum Albertum de Buk vicarium est monitus, ut decreto pareat. Dnus vero Officialis de speciali mandato Rmi.. dni Mathie D. g. Archiepi Gnezn. omnibus vicariis inhibuit, ut amodo tabernas non visitent et clausuram ad domum suam seu portam habeant, que Domus nunquam clauditur et ita mulieribus suspectis, bibulis similiter et laicis tutus est accessus, neque in domo sua propinent et ut gwarras et clamores publicos non admittant et ut in ecclesia diligentes sint eaque, pro quibus sunt moniti, exequantur, dictoque Mathie Drążek sub pena III marcarum inhibuit, ut amodo et deinceps cum Lythvana muliere, ad quam est capillatus per laicos, et Vaschynova et aliis suspectis mulieribus pacem habeat et ut neque ipse ad eas neque ipse ad eum visitent; similiter et aliis vicariis dominus inhibuit sub penis eisdem.

A. 1531, Decembris 3, in consistorio.

857. (Acta offic. V). Nobilis Iohannes Pyvo scolaris Vyelunensis citato honor. dno Mathia Drązek vicario Vyelunensi, contra eum verbo proposuit, quomodo dictus dnus Mathias ante I septimanam postposito Dei timore infra divina officia in ecclesia Vyelunensi dictum Iohannem Pyvo acriter capillavit et percussit, ita quod chorus siluit, existimans iniuriam ad XXX marcas, quod si negatum fuerit, probare intendit..

858. (Acta offic. V) Honor. Nicolaus in Wydrzyn plebanus.. contra nobilem Thomam Zbyrchowsky tenutarium bonorum in Dambrova verbo proposuit, quomodo ante duos annos citra vel ultra dum idem plebanus per quandam Dorotheam Haydanowa focariam suam in domo sua plebanali fuit spoliatus, que sibi marcas XXIII furtive recepit et discessit, quam idem plebanus investigando insecutus est in Dambrova eamque prevenit et scitum ad curiam dedit, dno Thoma Zbyrchowsky a domo absente, quam familia eius recepit in curiam et mancipavit; in crastino idem plebanus ad dictam Dorotheam mancipatam venit admonendo, ut sibi pecunias restitueret; cui dixit: habeo pecunias michi per Hedvigim datas, sed quantum est, nescio. Quod dnus plebanus audiens ad dnum Zbyrchowsky ivit eique retulit; ipse tandem dnus Zbyrchowsky veniens iussit pecunias dare Philipo suo factori, quas[1]) et numeravit invenitque gr. XXXII½; quibus numeratis mandavit econtra mulieri dare. Iterum idem plebanus in crastino die veniens mulierem de pecuniis admonuit; que dixit, quod dnus Zbyrchowsky eas[2]) ab ea recepit; petens eandem per dnum Zbyrchowsky sibi restitui, presumens de maiori summa, prout a sua familia audivit, quam eciam idem dnus Zbyrchowsky ab ea recepit; in presencia ex adverso honor. Bartholomei procuratoris dicti dni Zbyrchowsky respondentis, quod in absencia sua familia eius ad petita dni plebani in Vydrzyn hanc mulierem detinuit, veniente dno Zbyrchowsky et increpante familiam suam, quod sine scitu suo captivaverunt eam, voluit eam dare ad arcem Vyelunensem, quia dnus plebanus dicebat esse sibi culpabilem, crimen furti obiciendo et eam pro fure asserendo, quod videlicet sibi furto recepisset XX marcas pecuniarum cum aliis rebus citra vel ultra, et ideo voluit eam castro Vyelunensi offerre tanquam furem, ut instigaret contra eam; dnus plebanus videndo et audiendo, quod huic mulieri agebatur pro pena capitis ex eius instigacione, peciit dnum Zbyrchowsky, ut eam dimitteret et in manus eius illam traderet; dnus Zbyrchowsky simpliciter noluit eam dimittere, ne haberet vexacionem a castro; dnus plebanus accessit dnum decanum, petens ab eo litteras promotoriales ad eundem dominum, ut eam dimittat, et dnus Zbyrchowsky ad petita dni decani eam dimisit et plebanus eam recepit in possessionem suam cum omnibus rebus circa eam habitis et insuper cirographo manus sue obligavit se dnum Zbyrchowsky ab omnibus impedimentis occasione dicte detencionis eundem defendere et tueri, quem cirographum ad acta in vim intencionis sue produxit, petens[3]) se ab instancia absolvi. Et dominus in octava deliberatus voluntatem suam pronunciabit. Tenor litterarum: Domine meus, dnus plebanus Vydrzynensis narravit famulam suam profugam, que ei dampna intulit, apud vos detineri, equum censeo servam domino suo profugam reddendum, pro quo et oro; ipse sciet, quid cum suo tali servo

[1]) Cod. quam. [2]) Cod. eam. [3]) Cod. petentis.

facturus erit rogatus. Bene valeat Dnatio Vestra. Ex Vyelun f. IV ante Pentecostes *(d. 12 Maii)* 1529. Lovyensky decanus susscripsit.

Ego Nicolaus plebanus in Vydrzyn presentibus recognosco et me obligo generosum dnum Thomam Zbyrchowsky pro detencione mulieris ab omnibus impedimentis tum a castrensi officio et inscripcionem facere ad acta spiritualia et eundem eliberare pro ista muliere famula dicta Dorothea Haydanova ab officio castrensi vel si ad aliquod ius tractus fuerit, eundem indemnem reddere, anno, die ut supra, Nicolaus manu susscripsit.



X. ACTA IUDICII ECCLESIASTICI CALISSIENSIS.[1]

A. 1470, Ianuarii 24, in consistorio.

859. (Acta offic. III. A).. Ingeniosus Benedictus rector scole de Kalynowa verbo proposuit contra laboriosos Stanislaum Krol et Stanislaum Barzyczka, quomodo die dominica ipso [d. s.] Agnetis virginis prefatus Stanislaus Krol celebrans baptismalia pro amicis suis etiam invitavit et presbiteros, post quos prefatus magister scole intravit non petitus; saturati et inebriati prefati presbiteri compulerunt scolares cantare diversas canciones latinas et polonicas; hospes domus cum amicis non valentes sufferre cantacionem irruentes in scolares ipsos percutientes, prefatus minister ecclesie tactus molestia de suis scolaribus cepit eos defendere et tueri, prefatus hospes exasperatus contra eundem ministrum cepit eum capilare, percutere et finaliter dedit pugno ad os usque ad effluxum sanguinis, quam infamiam, molestacionem et vulneracionem existimat sibi ad X marcas. Ex adverso prefati laboriosi ad respondendum acceperunt per quindenam.

A. 1470, Octobris 31, in consistorio.

860. (Acta offic. III. A.).. Prout restabat terminus honor. Nicolao Grodzeleczsky cum nobili Nicolao de Vyrzchoslaw super reproduccione testamenti pro V marcis, dominus viso testamento nondum confirmato per Rmum dnum Archiepum et eciam quod legacio tangit ius terrestre, remisit eos ad eundem Rmum dnum octava die.. post felicem ingressum in Iwanovicze..

A. 1471, Ianuarii 24, in consistorio.

861. (Acta offic. III. A.). Honor. Iohannes plebanus de Sovyna.. verbo proposuit contra laboriosum Derslaum scoltetum de Sovyna, quomodo de anno presenti citra vel ultra festum [s.] Martini coram nonnullis personis fidedignis audebat me pastorem suum in distraccionem gregis mei defamare, quomodo ignoraret

[1]) Podajemy tutaj uzupełnienie materyału pomieszczonego w Tomie II niniejszego wydawnictwa (str. 899–932) na podstawie świeżo odszukanych rękopisów.

missam legere et presertim vener. sacramentum Corporis Dominici ignoraret consecrare nec debita verba consecracionis super eodem sacramento debite exprimere, quam iniuriam et defamacionem idem plebanus existimat sibi ad XL flor. Ex adverso pars adversa negavit.. et actoı offert se probaturum ad quindenam. Ibidem idem plebanus proposuit contra eundem scoltetum, quomodo in preiudicium sui pastoratus inhibuit kmethonibus in Sovyna pascere sibi pecora et pecudes, que pecora pascebant aliis antecessoribus eius, et in ista prohibicione prefatus plebanus percepit dampnum in una vacca ad valorem I sexagene. Ex adverso pars adversa pro ista proposicione.. accepit terminum ad deliberandum ad quindenam. Ibidem prefatus plebanus proposuit contra eundem Derslaum, quomodo ortulano vicino cuiusdam plebani inhibuit sepire sepes, quem temporibus certis ammonuit prefatum scultetum iusticiam sibi ministrari ab eodem ortulano, ipse vero pertinacia sua induratus in vilipendium persone plebani nec ipsam ministravit et magis sepire inhibuit, propter quod prefatus plebanus dampna incurrit in bonis ad extimacionem II marcarum per bigennium; et pars adversa confessata est, quam actor petivit in petitis condempnari.

862. (Ibidem). In causa honor. Iacobi viceplebani de Kalinowa cum provido Simone de Sthaw.. prefatus Iacobus reconvenit prefatum Simonem in suis factis per honor. Albertum prebendarium in Iwanovycze et fecit relacionem, ibique honor. Iacobus proposuit contra prefatum Simonem, quomodo idem de annis tribus iam elapsis fuit exactor denarii s. Petri et ultra morem et consuetudinem ecclesie in Kalinowa non fecit rationem de uno fertone; pro secundo, dum idem Simon esset minister ecclesie, quandam ymaginem a monstrantia deperdidit aut fecit, quo voluit, in valore VIII gr.; pro tertio idem Simon, dum esset eciam minister eiusdem ecclesie, visitans quoddam hospicium inhonestum pro sua honestate et complacentia per totum tempus yemis in eodem hospicio consumebat lumina cerea et ecclesiastica, quod damnum prefatus Iacobus commendarius et provisor eiusdem ecclesie existimat sibi et eidem ecclesie ad I fertonem. Ex adverso pro primo et tercio pars negavit.. pro secundo confitetur.. Et dominus reservavit interlocutoriam ad deliberandum..

A. 1471, Iunii 13 in consistorio.

863. (Acta offic. III. A.).. Religiosus Bartholomeus ordinis s. Augustini.. verbo proposuit contra Michaelem rectorem scole, quomodo de anno presenti et in die [s.] Katherine dum in Skarbymyrzycze idem religiosus esset pro festo b. Katherine et inter collacionem, dum colloquebantur de statu ecclesiarum et regimine, prefatus Michael heretica pravitate infectus dixit: nullas ymagines fieri debere et collocari in ecclesiis nisi Crucifixi; religioso Bartholomeo hoc impugnante et dicente, quod male hoc diceret et presertim coram secularibus ibi assidentibus. Prefatus Michael hoc non sufferens ipsum religiosum de scola confuse et violenter fere in medio noctis expulit et expressit, nondum faciens sua voluntate sed diabolo suadente manus crudeles cum suis scolasticis et scabellum in eum iniecit, capillans, verberans, percuciens usque [ad] prostracionem et conculcacionem; quam expulsionem nocturnam existimat sibi singulatim ad XII marcas. Ex adverso pars ad utramque proposicionem negavit..

A. 1471, Iunii 27, in consistorio.

864. (Acta offic. III. A.).. Inter religiosum Bartholomeum.. et discretum Michaelem ministrum in Scarbimyria super articulis in proposicione contentis ad omnes articulos per arbitros inter eos facta est concordia tali modo: Quicquid prefatus Michael dixit contra fidem, revocavit cum salutari penitencia suscepta; pro secundo articulo videlicet inieccione manuum in prefatum religiosum Bartholomeum venia facta Michael prefato Bartholomeo in presenti dèt I fertonem, secundum pro festo Michaelis.. quem debet reponere apud Albertum dictum Habdanek civem in Calisch; quam sentenciam arbitralem si pars aliqua non teneret.. luet penam C flor. Hungaricalium.

A. 1471, Iunii 22, in consistorio.

865. (Acta offic. III. A.). Discretus Nicolaus vicarius in Calinowa.. verbo proposuit, quomodo de anno quarto mutue libros scolasticos videlicet loycalia, doctrinale Alexandri, exercicium Donati, Hebreardum mutuavit in spem restitucionis circumspecto Stephano civi in Sthaw, quos usque modo sibi non restituit, in valore VII fertonum, petit igitur eum compelli ad restitucionem dictorum librorum aut valorem persolvi.

866. (Ibidem). Oblata proposicione seu libello in scriptis dominus proposicionem acticari admisit, que sequitur: Coram vobis vener. dno Iohanne de Zaxin cancellario Gneznensi canonico et officiali Calischiensi ego Albertus prebendarius in Iwanovycze.. nomine procuratorio propono.. contra.. honor. Mathiam dictum Vyząbork altaristam in Pizdri vicariumque in Oczyąsz nunc vero morantem in Skarnyvycze, nescitur propter [quod] de Oczyąsz plenaria solucione recepta a medio anno recedentem, immo ut presumitur adhuc ante festum Conversionis s. Pauli apost., propter quam recessionem.. eiusdem non advertentem peto.. decerni processus contra ipsum monicionis tanquam profugum, ut ad locum pristinum redeat, vel saltim loco sui presbiterum ydoneum ad hoc servicium disponat, pro negligenciis autem et aliis certis iniuriis et extimationibus ego procurator lacius dabo in scriptis ad quindenam. Ex adverso prefato Mathia comparente ac ad proposicionem respondente: inprimis confessus est plenariam solucionem recepisse se, solarium sui servicii pro presenti anno, pro quo fuit paratus servire ecclesie ibidem in Oczyąsz iuxta ritum et consuetudinem vicariorum a festo Iacobi in festum Iacobi, sed prohibente eo per minas ad metum mortis necnon de facto in perceptis dampnis sue substancie et rerum, videlicet equi in valore VI flor. necnon II cussinorum, lantiaminum, interularum et pulvinari (s) cum media marca et provisionem comestibilium et potabilium per missionem complicum nobilium et sociorum missorum a nobili Andrea Wolschthynsky necnon a crebra persecucione et minarum imposicione per nobilem Paulum Kwyathkowsky, minantes et mandantes sibi recedere, alioquin si non recedas, vita privaberis, dicentes et allegantes: ex quo dyabolus plebanum recepit, accipiant duo demones vicarium, et insuper prefatus nobilis Wolszthynsky dixit: quamdiu vivo, iuro per Sancta Sanctorum, iste Iohannes plebanus modernus peramplius non debet morari nec visitare istam capellam nec quisquam presbiterorum ipsius nomine sive in commenda sive in vicaria et abinde mandavit Petro procuratori suo palis hostia ecclesie configere, alias *zabycz koly*, ad nullum Christifidelium ibi visitandum amplius in

dehonestacionem Dei omnipotentis et vilipendium ipsius plebani, et ego amodo ubi potui vitam conservare, conservo; et volente eodem plebano ulterius in causa procedere dictus Mathias vicarius propter gravamen expensarum, fatigarum ac aliorum dampnorum petivit se ad Rmum remitti in eadem causa, et dominus remisit.

A. 1471, Augusti..[1], in consistorio.

867. (Acta offic. III. A.). Constituti personaliter nobilis et providus Iohannes Domarathsky, factor bonorum in Lubodzyze magnifici dni Hyncza de Rogow castellani Sandomiriensis, et Nicolaus Maczowsky civis Calischiensis sponte recognoverunt, quia arendaverunt et convenerunt omnes et singulos fructus simul cum proventibus capelle in Thlokynya tantum in temporalibus circa honor. dnum Stanislaum de Corzenyno plebanum eiusdem capelle in Thlokynya et altaristam in Kalisch pro C½ flor. Hungar. puri auri.. per tres annos confirmando priorem contractum coram dno Ubislao pridem factum, ita tamen, quod ipsi dni arendatores eidem dno Stanislao debent.. pro quolibet trium quartalium anni X flor. predictorum trium annorum, pro ultimo vero quartali anni annorum predictorum trium, quot erunt, pro quolibet festo Pentecostes XX flor. dabunt et solvere tenebuntur eorum quilibet sub censuris ecclesiasticis. Item servos eiusdem ecclesie ipse plebanus regere et ordinare debet. Item ipsi arendatores eisdem servitoribus[2]) ecclesie et presertim vicario solarium in villa Thlokynya per kmethones per plebanum conscriptos eisdem arendatoribus in regestro proventuum assignatos dabunt de quolibet manso eorum kmethonum nominatim conscriptorum tres mensuras siliginis, tres mensuras avene pro quolibet anno predictorum trium annorum. Item ministro ecclesie missalia in Vynary et in Zawady dabunt. Item in festis Nativitatis et Resurrectionis Dni, Pentecostes, Assumpcionis Marie et Dedicationis ecclesie, pro solempnitatibus eisdem plebano veniente, ipsi arendatores expensas dare tenebuntur. Item dno archidiacono seu ipsius vicesgerenti idem dni arendatores debent providere de expensis. Item contribucionem quamcunque ipse plebanus solvere et dare tenetur. Item quando Deus permitteret dampnum per grandines notabiles in frumentis crescentibus, hoc dampnum erit plebani. Item transeuntibus ad expedicionem bellicam notabilem, si aliquod dampnum evenerit notabile, hoc eciam dampnum plebani Item si aliquid predicti arendatores sumptuosum in domo plebani edificaverint pecuniis sumptuosis, hoc [erit] super pecunias plebani, et debent edificare cum scitu et consilio eius. Item prefati arendatores in tribus annis, dum et quando tempus arende finalis advenerit, extunc ita debent et tenebuntur seminare in omnibus agris hyemalibus et estivalibus, videlicet triticum, sigilinis (s), pisum, avenam, ordeum et scrutum et eadem frumenta in canapis crescentia pro festo s. Margarethe ultimi anni predictorum trium annorum ipsi plebano resignare dicti arendatores debent. Item alios agros videlicet *ugor* arare predicti arendatores et disponere pro segetibus anni quarti tenebuntur et fimos educere ad agros eosdem *ugor*. Item sepenominati arendatores pratum, quod est in fluvio Svyadrevy, exfalcastrare et fenum congregare et conducere in dotem plebani [debent].

---

[1]) Data brzmi: 1471 ante Bartholomei — bliżej więc dnia oznaczyć nie można.

[2]) Cod. aservitoribus.

Item excepit ipse plebanus Michaelem Gawlowsky, qui sedet in libero manso in Zawady, qui debet esse liber et arendatores consenserunt. Item equum, qui dicitur *Cosczolek*, plebanus pro equitando vicario ad infirmos cum sacra communione remansit, cui arendatores de pabulis providebunt. Item offertorium et oblaciones de ecclesia provenientes plebanus pro se excepit. Item prefatis arendatoribus plebanus unam capetam de ovibus vendidit et mediam pro fratre germano remansit. Item hanc arendam tenere debent prefatus Iohannes Domarthsky et providus Nicolaus Maczyewsky, ab una, et Stanislaus Kozyemynsky, ab altera partibus, sub pena CCC flor. et censuris ecclesiasticis.

A. 1472, Februarii 11, in consistorio.

868. (Acta offic. III. A.).. Nobiles Albertus de Borzyslavycze unacum consorte sua Anna sponte recognoverunt se recepisse X marcas in florenis ad censum annuum, videlicet XVI scotorum, ab honor. dno Iohachim, vicario perpetuo et altarista in ecclesia collegiata s. Marie in Calisch, quasquidem X marcas cum prefato censu a die presenti usque dum venient de bello, ad quod se modo preparant, prefati nobilis Albertus et Anna submiserunt se sub censuris ecclesiasticis reformare et resignare more terrestri eidem dno Iohachim, quamprimum venerint de bello alias ad I mensem, coram magnif. dno capitaneo Siradiensi easdem X marcas. Quemquidem censum prefati nobiles obligaverunt se.. per presentes in suis bonis videlicet in Borzyslavycze et Bukovyna dare et solvere singulis annis prefato Iohachim pro festo b. Martini tamdiu, quousque prefatas X marcas cum censibus reedimerint.. eciam sub censuris ecclesiasticis, et eundem dnum Iohachim debent ducere in Siradiam propriis impensis et econverso pro expedicione litere in Kalisch..

A. 1473, Iunii 16, in consistorio.

869. (Acta offic. III. A.). Nobilis Iacobus Strosky.. verbo proposuit contra nobilem Beatam Kobylynska, quomodo prefatus nobilis Iacobus in bonam fidem ingenioso et nobili Iohanni dicto Krovyczsky filio prefate Beate dedit in mutuum IV marcas numeri Polonicalis et latorum medientum, quam fidem fregit in solvendo; demum prefatus Iacobus descendens in domum dicte Beate volens rehabere suas IV marcas et malignans verbis contumeliosis, imperiosis dicto Iohanni, ipsa Beata mater sua dixit: Bone amice et nobilis, noli inferre tanta vituperia et improperia filio meo, ego me pono evictricem pro filio meo in solvendo tuum mutuum IV marcarum; petit igitur dictus nobilis Iacobus dictam nobilem Beatam tanquam principalem evictricem compelli ad solvendum. Quod si negatum fuerit, ipse Iacobus intendit probare de eviccione..

A. 1473, Septembris 20, in consistorio.

870. (Acta offic. III. A.). In causa artificiosi Iohannis carnificis de Sthaw et contra honor. dnum Paulum vicarium de ibidem, Mathias Molaris procurator dicti Iohannis.. proposuit.. adversus fatum dnum Paulum pro eo, quod quadam die anno preterito circa festum Pentecostes.. infamavit eum, asserens ipsum fore furem, pro quibus expurgari debet.. fratribus artificii carnificum et de facto labor sibi et fraternitas sunt sibi postposita usque ad expurgacionem huiusce-

[illegible] extrahens de vaginis eum occide-re [illegible] ipsum occidisset animo [illegible] . Item procurator estimat in [illegible] XXI flor. Hungaricales, petens eundem ad revocacionem verbo-rum [illegible] compelli..

A. 1476 Marcii 23 in consistorio.

871. (Acta offic. III. A.).. Constituti personaliter in presencia vener. dni Iacobi de [illegible] Crusvicensis et officialis Calyschiensis, generosi et nobiles [illegible] de Ma[illegible] [illegible]thka, Moyses de Slyvnyky, Hector de Skar-szewo et Iohannes de Pothkocze.. pro vener. et religioso dno Stanislao preposito conventuali in Cosczyol ordinis s. Benedicti manu coniuncta.. fideiusserunt eun-dem dnum prepositum statuere coram Rmo.. dno Iacobo D. g. sancte ecclesie Gnezn. archiepo et primate ad parendum iuri ad instanciam Srmi principis.. dni Kazimiri D. g. Regis Polonie . sub pena M flor. Hungar. puri auri.. stipulatione solemni interveniente..

A. 1476, Novembris 27, in consistorio.

872. (Acta offic. III. A.).. Dnus noster Rmus inter honor. Georgium ple-banum in Blaschky, ex una, et nobiles Iohannem de Krczonovicze, Stanislaum Kosthrzewsky et Iohannem Smaschewsky, partibus ab altera, decrevit inter ipsas partes, quod dnus plebanus in Blaschky decimas prediales dictorum dominorum debet conducere equis et curru proprio in domum et dotem plebanalem; similiter decimas kmethonum, et non ipsi kmethones debent conducere, si autem plebanus non conduxerit, extunc apud quemlibet predictorum nobilium sua decima debet locari et kmethonum in ipsa hereditate; item sepulturam ecclesiasticam si alii no-biles ab antiquo solvere solebant, extunc et ipsi solvere tenebuntur et tenentur; presentibus ibidem vener. dno Benedicto de Lopyenno canonico Gnezn., Iohanne de Przesyeca notario, testibus ad premissa.

A. 1477, Novembris 28, in consistorio.

873. (Acta offic. III. A.).. Venientes generosi et nobiles dni Iohannes Sa-pyensky tribunus Poznan. et Iohannes Myelzynsky burgrabius Gnezn. et Hector de Skarschewo.. amicabiles compositores.. talem recognoverunt de parcium in-frascriptarum esse inter easdem concordiam, videlicet inter nobilem Vincentium Chwallibogowsky ac honor. Petrum Strzezewsky, notarium magnifici dni Mathie de Bnyn palatini Poznan. et capitanei Maioris Polonie generalis, ex una, et ve-ner. ac religiosum dnum Stanislaum prepositum in Cosczyol pro et super obclu-sione et seracione eiusdem prepositi in castro Calisiensi per ipsum burgra-bium ex mandato regio super ipso preposito facta recognoverunt: inprimis omnes discordias.. prefati dni arbitri sopiverunt inter easdem partes.. et preser-tim ipse dnus Stanislaus prepositus renunciavit perpetue nullo tremore, horre-scencia aut timore in eadem causa ipsi[s] faciendis.. Item prefatus nobilis Vin-cencius Chwalibogowski homines et subditos prefati dni prepositi de Cosczyol ab omnibus penis.. quas quavis occasione erga magnificum dnum Mathiam de Bnyn.. luerunt, sumptibus propriis.. debet.. eliberare ab ipso dno palatino et indemnes

reddere; que omnia.. predicte partes sub vadio C flor. debent tenere.. et nullomodo irritare. Quod vadium ipse partes et quelibet earum presens in se sponte assumserunt et concordiam prefatam approbaverunt et emologaverunt. Presentibus ibidem honor. et nobilibus Nicolao Oleszky, Iohanne Bythkowski notariis publicis, Stanislao Schlomowski, Nicolao Colaczkowski, testibus ad premissa.

A. 1490, Iunii 7, in consistorio.

874. (Acta offic. dissol.).. Orta inter honor. et nobilem Mathiam in Cobylino plebanum, ex una, et Nicolaum Goreczski, parte ex altera, [controversia], tandem ipse partes voto unanimi inter se composuerunt de et super decimis post agros scultetorum, quos ipse nobilis Goreczski pro se colit, taliter quod ipse partes inter se super ipsis decimis supersedere debent usque ad sentenciam diffinitivam per R. Mtem et suum consilium super solucione ipsarum decimarum scultetorum et liberorum regalium, si R. Mtas decernet suis scultetis et liberis in districtu Calisiensi residentibus decimare dno Rmo Archiepo Gnezn. et capitulo, extunc ipse nobilis Nicolaus Goreczki, qui mansos scoltetorum, ac Albertus et Martinus de Rombyechowo colunt (s), solucioni decimarum de ipsorum mansis subiacebunt ipsi Mathie in Cobylyno plebano et suis legitimis successoribus in futurum existentibus sub censuris..

A. 1497, Aprilis 7, in consistorio.

875. (Acta offic. dissol.). In causa commissaria ordinaria honor. Mathie in Cobylino actoris, ab una, et nobilis Nicolai Goreczsky de Gorka, ex altera partibus, Mathias plebanus.. verbo proposuit, quomodo ipse nobilis colit IV mansos sculteciales in villa Gorka, de quibus mansis decimam manipularem diversi seminis campestrem solvere aut alia emolumenta seu redditus more aliorum kmethonum recusat nec solvit, petens eum compelli ad solucionem; nobili Goreczski presente dicente et allegante, quod non tenetur ad solucionem ipsius decime manipularis, solum ad missalia, que ex antiquo sui antecessores solvebant sculteti, prout et ipse solvit, petens se conservari iuxta consuetudinem antiquam diu tentam; plebano presente, replicante.. quod dnus Rmus nuper defunctus scultetos mense archiepiscopalis villarum, ex quibus solvunt villani frumenta aut fertones, exposcebat habere decimam aut aliquid loco decime more rusticorum ville, cuius vestigia insequendo ipse plebanus tendit ad decimas. Et dominus habita informacione dni Rmi faciet, quod erit iusticie..

A. 1497, Maii 5, in consistorio.

876. (Acta offic. dissol.). Causas tam commissarias quam ordinarias omnium et singulorum nobilium propter imminentem expeditionem bellicam contra sevissimos Cristiani nomini hostes perfidos Thurcas dominus suspendit ad felicem eorum reditum die inferius annotata.

A. 1531, Octobris 30, in consistorio.

877. (Acta offic. VIII).. Vener. dnus Stanislaus baccalarius iuris, canonicus Calissiensis, commissarius a sede ordinaria deputatus recognovit, quia occasione scabellorum in ecclesia parochiali in Shymanowicze inter patronos litem diri-

mendo, videlicet inter nobiles Mathiam Shymanowski principalem patronum, ex una, et Mathiam Thomyczsky eciam heredem et patronum in Shymanovicze, parte ad altera, divisionem scabellorum in ecclesia parochiali in dicta Shymanovicze fecit, it(videlicet, quod domina dicti Mathie Shymanowsk habebit in dextra patte ecclesie scabellum suum et uxor dni Mathie Thomiczski in sinistra parte penes parietem, ad quod scabellum suum dna Thomiczska ambulabit a tergo scabelli dne Shymanowska; quam divisionem et composicionem dicte partes et eorum successores debent perpetuo tenere et observare sub vadio C marcarum et censurarum ecclesiasticarum. Presentibus ibidem honor. et discretis dnis Iacobo Myenyschowski plebano, Paulo commendario et Iohanne ministro ecclesie in Shymanovicze, testibus.



XI. ACTA IUDICII ECCLESIASTICI GEDANENSIS.

A. 1467, Novembris 27, in consistorio.

878. (Acta offic. I). In causa denunciacionis dni Iohannis Stargardt plebani in Reychenberg, qui fuit denunciatus per Iohannem Wideleri procuratorem fiscalem dno Officiali eodem die et hora, quo supra:

Quomodo idem dnus Iohannes pridem exivit de ecclesia sua cum sacramento Eucaristie ad communicandum quendam parochianum suum, prout fecit, quo facto antequam intravit ecclesiam suam cum sacramento, intravit tabernam publicam placitando, conversando cum laycis ibidem existentibus per plura tempora et sacramentum cum sacco et stola suspendit ad parietem, demum dimittendo ibidem sacramentum per noctem, mane autem facto reversus fuit ad tabernam et tunc primo reportavit sacramentum ad ecclesiam suam viceversa. Interrogatus post denunciacionem suam idem dnus Iohannes Stargart, an premissa sunt facta et perpetrata per eum, ut denunciatus extitit, qui respondit per modum excusacionis, quomodo premissa ita essent vera et esse perpetrata.. Dominus suspendit eum ab officio et ingressu ecclesie et remisit eum ad dnum ordinarium ad prox. feriam IV^tam post Andree.

A. 1469, Februarii 11, in consistorio.

879. (Acta offic. I).. Dnus Georgius officialis terre Pomeranensis revocavit iniuriam ad animum, quam sibi intulit dnus Iohannes Sukow plebanus in Gitlandt verbis iniuriosis, quia dixit in presencia fidedignorum in consistorio suo, quod ipse dnus Officialis instaret non solum pro bonis suis temporalibus, sed eciam pro honore suo, quam iniuriam dominus revocavit ad animum et estimavit eam ad mille ducatos, quia pocius amisisset tantam pecuniam, quam talem infamiam; dixit namque materna lingua: *Ir stet myr nicht alleyne noch meynem gutte, sunder ouch noch meyner ere,* nescitur quo spiritu ductus sine omni causa, culpa aut racione ipsum movente ad hec. Quare dnus Officialis subicit se correccioni dni sui Ordinarii et tocius capituli Wladislav., si in aliquo ipsum oppressit vel via facti aut iure, de quo idem dnus Officialis sollempniter protestatus est.. Idem dnus Officialis mandavit michi ex officio, ut ad proximam [diem] iuridicam

post octavas Pasce citarem eundem dnum Iohannem, ut compareat.. coram dno Ordinario aut eius capitulo ad [1]) respondendum super obiciendis et protestatus est dnus Officialis de dampnis, expensis et interesse exinde emergentibus.. Item dnus Officialis innovavit sentenciam excommunicacionis, qua prius innodatus fuit dictus dnus Iohannes ex parte ecclesie in Gitlandt de bonis impignoratis, prout habetur in actis prioribus.

A. 1470, Maii 5, in consistorio.

880. (Acta offic. I). In causa torneamentorum quondam Ambrosii Rosentael et Petri Schultzen.

Idem Ambrosius et Petrus Scholtze animo et intencione, prout apparuit, alterum defraudandi et decipiendi pridem inter sese convenerunt huiusmodi sub tenore: Ambrosius vendidit illi Petro X lastas salis, quamlibet lastam pro XI marcis, quas illi effectualiter persolvere deberet, cum ipse Ambrosius in foro publico oppidi predicti Gdanensis hastiluderet seu hasta ludum more vulgari committeret, et demum idem Ambrosius, prout Altissimo placuit nulla solutione aut rei traditione quoquomodo facta diem suum clausit extremum; et post mortem dicti principalis providus Meynardus vam Steyne, licet huiusmodi contractus de iure sit illicitus, nescitur quo spiritu ductus aut quali machinacione circumventus, heredibus dicti principalis irrequisitis huiusmodi X lastas salis eidem Petro de facto tradidit atque presentavit, in quibus heredes dicti principalis quamplurimum dinoscuntur pregravati etc. Ideoque heredes eiusdem defuncti ipsorum nominibus Iohannes Veltborg, Nicolaus Cunraed sororii honor. viri dni et mgri Gregorii Rosentael plebani ss. Petri et Pauli apost. oppidi prefati, unici heredes et successores universales dicti Ambrosii defuncti, omne ius, quod illis quoquomodo competere dinoscitur et pertinere seu spectare videatur, coniunctim aut divisim, cedunt.. dicto mgro Gregorio ipsorum in hac parte college, nichil iuris in eisdem quovismodo retinentes..

Anno 1471, Martii 8, in Mylobandz in curia episcopali.

881. (Acta offic. I). Ego Martinus de Ludberg in terra Dobrinensi vicarius de s. Iohanne in Gdancz quondam plebanus in Kolno submitto et obligo me per praesentem cyrographum manu mea propria scriptum, quod abinde et in posterum volo statum presbiteralem et vitam meam honeste servare nec aliquibus sporciciis scandalis seu dissolucionibus intendere; quod si postea repertus fuero premissis intendere, extunc prout exnunc volo michi esse dyocesim Wladislaviensem interdictam et prohibitam et nunquam in ea amplius demorari..

882. (Ibidem).. Rmus.. dnus Iacobus Epus Wladislav. differencias.. atque odia inter religiosos priorem et alios fratres necnon abbatissam et alias sorores sanctimoniales monasterii s. Brigide, ex una, et mulieres penitentes de Gdansk occasione loci eisdem penitentibus dati et assignati et quomodocunque alias subortis et suscitatis sopiendo.. et mortificando concordiamque et sentenciam arbitralem per suam Ptem inter eos latam et promulgatam interpretando in omnibus suis clausulis.. et punctis.. approbavit.. decernens easdem feminas

[1]) Cod. et.

penitentes includendas fore et includi ac eas sub clausura manere debere infra hinc ad decursum unius anni, quam clausuram ipse dnus Epus [sibi] et suis successoribus reservavit. Item ultra predictam sentenciam idem dnus Epus decrevit, quod abbatissa cum sororibus et priore de s. Brigitta in Gdansk mulieribus penitentibus solvant singulis annis L marcas de villa Klepnyk, residuo toto remanente pro abbatissa, virginibus et priore in eadem Klepnyk. Item decrevit, ut edificium capelle seu ecclesie dicte penitentes seu viri probi ad id devocionem habentes continuent et perficiant; interim vero in ecclesia monasterii predicti divina officia audiant et ecclesiastica percipient sacramenta. Item decrevit, quod oblaciones, que erunt et fient in altari in capella seu ecclesia dictarum penitencium, debent converti pro monasterio Sanctimonialium virginum, que vero ponentur ad truncum seu ad tabulam, debent converti pro fabrica capelle et domus penitencium..

A. 1471, Augusti 2, in consistorio.

883. (Acta offic. I).. Dominus ex officio inhibuit et mandavit dno Gregorio novitio aut ordinem petenti s. Salvatoris, ne quoquomodo sermones aut missas in diocesi Wladislaviensi et in dicto monasterio ordinis s. Salvatoris celebraret aut legeret sub excommunicacionis pena, donec et quousque ordinacionem suam docuerit formatis suis mediantibus, ubi et quando ordinatus fuerit et litteras receptoriales desuper obtineret; ex adverso idem dnus Gregorius furore accensus, mandatis dni Officialis non obstantibus, respondit et dixit in contemptum et despectum iurisdictionis dni ordinarii, quomodo crastina die sequente cappam induere et ibidem intrare religionem vellet et predicare, quia dnus noster Smus Papa indulgentias datas a Dno Ihesu Christo non posset revocare, — que verba bis repetiit, et quod nichil fecisset aut faceret ex proprio proposito, sed ex instinctu fratrum illorum in monasterio eodem existencium, qui eum taliter informassent, quod Episcopus solum illas indulgencias in ieiunio publicandas revocasset et non illas in festo Vincula Petri..

A. 1472, Ianuarii 24, in consistorio.

884. (Acta offic. I).. Mgr. Sigismundus medicus publice in iudicio fuit protestatus, quomodo prefatus mgr. Nicolaus [predicator ecclesie b. Marie Virginis] eum hereticum appellasset et adhuc appellaret, quod probaturum se submitteret certis articulis tempore suo iudicialiter offerendis..

A. 1472, Martii 12, in consistorio.

885. (Acta offic. I).. Honor. vir dnus Hermanus in Stubbelow plebanus, ex una, ac virtuosa dna Anna famula sua pro tempore, partibus ex altera, que partes prenominate perpendentes transitorium cursum huius vite mortalis nichil aliud invenientes, nisi eventum mortis, qui dubius est, nichil eo cercius; idcirco prevenire volentes extremum iudicium et iram, vindictam Salvatoris dni nostri Ihesu Christi, volentes igitur de bonis et rebus a Deo eis collatis ac mutuo invicem contractis ante eius obitum disponere, eatenus prenominatus dnus Hermanus regraciando prefate Anne famule sue de beneficiis et serviciis sibi successive inpensis, et ne ipsa post eius mortem haberet deflere labores circa ipsum

habitos, quasi deperditos et mutuum sibi comprestatum tanquam derelictum et ammissum, sponte et libere.. recognovit.. prefate Anne famule sue racione amicabilis mutui se teneri et obligari in C marcis levibus monete Prutheaicalis, quas C marcas idem dnus Hermanus in numerata pecunia manualiter ab ea Anna recepisset, sublevavisset, quas viceversa post desolationem dotis et curie ecclesie sue tempore gwerrarum, que proch dolor viguerunt in terris Prussie, pro restauratione dotis et curie, emptione animalium, videlicet equorum, vaccarum et frumentorum ad seminandum exposuit, unde ab illo tempore ab illa pecunia et eius proventu usque in presens vitam duxit cum familia; ne ergo ipsa post eius obitum, si ipsum premori contingat, huiusmodi debitum perdat et amittat sine restitucione et solucione, quamobrem successorem suum post eius obitum, qui ei canonico titulo in ecclesia sua succedit, necnon omnia bona sua mobilia videlicet vaccas, equos, porcos, vestimenta, clenodia, libros aliasque res suas in vim solutionis huiusmodi debiti pretacti, ut ex illis bonis prenarratis possit et valeat exigere.. via iuris municipalis aut spiritualis ante omnes alios creditores huiusmodi debitum, ipotecavit et obligavit. Parimodo prenominata Anna considerans et perpendens gratitudinem prefati dni Hermani, quam erga eam gessit tempore illo, quod fuit in servitio suo et in dies gerit erga eam, ne censeatur ingrata, eatenus prenominatum dnum Hermanum, si ipsam premori contingat.. instituit in eius heredem universalem in omnibus et singulis suis bonis per eam tempore obitus sui derelinquendis preterquam in specialibus bonis pro testamento donandis ad pias causas sive personas sibi gratas cum consensu tamen dicti dni Hermani, resignando sibi omne ius in huiusmodi bonis..

A. 1472, Martii 13, in consistorio.

886. (Acta offic. I).. Citatus dnus Georgius vicarius sive capellanus ad s. Iacobum ad proposita.. dne Agnethe vom Holcze respondendo dixit et negative in toto respondit eam unquam in specie nominasse aut alias verbis iniuriosis defamasse et maledixisse, quare pendet terminus ad inducendum testes in prox. feriam II post Dom. Iudica ad perhibendum testimonium veritati; deinde prefatus dnus Georgius proposuit et dixit, quomodo quidam in curia hospitalis s. Iacobi publice dixerunt dnum Symonem plebanum s. Katerine iudicem et commissarium die noctuque adulterium cum legitimis mulieribus commisisse et in dies committere necnon dnum Officialem fore malivolum et improbum ob hanc causam, quoniam temporibus elapsis in causis suis minime iusticiam debitam sibi ministrasset.. quam iniuriam dnus commissarius suo et dni Officialis nominibus ad animum revocavit et ad II millia flor. Hungar. extimavit..

A. 1472, Aprilis 17, in consistorio.

887. (Acta offic. I). Citatus dnus Paulus Stange comparuit, ad proposita et narrata dnorum Symonis de s. Katherina et mgri Gregorii ad s. Petrum plebanorum respondit et publice fatebatur in iudicio, ita dixisse et verba huiusmodi in effectu prorupisse in congregacione omnium presbiterorum fraternitatis b. Marie virginis vulgariter: *Ir von Sunte Katherinen undt von Sunte Peter ir machet undir uns alle gehey,* de quo prefati dni plebani publice fuerunt protestati, secundario vero dixit et expresse recognovit illud fore malum, quod fe-

cisset, quod ipsi de s. Iohanne et b. Maria virgine sinodo interfuerunt, alii autem domi manserunt.. deinde terciario recognovit illa verba non suffusus aut ebrius, sed sobrie dixisse..

A. 1472, Iunii 26, in consistorio.

888. (Acta offic. I). In causa iniuriarum dnorum Bernhardi rectoris scolarium ad s. Iohannem et Nicolai plebani ad s. Maternum.

..Comparuerunt prenominati Bernardus et Nicolaus presbiteri in termino eis perprius prefixo.. allegantes, quomodo differentia illa inter eos suborta.. amicabiliter esset per consensum ipsorum concordata.. citra tamen preiudicium dni Officialis et procuratorum partium.. Quare dnus quemlibet eorum in penam unius tunne cervisie condemnavit..

A. 1476, Novembris 26, in consistorio.

889. (Acta offic. I). In causa Anne Plomansz et Mathie Gleser sponsaliorum. ..Dnus Officialis.. sententiam suam interlocutoriam inter ipsas partes.. pronunciavit in hec verba: Christi nomine invocato.. sponsalia, inter eandem Annam et Mathiam prefatum noctis tempore hora congrua (s) loco inhonesto clandestine contra interdictum ecclesie iniciata, fore et esse nulla et propter incontinentiam ipsius Anne, que depost sepevicibus fornicationem cum diversis personis commisit, in nichilum esse deducta et resoluta, eatenus predicta pretensa sponsalia cassamus, annullamus nulliusque roboris esse decernimus, eandem Annam propterea ab impeticione ipsius Mathie absolvendam fore et absolvimus, expensas litis hincinde factas ex causa compensamus, necnon prefatum Mathiam et quandam Dorotheam Blomnaw, que copulavit eos absque proclamacione in derisionem vener. sacramenti matrimonii, ad solvendum nobis per quemlibet ipsorum penam sinodalem condempnamus infra VIII dies..

A. 1487, Februarii 10, in consistorio.

890. (Acta offic. I). Recognitio et obligatio certi debiti dni Martini plebani in Brust Mgro Georgio Gerth aurifabro maioris oppidi Gdanczk facta.

..Dnus Martinus recognovit se in mutuum pro reparandis edificiis in dote plebanali dicte ecclesie in Brust tempore gwerrarum adustis, corruptis et destructis LX marcas leves currentis pagamenti a famoso dicto Georgio Gerth recepisse, quasquidem LX marcas ad terminos infrascriptos, Domino annuente, videlicet pro festo Pentecostes prox. instante XV marcas leves et sic deinceps singulis annis pro festo Pentecostes XV marcas leves usque ad plenariam et integram dictarum LX marcarum solutionem se sub ecclesiasticis censuris dicto Georgio Gerth vel suis legitimis heredibus exolvere summisit..

A. 1477, Maii 6, in consistorio.

891. (Acta offic. I). ..Comparuit.. dnus Ieszke et proposuit, quomodo pridem fuerit tractus in causa per suum adversarium et accusatus de vulneracione, in quo termino, ut filius obediencie comparuit, adversarius vero eius minime, sed ivit ad iudicem secularem ibidem secundario accusando; iudex vero secularis cum eodem adversario suo accesserunt burggravium sinistre eum infor-

mando; qui transmisit familiarem civitatis cum accusatore ad dnum Officialem et proposuit: qualiter admiraretur, quare dnus Officialis se intromisisset de causa sanguinis et huius vulneracionis; quare dnus Officialis pro excusacione sua prefatum burggravium accessit eum de veritate informando. Altero vero die comparuit iudex secularis cum accusatore ipsius presbiteri et ecce exoneravit de examine huius cause accusacionis et remisit accusatorem ad dnum Officialem ob iudicium, [quod] per eum inchoatum fuerat, iusticiam suam ulterius contra suum adversarium prosequendo. Dnus vero Officialis nolens precipitare in hac causa ultra consuetum ordinem iuris, eundem accusatorem expectavit ad prosequendum litem adversario suo motam. Tandem iustitia id suadente cum maior est contumacia actoris quam rei, eundem dnum Iohannem, ex quo adversarius defecit in prosecucione cause sue, ab instantia iudicii sui absolvit, adversarium in expensis litis condemnando..

A. 1477, Iunii 25, in consistorio.

892. (Acta offic. I). In causa incantationis inter Annam et Petrum Haneman vertente.

..Dicta Anna querulose proposuit, quomodo ipse Petrus scultetus et uxor eius imposuissent sibi incantantionem et augurium. divinationem, maleficium, nigromantiam et quod esset divinatrix, et dixit se nunquam talia aut similia perpetrasse et petiit sibi prefigi terminum ad probandum contra eam, in presentia ipsius sculteti negantis eidem nunquam imposuisse tale nephas. Ex adverso vero ipsa Anna exhibuit se probaturam et duos testes induxit fidedignos ..Dominus.. admissis testibus iuratis partibus hincinde statuit terminum ad audiendum.. prefatorum testium dicta publicare..

A. 1479, Februarii 3, in consistorio.

893. (Acta offic. I). Recognitio dni Clementis vlodarii ex registro quodam Episcopi.. Dnus Clemens produxit certum registrum antiquum, in quo continetur, de quibus villis plebanus in Prangow recipiet episcopales decimas: ville sunt hec: Warcz de XXVII mansis, Minor Buskow $^1/_2$ marca, Liszow [de] XII mansis, Domach de VI mansis et Waricz de XXVI mansis, de illis prenominatis villis debet recipere plebanus in Prangow decimas episcopales ad mensam dni Rmi Epi Wladislaviensis spectantes et non de aliis villis ad parochiam Prangow pertinentes quidquam debet recipere de iuribus episcopalibus..

894. (Ibidem).. Commendabilis dnus Clemens de presenti tempore videlicet iam octava die elapsa, dum ipse fuerat in angulo Puczensi seu districtu, discretum dnum Rusticum plebanum de Lebicze vinctum cum compedibus in Gedanum ad curiam dni Simonis ecclesie s. Katherine plebani et officialis adduxit, quem dnum Rusticum idem dnus vlodarius ob certos notorios excessus per ipsum perpetratos sic vellet apportare dno Rmo Epo Wladislaviensi. Predictus dnus vlodarius multiplicibus precibus per dnos Nicolaum prepositum in Szukow, Martinum et Iacobum capellanos dni Officialis rogatus, ut eidem dno Rustico omnes excessus indulgeret, misericordia dnus vlodarius motus sibi indulsit salva penitentia sibi per confessorem iniungenda, quam tenere omnibus diebus vite

sue stipulata manu promisit et amodo promisit obedire mandatis superiorum precipue dni Rmi dni Sbignei eiusque successorum et suorum officialium..

A. 1480, Septembris 7, in consistorio.

895. (Acta offic. II). Concordia et reconciliacio Iohannis Bornholm et Katherine eius uxoris.. Super differentia extanti inter predictos Iohannem Bornholm et Katherinam eius uxorem de et super fornicacione sive adulterio commisso per dictum Iohannem Bornholm cum quadam Katherina leve muliere, in cuius consortio noctis tempore solus cum sola, nudus cum nuda per vigiles maioris oppidi custodiam gestantes fuit deprehensus et ob id cum predicta muliere incarceratus fueratque propterea premissorum occasione ab uxore sua accusatus de adulterio commisso, petens divortium inter ipsos coniuges sententialiter celebrare; dnus Officialis considerans destruccionem coniugum, si abinvicem separarentur et infamiam ipsius Iohannis perpendens pietate motus more pii iudicis, cuius interest partes contendentes invicem amicabiliter concordare, concordavit partes supradictas in hunc, qui sequitur, modum: Primo idem Iohannes abiuravit concubinam suam, cum qua in legem coniugii peccavit promisitque sub pena periurii, quod de cetero non velit cum ea conversare, si fecerit contrarium, periurium incurrere velit; secundo promisit dno Officiali sub fide sacramentali, quod amplius uxorem suam in consorcio suo existentem non velit severe pertractare salva maritali correccione, insuper rogavit matrem uxoris sue ac uxorem suam de mandato dni Officialis, ut indulgerent sibi causa Dei de adulterio commisso cum concubina sua, que premissa mater et filia fecerunt et sibi pepercerunt. Deinde dnus Officialis coniuges antedictos concorditer, unanimiter univit et concordavit, mandans eis, ut deinceps ob reverentiam matrimonii sive sacramentalis dignitatis inter se pacem et caritatem haberent adiciens penam, quod coniuges predicti premissa decetero deberent inviolabiliter invicem observare: mulier in obediencia viri sui, Iohannes in caritate et dileccione uxoris sue, ut plena invicem gaudeant pacifica et quieta possessione sub penis divorcii et excommunicacionis late sentencie in partem deliquentem per ipsum in posterum ferende. Ad premissa inviolabiliter observanda mode premisso idem Iohannes Bornholm fideiussores posuit: Martinum Heremdorff et Laurentium Bartram cives maioris oppidi Gdanensis, qui fideiubebant nomine suo, quod enarrata idem Iohannes debet sub penis premissis firmiter observare. Postremo mater uxoris dicti Iohannis filie sue casu, quo ipsam ante obitum filie sue de hoc seculo migrare contingat, elegit ..tutores filie sue ad recipiendum et sublevandum divisionem hereditatis sue a marito suo ad filiam eius devolvendam, ne maritus eius bona dereliquenda per ipsam, spectantia ad filiam inutiliter consumat, prout fecit [circa] patrimonium suum et dotem uxoris ob culpam suam sine consensu ipsorum tutorum, videlicet Nicolaum Grebin et Petrum Steffen cives dicti oppidi Gdanensis; si autem idem Iohannes in matrimonio se bene rexerit et laboribus mutuis se coniuges invicem educaverint, tunc tutores prenominati debent ipsis coniugibus moderate sustentationem ex illis bonis derelinquendis erogare et distribuere, ut habeant victum, vestitum et sustentationem. Presentibus honor. dnis Iacobo Kloncz capellano ecclesie s. Katherine et Iohanne Witstock presbiteris Wladislav. diocesis testibus ad premissa vocatis.

A. 1481, Ianuarii 26, in consistorio.

896. (Acta offic. II). Summissio Iohannis Cristberger clerici Maguntinensis diocesis.. Ekarius Beeme confessus fuit, quod iam tribus annis elapsis recepit cum suis bonis, de Lipczk sibi missis, unum vas cum libris impressis, et illud vas cum libris predictus Iohannes Cristberger dixit ad se pertinere petiitque illud ab eodem Eckario sibi restitui, quod Eckarius paratus fuit restituere habita cautione. Predictus Iohannes cavit de indempnitate nunquam predictum Eckarium [inquietare] occasione vasis dicti cum libris, ab omnibus impetitoribus futuris temporibus vult [ipsum] conservare indempnem, [ad] quod idem Iohannes tanquam principalis et dnus Mathias ad s. Mariam plebanus ut fideiussor se summiserunt..

A. 1483, Iunii 28, in consistorio.

897. (Acta offic. II). In causa incantationis inter Iohannem Ludeke ex una et Elizabeth uxorem legitimam Bartholomei Gronynk partibus ab altera vertente sententia dni Officialis:

..Idem Iohannes Ludeke dictam Elizabeth super incantatione iudicialiter impetiit et quod eum et uxorem ipsius ac eius pecora quereret incantare et materia fetida liquida et sicca incantasset, que omnia in termino sibi ad hoc statuto probare contra eam se obtulit; adveniente termino probacionis, minime aliquid probavit et penitus in probacione defecit; extunc dnus Officialis dictam Elizabeth uxorem Bartholomei Gronynk ab instantia supradicti Iohannis Ludeke ratione illius incantationis absolvit, imponendo sibi desuper perpetuum silentium, ut eidem decetero dictam incantationis causam novissime sibi motam non obiceret seu moveret iudicialiter seu extraiudicialiter.. sub pena C marcarum argenti, partem ecclesie s. Katherine et partem parti lese exolvendarum, ac carceris et excommunicationis penis casu, quo dictam summam solvere de bonis suis non haberet, indicendo hincinde partibus pacem observandam sub pena X marcarum bone monete dno Officiali exolvenda..

A. 1484, Iulii 16, in consistorio.

898. (Acta offic. II). Protestatio vener. dni Nicolai Swichtenberch ecclesie parochialis s. Iohannis rectoris nomine fraternitatis b. Marie Virginis in Gdanczk in et contra quendam dnum Martinum Szwecza presbiterum in causa criminali et iniuriarum facta:

..Idem vener. dnus Nicolaus verba iniuriosa et contumeliosa per dictum Martinum in et contra sacerdotes fratres tocius fraternitatis b. Virginis inverecunde et clamorose per plateam publice coram honestis personis prolata dicendo videlicet: quia nullus esset presbiter in oppido Gdanczk dignus sacerdotio sive dignitate sacerdotali, sed omnes essent meretricarii, fornicatores et adulteri nullo dempto, nomine omnium fratrum ad animum revocavit, estimans illam iniuriam ad M flor. Hungar., quos mallet perdere quam talem iniuriam unacum fratribus dicte fraternitatis, si se substantia ipsorum ad hoc extenderet, sustinuisse et sustinere. Insuper protestabatur idem vener dnus Nicolaus velle huiusmodi causam contra dictum dnum Martinum suis locis et temporibus congruis prosequi..

A. 1488, Martii 13, in consistorio.

899. (Acta offic. II). Pronuntiatio arbitramenti in causa Iohannis Borneholm et Katherine conthoralis sue per ipsorum compromissarios videlicet Benedictum aurifabrum et Hinricum Bornehollem pro parte Iohannis Bornehollem et Petrum Brathfisch et Iacobum Ewerth pro parte Katherine iudicialiter facta:

..In hunc [modum] laudum et concordiam super divisione et partione dictorum Iohannis et Katherine bonorum et rerum mobilium et immobilium super divortio inter ipsos celebrando dicti compromissarii pronunciaverunt et edixerunt: in primis quod ipsa Katherina uxor ipsius debet sine aliqua contradiccione mariti eius omnes vestes sive vestimenta sua tam lynthea, quam pannea cum omnibus ornamentis aureis et argenteis ante omnem singularum rerum divisionem ac bonorum simpliciter et in toto recipere et retinere; similiter et ipse Iohannes maritus eius omnia vestimenta sua tam linea quam pannea in recompensam debet recipere et retinere; item de omnibus et singulis caldariis, vasis et amforis stanneis et ollis ereis et aliis de huiusmodi metallis domus utensilibus ipsa Katerina debet recipere tres partes, ipse vero Iohannes debet recipere et habere unam partem tantum videlicet quartam; item XL marcas, quas ipse Iohannes tenetur pro hastiludiis et torneamentis, vult et debet solus per se ipsum solvere, in cuius recompensam illas XXVI marcas, quas ipse Iohannes de strue lignorum, quam vendidit, sublevavit et recepit, debet retinere et sibi soli reservare; item omnia debita queque ipse Iohannes se solo fecit, uxore sua Katherina nesciente, ipse Iohannes per se solum debet solvere et ipsa Katherina debita, que se sola fecit viro ignorante per se solam debet solvere, sed omnia debita, que simul fecerunt et in usum ipsorum amborum devenerunt, insimul debent solvere; item et omnia debita amborum emologanda equaliter debent partiri et dividere; item omnia alia bona indivisa adhuc debent dividere et bona alienata per utrasque partes debent reportare; item domum infra VII dies quantum ad eius valorem debent statuere et ponere et estimare, deinde ad alios octo dies ipsa Katherina debet eligere ad domum vel ad pecunias eiusdem..

A. 1488, Maii 2, in consistorio.

900. (Acta offic.) II). Obligatio Iohannis Kysse et Pauli Budden iudicialiter facta.. Dictus Iohannes Kyssze sub penis camere et perpetui carceris se obligavit, quod nunquam velit memorari neque ad animum revocare neque per se vel alium occulte vel manifeste cuiuscunque iuris adminiculo contra circumspectos et famosos viros et dnos proconsules et consules maioris oppidi Gdanensis necnon familiares eorundem, qui eum propter sua demerita captivarunt et vulneraverunt et ipsum propter suos notabiles excessus fecerunt incarcerare, propter quos eciam ipsum merito iure civili debuissent decapitasse, prout idem Iohannes Kyssze spontanee et non coactus confessus fuit; sed domini de consulatu propter petitionem dni Officialis ipsum eciam sine omni pena quitum et liberum dno Officiali remiserunt, qui tunc Iohannes Kyssze huic obligationi voluntarie se submisit ac perpetuo hanc obligationem gratam et ratam promisit servare. Insuper dnus Officialis sub pena C marcarum, L pro structura muri civitatis maioris oppidi Gdanensis et L dno Officiali a parte concordiam non servanti

irremissibiliter solvendarum necnon et maioris excommunicationis prefato Iohanni Kyssze mandavit, quod decetero non debet uxorem Pauli Budden neque matrem eiusdem uxoris alloqui neque cum ipsis collationari occulte vel manifeste per se vel alium eis conversari, neque eandem uxorem a viro suo distrahere sive ammovere neque ipsum Paulum Budden sive eius coadiutores premissorum occasione, videlicet quod fecerit ipsum incarcerare, verbo vel facto.. inquietare.. Deinceps dnus Officialis eisdem sub penis dicto Paulo Budden precepit, quod ipsum Iohannem Kysszen neque per se vel alium.. premissorum occasione debet.. molestare..

A. 1490, Ianuarii 9 in consistorio.

901. (Acta offic. II). In causa Olivensi, alias concordia Olivensis dni abbatis conventusque eius, ex una, et Cristiani Molner, Steffani Lucht, Nicolai Wngghersyn, Thome Vnrowe, Augustini Slaytow et dni Martini presbiteri necnon Schippernickel absentis infirmi, partibus ex altera, proconsulum, consulum et oppidanorum oppidi Puczk:

..Constituti dicti consul, proconsules, oppidani et dnus Martinus Pistor non vi metu etc. inducti se dicentes esse censuris ecclesiasticis sive apostolicis ad instantiam dni Abbatis conventusque eius, ut dicitur, propter iniustam adhesionem cuidam palatino Nicolao Wolkow occasione spoliationis sive damni ipsis per dictum palatinum illati innodatos, quam tamen adhesionem ipsos minime fecisse asseruerunt, sed tantummodo ob contumaciam eos innodatos esse confessi sunt humiliterque dno Abbati se presentaverunt eique supplicaverunt ex eo, quod innocentes existunt, in absolutionem dictarum censurarum ut consentiret. Dictus vero dnus Abbas et presertim ad petitionem dni prepositi Wladislaviensis Georgii Buck proconsulis Gdanensis in absolutionem tantum dictarum partium et non dni palatini Nicolai infrascriptis adiectis conditionibus servatis consensit interrogationibusque dni Abbatis et responsis ipsarum partium previis et habitis, interrogavitque dnus Abbas, an in ipsorum esset memoria, quod rustici in Oxina consueverunt [recipere] signum lanceale a capitaneo Pucensi sive palatino pro captura anguillarum in parvo mari, et si fuerunt per alios capitaneos preterquam dictum palatinum Nicolaum Wolkow propter capturam dictarum angwillarum rustici Oxine pignorati? Responderunt ipsos se hoc nunquam audivisse preterquam per dictum palatinum. Item interrogabantur dicte partes, an aliquando consensum consilium vel inductionem dederunt palatino[1]) ad huiusmodi damnum ipsis patribus per palatinum illatum? Responderunt: hoc se nunquam fecisse etc. Item interrogabantur casu, quo vero et iusto testimonio ipsi vincerentur, ipso palatino informationem, consensum vel inductionem ad huiusmodi iniurias ipsis illatis prestitisse, quod velint in pari stare delicto et expensarum refusione cum ipso palatino? Responderunt: libentius hoc ipsos velle facere adiecta conditione ista, quod nunquam sub penis infrascriptis decetero capitaneum ipsi seu sui successores contra emunitatem iura, privilegia seu bona eorum sinistre debent informare, inducere vel ipsimet per se vel alium facere vel agere, et quod nunquam [propter] istam excommunicationem, quam

[1]) Cod. palatinum.

propter contumaciam incurrerunt, vel quamcunque aliam occasionem, contra dictum monesterium vel vindictam contra ipsas personas in Puczk, quas suspectas habuerunt per se vel alias submissas personas exnunc et in futurum quovis modo volunt facere vel inferre ipsis; ad que omnes et unusquisque ipsorum sub penis camere apostol. et reintrusionis in pristinas censuras se obligaverunt et obligavit servare; insuper quod volunt quiete et libere dimittere omnes homines ipsorum..

A. 1491, Ianuarii 3, in consistorio.

902. (Acta offic. II). ..Comparuit in iudicio personaliter quidam Iohannes van Kampen de Amstherdam non vi, metu.. seductus, sed spontanea.. deliberatione prehabita.. cognovit se iusto debito obligari ..famoso viro Iohanni Banholt civi Gdanensi LXXXVI marcas et IV scotos, quas pro eo per V continuos annos in studio Culmensi in expensis et amictu eius exposuit, quas LXXXVI marcas se obligavit iudicialiter dicto Iohanni de promptioribus bonis suis mobilibus et immobilibus sine contradictione.. restituere..

A. 1496, Martii 28, in consistorio.

903. (Acta offic. II). Productio testis per Paulum Stolle.. Dictus Paulus produxit providum virum Andream Crotkoper laicum Wladislav. diocesis nauclerum virum LX annorum.. super articulum istum, quod ipse Paulus iam fere transactis XIIII [annis] duxit in uxorem quandam mulierem in uxorem legitimam, ut dicebatur, relictam Michaelis Rodeman naucleri, qui Michael, ut verius asseritur, adhuc agit vitam et vivens in Termode in Selandia iam futuro tempore XV diebus ante Michaelis transiendis V annis a multis visus est, quibus et summe notus idem Michael fuit.. Qui [testis] respondit esse factum iam fere transactis V annis, qui complentur iam proximo festo s. Michaelis Archangeli quindenis diebus ante ipsum, quod navigio venit in Selandiam et in portum maris, cui villa est annexa Termode dicta, ubi constitutus fuit in taberna, tunc idem Michael Rodeman interrogavit eundem testem, unde esset? Qui respondit: de Gdano; qui testis nichil pluris fuit ipsi Michaeli, quia [erat] cum piratis de Francia, et dixit se testis optime ipsum novisse, quia de Konungkesberch terre Prussie oriundus, et quod [nupsit] ipsam Annam mulierem nunc pro uxore prelibato Paulo adherentem, quam ipse Michael matrimonialiter per verba de presenti primo duxit in uxorem et ea dimissa in Gdano navigio abinde recessit cum marinariis et piratis Frangenis conversando et emolumentum suum querendo..

A. 1496, Aprilis 26, in consistorio.

904. (Acta offic. II). ..Dnus Ioachim Pranghe presbiter Caminensis diocesis ad presentiam dni Officialis Gdanensis et iudicis ex carceribus et clausuris ductus quiete et libere fuit, cui dominus dixit: dne Ioachim, quomodo hic intromissus fuistis? Qui respondit: vigilatores civitatis me in quadam domo publica taberna meretricis apprehenderunt perquirentes de statu meo, quibus tunc nichil respondere volui neque fatebar me presbiterum fore; qui tunc dixerunt: nobis commissum est ex eo, quod habemus inimicos capitales, qui nobis et nostre civitati minati sunt nos et eandem comburere, ut serio suis vigilare debemus

et talismodi tabernas publicas ad perscrutandum de talibus perquirere, quare dicatis nobis conditionem atque statum causarum vestrarum, quare hic et unde estis; qui responsum eis dare recusavit, sed malignabatur contra eos; qui tunc eundem Ioachim in nocte hora quasi XII ad custodiam dni Officialis sine quacunque lesione et percussione sanum duxerunt usque mane; et tunc ut supra ad iudicium presentatus comparuit. Et hec et talia de verbo ad verbum, prout supra iudicialiter confessus fuit adiecitque se in eternum non malignare.. contra consulatum aut violatores prefatos.. propter huiusmodi incarcerationem..

A. 1498, Ianuarii 16, in consistorio.

905. (Acta offic. II).. Dnus Iohannes Widstock procurator.. Elizabeth [Lucksche] reproduxit citationem executam quarto decreto et quarta dilatione, in qua citata quedam Elsze Olanesche ad perhibendum testimonium veritati in dicta causa matrimoniali, que ut pars producens asserebat, propter infirmitatem suam comparere non potuit; dnus vero Officialis, id petente procuratore dicto, mandavit notario huius cause scribe accedere dictam mulierem ab ea iuramentum recipiendo et ipsam examinando; rursum vero procurator dictus allegavit se adhuc habere plures testes, videlicet Iohannem Czeyne non in civitate Gdanensi manentem, petiitque ulteriorem dilationem et terminos plures dari ad producendum hunc testem, cum ipsum habere potuerint. Dnus vero Officialis ulteriorem dilationem noluit dare, cum non plures essent termini et dilationes ultra quartam dilationem ad producendum plures testes, neque parte adversa principali hoc consentiente altercationes vero hincinde desuper facte multe, idem dnus Officialis causam ipsam in eo statu, quo nunc est, ad Rmum.. dnum Creslaum D. g. Epum Wladislav. aut eius Officialem generalem apud ecclesiam Wladislav. disertissimum, apud et quam procuratores sunt iuris periti, in vero consistorio Gdanensi defectuosi ad iurisdictionem causam ipsam prosequendo [remisit] citarique mandavit hincinde partes adversas, videlicet Elizabet Lucksche, eius procuratores dnum Iohannem Widstock et alios ac Symonem Materne..

A. 1498, Augusti 3, in consistorio.

906. (Acta offic. II).. Constituti providi Iohannes Kreslink, Iohannes Lindeblat, Iohannes Hallant presentes personaliter suis et Thome Swarczewalt absentis nominibus provisores ecclesie s. Iohannis maioris oppidi Gdanensis receperunt realiter.. XLVIII marcas levis monete Prutenicalis a provido mgro Petro Ebwerhardi sartore pro IV marcis Prutenicalibus levis monete annui census faciendis, pro quibus IV marcis prelibati provisores iudicialiter se obligarunt pro se et suis successoribus tenere et conservare ac manu tenere, ut singulis annis futuris temporibus none sollempniter ipsa die Assumptionis Virginis gloriose in organis maioribus per chorum presentibus sacerdotibus ipsius ecclesie cum Assumptione imaginis ad hoc deputate per prefatum mgrum Petrum cum cantu »Regina celi« infra huiusmodi ascentionem (s) decantetur turibuloque per unum ex sacerdotibus et incensu interim turificetur; cuius eciam pretextu dicti provisores se obligaverunt publice et expresse pro Dominica immediate sequenti de sero facere unam collationem presbiteris, scholastico suisque collaboratoribus

et preposito, organiste et calcantibus cum una tonna cervisie, duabus bonis presottis et carnibus recentibus cum sale ex sale decoctis et sinapio recenti ac panibus conditis vulgariter *strutczel* in curia plebanali, ubi et dicti vitrici interesse cum dicto mgro Petro debent. Quod firmiter inviolabiliterque stipulatis manibus michi notario publico consistoriali infrascripto iudicialiter et recipienti dicti provisores pro se et suis successoribus promiserunt..

A. 1499, Aprilis 24, in consistorio.

907. (Acta offic. II).. Procurator et eo nomine dnus Petrus Slantke capituli ecclesie Wladislav. reproduxit citationem exequutam in et adversus nobiles..[1]) et verbo impetiit eos, quomodo invaserunt bona capituli ecclesie Wladislav. prope..[2]) in piscatura et hodierna die invaderent[3]), que bona spectarent[4]) ad dnos capitulares; ipsi vero nobiles satis verbis contumeliosis responderunt: ea bona esse ipsorum et nemini alteri admittere piscaturam; dnus autem Petrus dixit, quod deberent probare munimentis et privilegiis, si quid iuris in ipsis haberent; dixerunt: se non habere privilegia, sed genitores ipsorum ita servaverunt, et tandem altricantes dimissis verbis arripuerunt attingere dicti nobiles ad cultellos seu gladios, adeo eciam, licet nemo fuit lesus, ut dominus necesse habuit mittere pro familiaribus civitatis ad conpescendum eosdem nobiles; videns autem hoc dominus, quod in iudicio habere pacem non potuit, causam ipsam usque ad adventum dni nostri Rmi in Subkow aut Gdanum remisit..

A. 1500, Ianuarii 24, in consistorio.

908. (Acta offic. II). In causa dni Nicolai Clepper et Margarete noverce sue.. procurator dni Nicolai reproduxit monitorium debite executum, petens ob non responsionem partem adversam excommunicari. Ex adverso mgr. Arnoldus procurator allegans [dixit], quod non esset ita procedendum, sed stilus Romane Curie servandus deberetque primo et ante omnia pars sua vel ipse ter citari ad respondendum. Procurator dni Nicolai replicando dixit, quod iudex ex suo officio causa litis breviande possit assignare unum terminum peremptorium unico edicto pro tribus et quod hic in partibus esset sic consuetudo practicandi et ad longa tempora observatum, referens tunc se ad iura et ad interlocutoriam domini. Dominus vero de consensu procuratorum hincinde ad deliberandum statuit terminum ad primam pro ferenda interlocutoria..

A. 1500, Martii 20, in consistorio.

909. (Acta offic. II). Testamentum Margarete relicte Michaelis Barenfoet.. Dicta dna Margaretha volens cum Dei auxilio Curiam adire Romanam salutique anime sue de bonis sibi a Deo collatis [providere] testamentum suum casu, quo moreretur et non rediret, fecit, statuit et ordinavit in hunc, qui sequitur modum, non vi, dolo.. circumventa etc. asserens se habere DCC marcas super censu annuo, de quibus D marcas dedit et assignavit pro instituenda

---

[1]) Luka w oryginale. [2]) Luka w oryginale.
[3]) Cod. vaderent. [4]) Cod. expectarent.

una missa perpetua, quam institui affectabat et optabat in ecclesia s. Iohannis ac ad huiusmodi missam instituendam legavit calicem argenteum deauratum cum patena ponderis III marcarum citra aut supra; et ad huiusmodi suum testamentum exequendum deputavit.. suos legitimos.. exequutores.. spectabilem et providos viros Urbanum Ulrici scabinum Gdanensem et Bartholomeum Szengher absentes tanquam presentes, Iohannem Wegener presentem et onus execucionis huiusmodi in se sponte suscipientem. Cetera omnia et singula bona residua et permanentia hereditatis loco reliquit filie fratris sui Pauli Symonis videlicet Lucie, quam dicta Margareta ut legitimam suam heredem instituit, et casu, quo virgo dicta ultimum diem clauderet, salvum esse debeat aliud testamentum per eam hactenus factum..

A. 1500, Martii 26, in consistorio.

910. (Acta offic. II). In causa Margarete relicte Andree Libenawes testamentum.. Dicta Margareta comparuit intendens peregrinari et preterea anime sue saluti volens providere suum condidit testamentum in hunc, qui sequitur, modum: Reliquit omnia et singula bona sua nichil penitus excipiendo pauperibus in hospitali ad S. Spiritum casu, quo non rediret, si autem redierit, velit eisdem uti et frui, quoad vixerit et ad vitam suam; post mortem vero ipsius debent remanere apud dictos pauperes, renuncians omnibus iuris remediis etc. presertim beneficio Velegiano, de quo certificata fuerat..

A. 1500, Aprilis 3, in consistorio.

911. (Acta offic. II). Testamentum Dorothee Berckholcz.. Exposuit nobis iudicialiter dicta dna Dorothea, quomodo iterum esset profectura ad Curiam Romanam pro hoc sacro anno iubileo, nolens discedere intestata casu, quo eam mori contigerit in via, dixit se recepisse a discreto viro Arnoldo Lenszyngk mutuo VIII marcas leves Prutenicales, pro quibus dixerat se impignorasse eidem II tunicas.. et unum lectum et caldar cupreum de urnis duabus, eciam duos mantellos (s) blaveos; que omnia dictus Arnoldus vendere debet post obitum Dorothee et dictas marcas octo recipere, et si quid ultra dictas marcas octo supererit, debet distribui fratribus Minorum (s) et Carmelitarum pro monasteriis construendis. Insuper dicta domina asseruit se habere L marcas debitum occasione cuiusdam orti, qui quondam spectabat ad sororem ipsius nomine Hedwigim.. Quequidem L marce exolvi debent annuatim per V marcas, donec et quousque tota summa sit soluta per Iohannem dictum ortum inhabitantem: et prime V marce primo debent cedere post II annos, que tunc dari debent ad ecclesiam s. Catherine pro testamento dicte Hedwigis solvendo et secunde V marce fratribus Minoribus in suburbio Gdanensi antedictis; relique vero marce cum cederint suis annis et temporibus, debent dari per prefatum Arnoldum et quendam Hippolitum Ceppen ad s. Barbaram, V eciam [marce] ad s. Bartholomeum et alios, ubi videbitur expedire pro structuris ecclesiarum..

A. 1500, Maii 4, in consistorio.

912. (Acta offic. II). Testamentum Anne relicte Helwigis.. Dicta Anna volens peregrinari Curiam versus Romanam, nolens recedere intestata

suum testamentum seu ultimam voluntatem hoc modo, ut sequitur, fecit et ordinavit, quod quandam cistam, quam deposuit apud Paulum Voclis pro fideli custodia, debeant habere fratres Minores Gdanenses, in quaquidem cista dixit esse duo mantella feminis adaptata.. que omnia et singula et alia in dicta cista contenta unacum cista dictis fratribus legavit, casu quo eam redire non contigerit, asserebatque se voluntatem sororis sue videlicet Margarete Wegenersche ad hoc obtinuisse, que dixit, ut asseruit, quod possit dare bona sua, cui vellet, ipsa non curaret de bonis ipsius testatricis; sororem autem suam dixit morari in aggere..

A. 1500, Iunii 19, in consistorio.

913. (Acta offic. II). Conventio inter mgrum Hieronimum et Bernhardum Sneider de Zora.. Dictus Bernhardus iudicialiter constitutus recognovit et publice confitebatur.. ac promisit se velle servire, ut famulus fidelis domus servire tenetur, ad IV annos tribus annis ut familiares domus et apotece ac ea facere, que ad domus famulum spectant, ut discat ea, que apotecam concernunt, et his tribus annis annuatim habere debet IV marcas leves Prutenicales et quarto anno non ut scolaris et discipulus, sed ut mercenarius serviens debet habere VI marcas leves pro salario suo; quem contractum hincinde tam dnus mgr. Iheronimus, quam prefatus Bernhardus firmum et ratum stipulantibus manibus michi notario publico [servare] promiserunt et presertim prefatus Bernhardus fideliter in omnibus obedire se astrinxerat et serviturum pro temporibus suprascriptis..

A. 1500, Iulii 17, in consistorio.

914. (Acta offic. II). Testamentum Andree Schultenyn.. Dictus Andreas volens petere Curiam Romanam, ne tamen intestatus discederet casu, quo eum in itinere decedere contigerit, suum testamentum in hunc modum fecit.. Inprimis post commendationem anime sue Deo recognovit animo bene deliberato se esse obligatum LX marcas leves tutori suo Alberto Quandenbeck; insuper legavit avie sue Margarete Rorcknakesche C marcas leves, ad ecclesiam s. Barbare XXX marcas, ad s. Brigittam XX, ad s. Bartholomeum XX, fratribus Minoribus X marcas, ad s. Elizabeth pauperibus ad manus dividendas et porrigendas V marcas. Idem Andreas deputavit prefatum Albertum in meliori et laciori forma [in procuratorem] testamenti sui huiusmodi. Item ad Sanctum..[1]) X marcas, ad Omnes Angelos X marcas. Voluit demum idem testator, quod si annuente gratia divina de Curia Romana rediret et post reditum suum ad alia loca extranea negotiandum se conferret et extra loca nativa obiret, presens nichilominus suum ordinatum testamentum et legata illa pro anime sue salute facta in suo robore permanere debent..

A. 1500, Septembris 9, in consistorio.

915. (Acta offic. II). In causa Catherine virginis de Damechaw et Mathie Lenky.. Citatus erat dictus Mathias ad videndum absolvi dictam Catherinam, qui comparuit. Multis tandem intervenientibus altercationibus, dominus conside-

[1]) Luka w księdze konsystorskiej.

rans, quod dictus Mathias iuxta propriam confessionem nichil interesse habuit ad virginem, nisi quod petiisset matrem virginis super desponsatione filie, cui mater respondit: Cum veneritis et ego habebo amicos meos, quod tunc facere voluerint, fiet; quo adveniente, quia amici Catherine non aderant, nichil est attemptatum neque virgo verbo aut facto in huiusmodi matrimonium consensit, quod etiam actor ipse iudicialiter confitebatur, nichilominus pretendens consequi expensas propterea factas — virginem absolvit ab ulteriori impetitione et expensarum solutione, eo quod dictus actor non iussus sed sponte ad virginis matrem accessit sollicitans de matrimonio, virgine semper renuente; et quia virgo cum citatione non fuerat apprehensa per actorem pretereaque accusata fuit contumacia et excommunicata extitit, petiit absolutionem idcirco, quia parata fuit stare iuri, dominus absolvendum duxit et absolvit. Et insuper ob partium sevitias indixit pacem et presertim actori sub pena CCC florenorum Hungar. pro medietate Rmo dno nostro et altera pro parte pacem et tenente et servante, quod unus alterum non ledat aut offendat factis vel verbo..

A. 1500, Septembris 25, in consistorio.

916. (Acta offic. II). In causa dni plebani in Richenberg et Nicolai campanatoris.. Comparuit dnus Bartholomeus querulose proponens, quomodo die dominico missa summa incepta et cantata usque ad Ewangelium inclusive contione perfecta, dictus Nicolaus frivole ac temere negavit perficere dictum officium misse et quod deterius est, abstulit vinum et panem, ita quod misse residuum fuerat dimissum, unde in ecclesia in populo dissensionem, murmurationem seminavit. Quibus intellectis et quod ipsius servitium nonnisi missa peracta expiraverat, ex officio sibi incumbenti pro huiusmodi insolentiis et impedimentis in ecclesia factis excessuque scelerato perpetrato penam exegit ab eodem Nicolao X marcarum, quam infra alterum Dominicum diem debet exolvere sub pena excommunicationis, si secus fecerit, aut cum dno Officiali amicabiliter, quomodo poterit, componat. Dominus insuper indixit prefato Nicolao pacem sub pena XX flor. Hungar., ne dictum plebanum verbo defamet aut factis ledat seu quoquomodo offendat nec per se vel alias summissas personas, adiecta etiam pena carcerum..



XII. ACTA IUDICII ECCLESIASTICI CALISSIENSIS[1].

A. 1523, Februarii 11, in consistorio.

917. (Acta offic. VII. B.).. Nobiles et discreti Iohannes, Mathias et Sebestianus germani, filii olim nobilis Laurentii Noskowski, unacum Agnetha matre eorum recognoverunt publice per expressum, quia cupientes adimplere ultimam voluntatem testamentaliter factam olim prefati nobilis Laurentii genitoris sui.. inter se talem fecisse contractum et concordiam, ita quod matri ipsorum Agnethi XXX marcas, Iohanni XX et Anne sorori germane dictorum fratrum XX per prefatum olim nobilem Laurentium testamentaliter legatas quilibet eorum recognovit de facto iam recepisse; tandem iuxta ordinationem paternam dictus Iohannes frater senior omnes res domesticas et suppellectilia domestica, equos, pecora, agros etc. possidebit et pro se accipiet et cum Agnetha matre in eisdem bonis manebit et eam ad mortem servabit, cum ipsaque rem domesticam et familiam etc. providebit.. ex eisdemque etiam bonis hereditariis et supellectili domestica Mathie et Sebestiano ad studium Cracoviense et que ad hec necessaria fuerint ut expensas et libros etc., ut honeste in studio stare possint, per biennium sive decursum duorum annorum apponere ac eos in talibus providere debet et tenebitur. Item Annam virginem germanam eorum dictus Iohannes in victu, vestimentis et aliis, ut ad virginem decet, ut honeste incedat et incedere possit, usque dum maritum duxerit, et in omnibus licitis et honestis providere debet et nuptui tradere tenebitur, que circa matrem manebit; XX tamen marcas, que ei per patrem ipsius sunt legate et donate, pro dote reservando, sed ex suis bonis tenebitur eam providere. Item Albertus frater eorum iuxta mandatum et ultimam voluntatem patris eorum olim Laurentii in dictis XX marcis per patrem ei datis et legatis debet esse contentus nec pro aliqua propinquitate quemquam illorum amplius impediet. Ipseque Iohannes iam in omnibus bonis hereditariis mobilibus et immobilibus modo premisso debet esse

[1]) W ostatniej chwili, dzięki uprzejmości ks. Pralata Stanisława Chodyńskiego, mogłem korzystać ze świeżo odszukanej księgi konsystorza kaliskiego z lat 1523—1528. Wypisy z tej księgi, którą oznaczamy sygn. VII. B., stanowią uzupełnienia do materyału, pomieszczonego w Tomie II (str. 899—932) i Tomie III (str. 357—364) niniejszego wydawnictwa.

liber et pacificus perpetuo nec pro talibus ab aliquo impediri.. debet; sin autem aliquis eorum mortuus fuerit, extunc huiusmodi XX marce ad ipsos proximiores equali divisione cedere debent; ad quod omnes unanimi consensu et voluntate presentes, volentes voluntati paterne satisfacere, consenserunt tenereque compromiserunt sub censuris ecclesiasticis..

A. 1523, Iunii 12, in consistorio.

918. (Acta offic. VII. B.). Honor. Albertus de Plomykow executor per dnum deputatus mandatò domini retulit se citasse generosum dnum Simonem Zlothkowski gladiferum Calissiensem ad instantiam honor. dni Stanislai plebani in Zegoczyno, cui horam tertiarum diei presentis pro termino assignavit. Ibidem prefatus honor. Stanislaus plebanus proposuit verbo et generaliter contra prefatum generosum dnum Simonem Zlothkowski gladiferum, quomodo sibi pro cantatura psalterii, duplicibus vigiliis, conductu et IX missis, cum funus sue domine et uxoris sepellire debuit, non solvit, et funus eiusdem sine suo consensu ante magnum altare sepellivit cum sacramentoque ei unosemel ad suam curiam, asserens infirmum fore, venire fecit, qui cum iret stetit satis dudum ante curiam ipsius et attendendo se fore collusum contra cum sacramento ad ecclesiam rediit. Item pro festo Pasche in excommunicatione existens ad ecclesiam veniens missam et divina audire voluit et maximam distractionem sibi plebano et parochianis fecit; et cum divina non peragerentur [1]), coram eo plebanum infamavit ei vituperando, nominando.. eum defraudatorem, canem adulterinum, latronem et alia quam plurima mala et pessima verba [proferendo], extimando singula ad XL marcas, petens eum in eisdem condempnari mediante iustitia. In presentia ex adverso generosi dni Simonis Zlothkowski gladiferi respondentis ad premissa animo.. litem contestandi, allegantis solutionem pro psalterio et aliis per Margaretham virginem filiam suam unius fertonis, cupiens videre, ubi statueretur magis a talibus solvere. Ubi plebanus prestitit corporale iuramentum ad s. Ewangelia, quod fertonem non a Margaretha filia sua virgine recepit, sed a dna Zegoczska tanquam in subsidium et meliorationem sibi dantis; et quod etiam certas litteras infamie sibi scripsit, quas ibidem produxit plebanus in vulgari. Quoad infamiam, quod eum canem aut defraudatorem nominaret, negavit, sed quod eum adulterum nominavit aut qui inordinate tanquam indignus presbiter divina perageret, hoc approbavit et confessus est, offerens se ea probaturum tempore suo. Quod plebanus ambulavit cum communione ad eius curiam, negavit et dixit se de talibus nichil scire. Et dominus a psalterio et vigiliis aduc mediam marcam ad tertium fertonem decrevit sibi plebano per ipsum dnum gladiferum solvendumo Et ibidem per Albertum vicarium Calissiensem monitus, ut in quindena ipsam. mediam marcam solveret pro missis, promisit solvere duobus presbiteris, quibus non sit solutum. De harasio, quod in feretro erat, decrevit dominus ornatum pro ecclesia faciendum.

919. (Ibidem). Honor. Albertus de Plomykow vicarius Calissiensis executor per dominum ad petitionem generosi dni Simonis Zlothkowski datus retulit se mandato domini honor. dnum Stanislaum plebanum in Zegoczyno reconve niend

---

[1]) Cod. peragentur.

ad instantiam generosi dni Simonis Zlothkowsky gladiferi Calissiensis pro die hodierna citasse ad horam presentem. Ibidem prefatus generosus dnus Simon Złothkowski.. contra predictum honor. Stanislaum plebanum in Zegoczyno reconveniendo eum proposuit, quomodo ipse anno presenti diebus dominicis et festis circa denuntiationem excommunicatorum dictum dnum Simonem publice in ambona coram populi multitudine.. diffamavit in hec et similia ac peiora verba dicendo: qui eum in domum susciperent aut ad eum venirent et cum eo participarent, tales excommunicabuntur et per tres annos a Rmo dno Archiepo corrigentur, quia tales excommunicati ut canes post et extra cimiterium debent iacere; item quod ad eum in magnam campanam tanquam interdicto suppositum pulsavit in unam partem campane, extimans huiusmodi iniuriam et infamiam ad CC marcas.. petens eum in eisdem condemnari.. Ex adverso honor. Stanislaus plebanus [1]) propositioni predicte respondendo allegavit, quod ipse pronuntiavit eum excommunicatum, prout processus sonabat et iuxta continentiam processus superreaggravationis, et ad campanam magnam pulsabat non ad eum, sed ad dnum Soboczski, qui sententia excommunicationis et interdicti excommunicabatur, in propositioneque contenta negavit.. Generoso dno Simone gladifero probaturum se offerente, et probabit, quando placebit, intentionem suam.

A. 1523, Septembris 28, in consistorio.

920. (Acta offic. VII. B.).. Religiosus pater Gregorius de Myednyewycze predicator ordinis Minorum s. Francisci de observantia.. quasdam litteras concordie sub titulo et sigillo Rmi.. dni Iohannis D. g. Archiepi Gnezn. et primatis.. petiit.. ad acta presentia introduci.. Et dominus.. mandavit.. quarum tenor sequitur..

A. D. MDXXIII die XXIII m. Septembris in Sqwyrnyewicze.. personaliter constituti honor. et religiosi Gregorius de Myednyewycze predicator ordinis Minorum s. Francisci de observantia, vicesgerens Rdi patris ministri principalis, et Valentinus de Magna Coszmyn gwardianus monasterii ordinis s. Francisci ecclesie s. Stanislai in Calisch sponte et libere talem inter se concordiam pro duobus fratribus regularibus, videlicet Gregorio pileatoris de Calisch et Mathia fratre altero, [fecisse recognoverunt], quod videlicet ipse frater Gregorius predicator prefatus admisit et admittit libere eidem fratri Gregorio pileatori apud eosdem fratres conventuales in eorum monasterio manere neque ulterius illum ex eodem conventu fratrum conventualium repetere debebit; ipse etiam frater Valentinus gwardianus eundem alium fratrem Mathiam, quem in suo conventu fovet, eisdem fratribus de observantia ad eorum monasterium libere extradere, neque ab eo tempore alios quoscunque fratres, quos aufugere a fratribus predictis de observantia ad ipsius monasterium aliquando in futurum contingeret, suscipere debebit, sed libere tales fratres profugos extradere eisdem fratribus debebit, ad quod faciendum se sub censuris ecclesiasticis obligavit.. presentibus, etiam sub privatione suorum conventuum. Insuper dictus frater Valentinus gwardianus consensit per expressum.. quod quociescunque et quandocunque dicti fratres de observantia fratres ipsius conventuales ex eius monasterio Calissiensi per villas aut

[1]) Cod Stanislao plebano.

oppida in calepedibus alias *na trepkach* incedentes mendicantes more ipsorum invenerint et apprehenderint, extunc prefati fratres de observantia a dictis fratribus conventualibus totam elemosinam impetratam libere in tali casu recipere pro se suoque monasterio debebunt sine aliqua contradictione ipsorum..

A. 1525, Ianuarii 27, in consistorio.

921. (Acta offic. VII. B.). Famati dni Paulus Cokoska preconsul et Petrus Ponyeczski consul Calissienses parentes monitorio, pro parte honor. dni Andree de Wartha vicarii Calissiensis occasione trium marcarum census et fundi sue vicarie retenti contra eos emanato, reposuerunt unam cum media marcas et II gr. allegantes moderationem in tertia parte eis factam, prout et aliis omnibus beneficiatis, qui census in pretorio habent, petentes se iuxta moderationem eis per commissarios R. Mtis factam conservari. Et dominus iuxta moderationem factam eos conservavit, duas marcas solvendas et tertiam defalcandam decernendo. Tandem prefati consules allegaverunt, quomodo multotiens ad eum mittebant, ut exactionem regalem de domo, quam possidet, in iure civili sitam, solveret, qui solvere noluit; unde ipsi timentes, ne per ipsius incurabilitatem negligentia in extradenda exactione R. Mtis committeretur et penam luerent iuxta dispositionem antiquorum regestrorum, que regestra ibidem reproduxerunt, prout de eadem domo solvebatur, XI scotos ad eandem exactionem regalem imposuerunt, quos ex eodem censu defalcaverunt; prefato dno Andrea instante et petente, ut census ex integro solveretur, tandem ut pro exactione conveniatur. Et dominus decrevit, ut I½ marcam et II gr. Andreas reciperet repositas et pro XI scotis actionem coram Rmo dno [pro] felici [ipsius] in Calisch ingressu reservando; a quo decreto Andreas verbo appellavit..

A. 1525, Maii 15, in pretorio Calissiensi.

922. (Acta offic. VII. B.).. Generosa dna Margaretha Myleyewska uxor legitima nobilis Stanislai Wydawski unacum magnif. dno Iohanne Cobilenski castellano Rospyerzensi tanquam tutore suo personaliter comparentes in presentia mei notarii et testium infrascriptorum dederunt.. ad servandum et fidele depositum famatis dnis Paulo Kokoska preconsuli et consulibus civitatis Calissiensis ibidem tunc presentibus CCCC et XXX minus una marcas pecunie numerate in mediis latis grossis.. quequidem CCCCXXIX marce nulli debent extradi neque dari per consulatum, nisi tunc prefata gener. dna Margaretha Mylyeowska sola presente personaliter et cum magnif. dno Iohanne Cobilenski, quamdiu vixerit; et casu vero, quo magnif. dnus Iohannes Cobilenski castellanus Rospyerziensis decederet, extunc ipsa domina sola per se non accipiet nisi cum nobili Georgio Syemykowski seu ipsius coniuge Hedvigi sua vero sororina; et post suam mortem nulli alteri debent extradi, nisi nobili Hedvigi Ossyenska uxori legitime nobilis Georgii Syemykowski cum eodem Georgio Syemykowski marito suo; sin autem tempore medio prefatam dnam Margaretham Mylyeowska ex hac luce decedere et mori contigerit, extunc per modum testamenti et tanquam ultimam voluntatem denuntiando extunc prout exnunc dedit, donavit et legavit.. nobili Hedvigi Ossyenska uxori legitime nobilis Georgii Syemykowski cum marito illius CCC marcas pro emendis aliquibus bonis terrestribus et XXIX

marcas pro defensione ab aliis sororibus et amicis proximioribus ac quibuscunque aliis personis; que bona pro CCC marcis prefatis cum aliquo bono amico sive executore etiam aliis non requisitis debet emere pro se et pro suo marito dicta Hedvigis tantummodo convertere. Sin autem prefatam Hedvigim Ossyenska dicte Margarethe sororinam mori contigerit, extunc predicte CCC marce pro pueris dicte Hedvigis debent converti et bona emi. Quas CCCCXXIX marcas dicta Margaretha ab aliis omnibus sororibus, amicis ac proximioribus alienavit et removit.. vigore huiusmodi testamenti, quod solum valere vult et ratum esse, esto quod alia conficeret sub data posteriori et in quibus similis specificatio esset, a quibus in toto recedit et illis.. derogat perpetuo per presentes. Item prefata gener. dna Margaretha Mylyeowska C marcas cum ex hac luce decederet, executoribus infrascriptis dandum et pro anima sua pro tricesimis et ad alia pia opera, prout melius eis videbitur, convertendum.. commisit. Item prefata gener. dna Margaretha Mylyeowska executores et tutores huiusmodi sui testamenti fecit.. videlicet magnif. et gener. dnos Iohannem Cobilenski castellanum Roszpyerzyensem, Martinum Drzyewyeczski et Stanislaum Syemykowski.. Presentibus ibidem gener. et nobilibus dnis Cristofero Biszkupski burgrabio castri Calissiensis, Gregorio Corzenyczski, Mathia Zlothnyczski, Andrea Swathnyczski de Poszwyathne et Bartholomeo Staviski notario civili testibus ac me Andrea actorum notario.

A. 1525, Septembris 15, in consistorio.

923. (Acta offic. VII. B.). Hic dnus Officialis propter pestem validam a iudiciis cessavit et omnes causas suspendit.

A. 1525, Novembris 13, in consistorio.

924. (Acta offic. VII. B.).. Nobiles Mathias et Nicolaus Shymanowsczy citato.. nobili Mathia Thomiczski.. proposuerunt contra eum, quomodo ipse in preiudicium eorum sine ipsorum voluntate tanquam patronorum in ecclesia parochiali in Shymanovicze scabellum suum locavit in loco priori, estimantes iniuriam ad XXX marcas. Ex adverso.. nobilis Mathias Thomyczsky petiit terminum deliberandi..

A. 1526, Ianuarii 15, in consistorio.

925. (Acta offic. VII. B.). Mgr. Stanislaus baccalarius procurator nobilis Mathie Tomyczski.. petivit [cogi] nobiles Nicolaum Beda et Mathiam Shymanowski ad respondendum propositioni vel alias concludendum in causa; ipsis allegantibus, quomodo ipsi maiorem partem bonorum in villa Shymanowycze habent et ipse Mathias minus; ideo non veniet ei locatio scabelli in primo loco in ecclesia; offerentibus insuper se probaturos et probabunt.

A. 1526, Aprilis 30, in consistorio.

926. (Acta offic. VII. B.). Honor. mgr. Stanislaus de Radomskye baccalarius in decretis procurator legitime per generosum dnum Stanislaum Shyszkowski capitaneum Opathoviensem ad acta constitutus.. petivit.. honor. dnum Andream vicarium Calisiensem compelli ad respondendum propositioni.. in presentia dicti

Andree petentis se ad capitulum Gnezn. vel Rmum dnum Archiepum remitti simpliciter; quem dominus ob non responsionem propositionis declaravit; a qua declaratione seu sententia excommunicationum Andreas verbo appellavit allegans dnum Officialem temerarie contra eum procedere et quod non tenetur dare sexagenam et in carceribus sedere..

927. (Ibidem). Idem mgr. Stanislaus procurator generosi dni Stanislai Shyszkowski capitanei Opathoviensis citato honor. Andrea vicario Calissiensi per Stanislaum campanistam.. proposuit.. quomodo ipse Andreas.. f. VI prox. preterita in facie iudicii pluribus astantibus prefatum dnum Stanislaum Shyszkowski publice voce sonorosa nominavit et appellavit calumpniatorem et auctorem falsi, ipsius famam denigrando, dicendo in hec verba: Dne capitanee, poteris me accusare calumpniose et falsis verbis coram Rmo dno Archiepo, — extimando iniuriam ad C ducatos alias iuxta autenticum dni Officialis, et ratione diffamationis in penam talionis ipsum decerni petendo..

A. 1526, Maii 2, in consistorio.

928. (Acta offic. VII. B.). Honor. dnus Andreas vicarius Calissiensis citato.. honor. dno Stanislao baccalario iuris procuratore legitimo generosi dni Stanislai Shyszkowski capitanei Opathoviensis petivit se a sententiis excommunicationum, quibus ratione contumacie ob non responsionem propositioni fuerat innodatus, per dominum ad causam absolvi. Ex adverso mgro Stanislao procuratore dni Shyszkowski allegante eum absolvi non debere nisi purgatis processibus; qui purgando processus absolutus [est] a sententiis excommunicationum ad causam. Et ibidem respondendo propositioni contra eum emanate dixit, quod non tenetur dare unam sexagenam, cum incarceratus pro excessu sit per Rmum dnum Archiepum Gnezn. etc., allegando, quod afflicto afflictio non est addenda. Et dominus ex confessatis ipsius Andree, quod incarceratus fuerit, decrevit, ut secundum antiquam consuetudinem unam sexagenam a carceribus solveret dno capitaneo..

A. 1526, Augusti 6, in consistorio.

929. (Acta offic. VII. B.). Nobiles Nicolaus Iaroschewski, Iohannes Turski et Beata relicta olim Andree Turski coram domino.. constituti recognoverunt inter se talem facere concordiam, ita quod anno presenti Beata vidua decimam locabit in sua curia, sequenti anno nobilis Nicolaus Iaroschewski similiter ipsam decimam locabit, tercio anno nobilis Iohannes Turski; et sic ordinarie semper tenebunt. Kmethones post araturas eorum conducent soli decimam, si quid arabunt et seminabunt pro se, tunc tenebuntur eam conducere, ubi locata fuerit; sed post araturas nobilium ipsorum et quod pro eorum parte seminabitur, ille tenebitur conducere nobilis, ad quem protunc ipsa decima locabitur, et sic successive ipse partes semper et eviterne tenere debebunt et eorum successores sub censuris et vadio X marcarum..

A. 1526, Septembris 24, in consistorio.

930. (Acta offic. VII. B.).. Laboriosi omnes kmethones de Gadowo.. coram domino constituti quendam actum in pergameno scriptum ex actis dni

Archiepi sub titulo et sigillo subappenso de clenodio Corab sue Rme Ptis reproduxerunt timentesque de ammissione eiusdem petierunt illud ad acta presentia introduci.. cuius actus et littere tenor.. est talis:

A. D. MDXXII d. XXVI Novembris in Calisch honor. dnus Stanislaus de Radomskye procurator honor. mgri Mathie plebani in Dzyrbyno.. contra kmethones de Gadowo.. proposuit verbo, quia ipsi decimam manipularem, quam iure parochiali ex agris suis dare tenentur, plebano et ecclesie sue prefate in Dzyrbino dare recusant neque illam alteri cuipiam dant, petens ipsos ad dandum eandem decimam compelli. Ex adverso laboriosi Clemens Rathay et Albertus Kusz kmethones dicte ville suis et aliorum kmethonum vicinorum suorum nominibus excipiendo allegarunt a temporibus legitime prescriptis se nunquam decimam ex agris suis dicte ecclesie in Dzyrbino dedisse preter id quod duntaxat plebano et ecclesie sue ex antiqua consuetudine se obligatos dare et solvere consuevisse allegarunt per unum gr. pecuniarum et unum coretum avene, petentes se circa consuetudinem huiusmodi conservari et ab impetitione plebani super hoc absolvi. Et dnus Cancellarius curie auditis partium allegationibus et responsis eosdem kmethones ab instantia et impetitione plebani super decima huiusmodi absolvit decrevitque id ei per eosdem kmethones solvendum, quod ex antiqua consuetudine dabant et solvebant..

A. 1526, Octobris 3, in consistorio.

931. (Acta offic. VII. B.).. Honor. dni Andreas plebanus in Pyathek et Mathias presbiter de Byelawy recognoverunt inter se talem fecisse contractum, ita quod ipse dnus Andreas plebanus prefato dno Mathie arendavit omnes et singulos proventus dicte ecclesie, videlicet decimas, missalia, mensalia cum oblationibus et omnibus accidentiis quomodolibet ad ipsam ecclesiam parochialem in maiori Pyathek provenientibus, nisi exceptis agro sive predio plebanali incipiendo a festo s. Iacobi prox. preterito usque ad decursum trium annorum quolibet anno per XV marcas solvendo. Et ibidem prefatus dnus Mathias ratione huiusmodi arende et percepcionis fructuum libere per expressum obligavit se.. [solvere] prefato dno Andree plebano pro singulis festis Nativ. Dni singulis annis ad decursum III annorum incipiendo a prox. venturo VII½ marcas, et pro Penthecoste similiter VII½ marcas festis se continue et immediate sequentibus: contributionem, dum advenerit, ipse dnus Mathias solvet, visitationem archidiaconi expediet et ad sinodos visitabit. Item prefatus dnus Mathias tenebitur duo allodia tegere et palatium ante albam domum et nigram domum novis straminibus; sin autem aliquod dampnum ignis, aque, belli, grandinum evenerit et contigerit, stabit arbitrio bonorum virorum, qui iuxta dampnum solutionem decernent. Si autem aliquod ex edificiis infra hoc triennium destructum fuerit, hoc ipse dnus Mathias tenebitur reformare, sepes et alia, ne curia destruatur. Item ipse dnus Mathias per tempus arende ortum ad dotem plebanalem pertinentem debet pacifice possidere et uti sine cuiusvis impedimento..

A. 1527, Maii 24, in consistorio.

932. (Acta offic. VII. B.).. Nicolaus Rozek de Cobyele filius Petri coram domino et ad acta constitutus personaliter recognovit libere, quia propter in-

carcerationem, quam ex quadam suspicione ex ignorantia consedendo cum quibusdam latronibus pro tempore per consulatum Calissiensem detentus sustinuit, ab eadem incarceratione per vener. dnum Stanislaum canonicum Calissiensem per cautionem fideiussoriam eliberatus extitit, quem dnum canonicum obligat se evincere et eliberare ab omnibus impedimentis; item quod consulibus et toti communitati Calissiensi non diffidabit per se nec alios sub iuramento per eum prestito et carcerum penis, ita quod si diffidaverit, licebit eum dno Stanislao cum adiutorio consulatus Calissiensis detinere et incarcerare sub carcerum pena et censuris..

A. 1527, Iunii 14, in consistorio.

933. (Acta offic. VII. B.).. Vener. dnus Andreas ecclesie collegiate s. Anne Calissiensis custos.. proposuit contra honestam Zophiam de Coschmynek, quomodo ipsa anno presenti et die certo coram fidedignis personis angulose et tandem publice animo iniuriandi et famam ipsius dni custodis denigrandi nominabat et appellabat ipsum dnum custodem fornicarium et procreatorem quorundam puerorum et interemptorem eorundem minusiuste suamque iniuriam ad C ducatos extimat.. petens eandem in eisdem C ducatis condempnari et ad revocationem eorundem verborum compelli iustitia sancta mediante, in presentia dicte Zophie negantis narrata.. allegantis insuper, quod si aliquando aliquid dixit, hoc ex suggestione honor. Mathie predicatoris ad s. Annam fecit, revocando ea, si que verba ioco et non animo iniuriandi dixit, prout ibidem revocavit.. Et dnus Officialis ex officio suo.. contra eandem Zophiam vadium XXX marcarum alias et penam carcerum de silentio habendo interposuit et decrevit, quas penas ipsa Zophia in se libere assumpsit in contrarium faciens..

A. 1527, Iulii 12, in consistorio.

934. (Acta offic. VII. B.).. Providus Stanislaus pellifex de Calisch citatus ad instantiam vener. dni Stanislai canonici Calissiensis ad abolendam infamiam sibi dno canonico minus iuste per certos suos emulos illatam coram dno Officiali apud acta presentia publice medio iuramento recognovit, quia ad petitionem suam et persuasionem doctoris in medicinis pro remediis ad matrimonium concernentibus ad apotecam per Laurentium Wywytha dictus dnus canonicus direxerat eidem Stanislao per uxorem suam propter quandam impotentiam spreto; in presentia prefati dni Stanislai canonici petentis huiusmodi recognitionem ad acta propter purgandam ipsius infamiam redigi. Et dominus decrevit eundem dnum canonicum innocentem fore huiusmodi infamie.

A. 1528, Martii 23, in consistorio.

935. (Acta offic. VII. B.).. Dnus decrevit, ut nobiles in Woyslavicze decimam manipularem ordinarie locarent quilibet uno anno per se, sed nobilis Mathias Shyak, qui medietatem ville habet, per duos annos insimul locabit alii vero per unum duntaxat annum, que decima pertinet ad vicarium pro tempore existentem in Chlewo; et ille, ad quem decima locabitur, medietatem straminum et emptor aliam medietatem straminum illius decime percipient..



EDITIONUM COLLEGII HISTORICI ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS N. 76.

MONUMENTA MEDII AEVI HISTORICA

RES GESTAS POLONIAE ILLUSTRANTIA.

TOMUS XVIII.

CONTINET:

ACTA CAPITULORUM NEC NON IUDICIORUM ECCLESIASTICORUM SELECTA.

VOLUMEN III. PARS II. FASCICULUS I.

WYDAWNICTWA KOMISYI HISTORYCZNEJ AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI W KRAKOWIE N. 76.

POMNIKI DZIEJOWE WIEKÓW ŚREDNICH

DO OBJAŚNIENIA RZECZY POLSKICH SŁUŻĄCE.

TOM XVIII.

ZAWIERA:

AKTA KAPITUŁ I SĄDÓW BISKUPICH.

TOM III. CZĘŚĆ II. ZESZYT I.

W KRAKOWIE
NAKŁADEM AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI
SKŁAD GŁÓWNY W KSIĘGARNI G. GEBETHNERA I SPÓŁKI W KRAKOWIE,
GEBETHNERA I WOLFFA W WARSZAWIE
1918.


...RICI ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS
Nr. 76.

...UMENTA
...VI HISTORICA
...POLONIAE ILLUSTRANTIA

...OMUS XVIII

...LORUM NEC NON IUDICIORUM
...IASTICORUM SELECTA
...III. PARS II. FASCICULUS I.







AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI W KRAKOWIE
76

ITULORUM

NON

CLESIASTICORUM

ECTA

DIT

NOWSKI


S II. FASCICULUS I.

OCORUM AD ACTA QUAE IN
PARTE I CONTINENTUR.

TORE

CZUBEK





Z DRUKARNI UNIWERSYTETU JAGIELLOŃSKIEGO POD ZARZĄDEM JÓZEFA FILIPOWSKIEGO.

WSTĘP.

Układanie indeksu imiennego do aktów średniowiecznych przedstawia pewne trudności, które nawet dla korzystającego zeń badacza nie są obojętne, gdyż dopiero poznawszy sposób, w jaki układający starał się je rozwiązać, ułatwi sobie tem samem szybkie znalezienie nazwy, o którą mu chodzi.

Przedewszystkiem alfabet i ortografia. Panuje tu jeszcze brak ustalonych zasad, a może nieporządek i dowolność. Gdybyśmy się np. chcieli trzymać ortografii oryginału, to nazwy polskie na *K* musiałyby się znaleźć pod czterema literami alfabetu: *C, K, Q, X,* gdy w rzeczywistości *Q* i *X* zastępują tylko nasze grupy spółgłoskowe *Kw* i *Ks*, głoska *C* znowu używana bywa zwyczajem łacińskim już to w swojem właściwem brzmieniu, już też w brzmieniu spółgłoski *K.* Nasze *F* oddają akta niekiedy przez *F*, częściej jednak przez *Ph*, *G* ma niekiedy obok swojego brzmienie *I*, a to znowu zastępuje nasze trzy głoski: *I, J, Y*; *S* pisze się niekiedy przez *Z* i naodwrót *Z* przez *S*, *W* lub *V* trzeba niekiedy czytać *U.* Znaków miękczących albo wcale niema, albo są odmienne od naszych i nadomiar jakiejś jednostajności w ich użyciu dopatrzyć się nie można. Z tego poplątanego gąszczu było możliwe jedno tylko wyjście: nazwy polskie porządkować alfabetycznie wedle obecnej ortografii polskiej, nazwy łacińskie wedle ortografii łacińskiej; a więc Filipki (wieś) pod *F*, ale Philipppus pod *P*, Xansch pod *K*, ale Xenophon pod *X*, Queczyszewo również pod *K*, ale Quintilianus pod *Q*. — *C* i *K* wreszcie tak się wyręczają i zastępują nawzajem, i to nie tylko w początkowych, ale i w środkowych zgłoskach, że ich rozdzielić nie można (Cicowo może być Cycowo i Cikowo). Natomiast *U*, stanowiące zwykle w indeksach wspólną grupę z *V* i *W*, dało się w polskich nazwach z łatwością wyłączyć, tak że stanowi osobną grupę *U.* Dodać należy, że wszelkie zboczenia alfabetyczno-ortograficzne od dzisiejszej normy są zaznaczone pod niewłaściwą literą, ale z odsyłaczem do właściwego ich miejsca; Huyma np. znajduje się pod *H*, ale z uwagą: vide *Ujma.*

Inną trudność, a raczej wątpliwość sprawiały imiona chrzestne. U osób nieszlacheckiego pochodzenia zastępuje one bardzo często całe nazwisko, a dodana nazwa wsi oznacza tylko miejsce stałego ich zamieszkania, gdy tymczasem

nazwa wsi przy imionach szlacheckich z zwykłym dodatkiem *de* (rzadziej *in*) zastępuje dzisiejsze nazwisko rodowe *-ski (cki)*, które też i w tej formie przymiotnikowej należy już do zjawisk pospolitych, a dość często obie formy występują albo naprzemian, albo nawet obie razem obok siebie. W pierwotnem opracowaniu każda osoba była dwukrotnie, niekiedy nawet trzykrotnie wymieniona: raz pod imieniem, drugi raz pod wsią (miejscem pobytu lub posiadłością), trzeci raz pod miastem (dygnitarze duchowni i świeccy). Pokazały się jednak tak wielkie niedogodności, a przedewszystkiem nieskończone szeregi imion chrzestnych, że pomijając już zwiększoną objętość, a więc i koszty druku, korzystanie z indeksu byłoby wielce utrudnione. Przyjęto więc zasadę, żeby osobę wymieniać tylko raz, a to pod nazwą wsi (lub posiadłości), a imiona zatrzymać w alfabecie tylko, jeżeli pewna osoba poza tem niema innego określenia. Dygnitarze duchowni i świeccy, a nawet mieszczanie musieli być jednak dwukrotnie wymienieni, raz pod właściwem nazwiskiem (lub imieniem), i to ze wszystkimi cytatami, drugi raz pod miastem z odsyłaczem do nazwiska. Zasada ta nie jest zupełnie ściśle przeprowadzona; gdzie bowiem pod miastem był cytat jeden lub dwa, tam już odsyłacz się nie opłacał i osoba wymieniona jest dwukrotnie. Bezpieczniej jednak szukać pod nazwiskiem.

Ale nasza nomenklatura średniowieczna nie trzyma się, jak wiadomo, jednolitej zasady: ta sama osoba, zwłaszcza duchowna, występuje nierzadko w trojakiej a nawet czworakiej postaci, a zawsze na oko odmiennej: raz pod samem tylko imieniem chrzestnem, to znów do imienia dodaje się herb albo imię ojca jako nazwisko, lub też właściwe nazwisko: nazwę wsi z *de* lub formę przymiotnikową *-ski*, *-cki*. Mało tego: istnieją już stałe nazwiska o formie przymiotnikowej, do których się przyłącza nazwa posiadanej wsi zupełnie odmiennego tematu, wreszcie taż sama osoba nazywa się na różnych miejscach inaczej. Znany arcybiskup lwowski Borzyszewski np. występuje albo pod samem tylko imieniem *Andreas*, to znów *Andreas Rosa* (herb Róża, i tak go też nazywa Trzecieski w żywocie Reja), wreszcie *Andreas de Borzyszewicze*. Biskup krakowski Jan Lutkowic z Brzezia nazywa się w naszych aktach albo *Johannes* albo *Johannes Luthconis* (z czego zrobiono *Luthco*), wreszcie *Johannes Luthconis* lub *Luthco de Brzezie*. *Spinek* lub *Wspinek* jest przydomkiem czy może dawnem nazwiskiem rodziny Będkowskich *(de Bandkow)*, Sokołowscy piszą się *de Wrancza*, a biskup Piotr Bniński nazywa się także Moszyńskim. Nie było innego sposobu wydobyć się z tej gmatwaniny, jak tylko wybrać jedną z nazw i traktując ją jako główną, skupić koło niej wszystkie inne i przytoczyć przy niej wszystkie cytaty, resztę zaś nazw zaopatrzyć na właściwych miejscach w odsyłacze. Najtrudniejsza sprawa była z imionami duchownych, przy których akty bardzo często opuszczają nazwisko. Gdzie ani przez porównanie kilku miejsc ani przy pomocy dzieła ks. Korytkowskiego (Prałaci i Kanonicy katedry metrop. gnieźnieńskiej) tożsamość stwierdzić się nie dała, tam pozostawiono nietknięty stan rzeczy taki, jaki podają akty.

Poza alfabetem należało zwrócić uwagę na materyał, nagromadzony pod nazwami wsi i miast i uporządkować go wedle pewnej zasady. Przy małych miejscowościach wystarczyło stworzyć dwie grupy: mieszkańców, uporządkowanych alfabetycznie według zawodów, i właścicieli (szlachty), przyjmujących nazwisko od posiadłości zwykle z przyimkiem *de*, rzadziej *in*. Do tej drugiej grupy z *de* trzeba było zaliczyć także nazwy mieszczańskie, które lubo mają ten sam kształt gramatyczny (z *de*), oznaczają jednak pochodzenie, a nie posiadanie. Przy miastach większych (stolicach biskupich lub ziem i województw) do tych dwóch grup dodano jeszcze dalsze dwie: dygnitarzy kościelnych (*Ecclesiastici*) i świeckich (*Saeculares*) i wsunięto między grupę pierwszą a drugą.

Nawiasów używano dwojakich: okrągłych i prostokątnych czyli klamer; pierwsze obejmują dzisiejszą formę wyrazu, w drugich zamyka się szczegół, wydobyty z aktów domysłem układającego.

W indeksie niniejszym spotka się badacz z pewną nowością, którą wyjaśnić należy. Nazwy miejscowości występują w aktach albo same, bez żadnych dodatków, albo też znajdujemy obok nich pewne szczegóły jak: *advocatia*, *bellum*, *cerevisia*, *comitia*, *conventus*, *expeditio*, *ius*, *mensura*, *moneta*, *scultetia*, *synodus*, *tenuta*, *tenutarius* i t. p. Otóż zamiast obydwa wypadki traktować jednako, tj. cytaty jednego i drugiego rodzaju umieszczać tuż po nazwie, wyłączono owe rzeczowe szczegóły i ugrupowano alfabetycznie pomiędzy nazwami osobowemi. Stajemy w ten sposób na gruncie spornym między indeksem imiennym a rzeczowym; z uwagi jednak, że rzeczowe cytaty tak czy owak w indeksie znaleźćby się musiały, sądzimy, że odmienne nieco ich ugrupowanie żadnej nie przyniesie szkody, a nawet może być dla badacza pożądane, zwłaszcza że indeksu rzeczowego dotąd niema i w dzisiejszych trudnych okolicznościach tak rychło spodziewać się go nie można.

W końcu zaznaczyć należy, że indeks obejmuje akty kapituł i sądów duchownych, wydane w Monumenta medii aevi historica t. XIII, XVI i XVIII, jako tomy I, II i III, część I, a wyczerpująco, częściowo przynajmniej, materyał historyczno prawniczy dyecezyj: gnieźnieńskiej, poznańskiej, kujawskiej i płockiej. Pozostałyby jeszcze do ogłoszenia akty krakowskie; te jednak, lubo zebrane już i przygotowane do druku, czekać muszą pomyślniejszych dla wydawnictwa czasów, tak samo jak indeks rzeczowy.

J. C.

Objaśnienie.

Cyfry rzymskie przy imionach oznaczają tomy (z wyjątkiem t. I, który nie jest oznaczony); cyfry arabskie odpowiadają bieżącym numerom, pod którymi zapiski są drukowane.

Skrócenia.

advoc. – advocatus; archid. — archidiaconus; archiepus — archiepiscopus; b.— beatus; can.— canonicus; cancell. — cancellarius; cap.— capitaneus; castell. — castellanus; cler.— clericus; km. — kmetho; dec.— decanus; dioc. — diocesis; discr. — discretus; dna, dnus — domina, dominus; eccl. — ecclesia (-ae); epus — episcopus; fl. — fluvius; fr. — frater; g. — generosus; h. — heres; hns — honestus (-a); l. — laboriosus; min. — minister; mgr. — magister; n. — nobilis (-es); notar. — notarius; offic. — officialis; opp. — oppidum; oppid. — oppidanus (-a); pal. — palatinus; pleb. — plebanus; praepos. — praepositus; presb. — presbyter; presb. grac. — presbyter gracialis; procur. — procurator; prov. — providus (-a); rel. — religiosus; s. — sanctus; scult. — scultetus; secr. — secretarius; suffrag. — suffraganeus; v. — villa; vicar. — vicarius; vicar. perp. — vicarius perpetuus.

A.

[1] Wszystkie tytuły dzieł i nazwy autorów, częstokroć mylnie lub niedokładnie w tekście podane, sprostował i uzupełnił dr. Stanisław Zachorowski.

B.

C. K. Q. X.

D.

E.

F, Ph.

H.

I, Y.

M.

N.

P.

[1] Powtórzono z powodu pomyłki pod Aleksander.

[1] Cf. etiam Wladislaus.

[illegible]

S.

T.

U.

V, W.

[1] Pomyłka w tekście; ma być: Wigonowski, Mathias [de Crosznino].

[1] Może to być albo Wladislaus de Glamboczecz, albo Wladislaus de Poznania; ale który z nich, rozstrzygnąć się nie da, obaj bowiem byli dr. decr. i kanonikami gnieźn. i pozn. i w jednym czasie żyli.

X.

Z.

UZUPEŁNIENIA I SPROSTOWANIA.

Str.	3b	po wierszu	16	dodać:	Amsterdam, de, Johannes van Kampen III 902.
»	»	»	44	»	Andreas, custos eccl. colleg. s. Annae in Calisch III, 933.
»	4a	»	43	»	» notar. actorum III, 922.
»	4b	wiersz	17	przed Oppatov dodać: Calisch.	
»	»	»	32	1425 ma być po 1353.	
»	»	»	50	1677 » » » 1663.	
»	5b	po wierszu	13	dodać:	Arnoldus mgr. procur. III, 908.
»	6b	»	39	»	Banholt Johannes, civis Gedan. III, 902.
»	7a	»	33	»	Barenfoet Michael, Margaretha relicta III, 909.
»	8a	»	9	»	Bartram Laurencius, civis maioris opp. Gedan. III, 895.
»	8b	»	8	»	Beda n. Nicolaus III, 925.
»	»	»	31	»	Beeme Ekarius III, 896.
»	»	»	52	»	Benedictus, aurifaber [in Gedano] III, 899.
»	9a	»	11	»	Berkholcz Dorothea, Hedvigis soror III, 911.
»	»	»	41	»	Bernardus, presb. rector scolarum ad. s. Johannem [in Gedano] III, 888.
»	10b	»	14	»	Bylewy, in, presb. Mathias III, 931.
»	11b	»	39	»	Biszkupski Cristoferus, burgrabius castri Calisch. III, 922.
»	12b	»	16	»	Blomnaw Dorothea III, 889.
»	15b	»	26	»	Bornehollem Hinricus III, 899.
»	»	»	»	»	Borneholm, Bornholm Johannes, Katherina consors III, 895, 899.
»	16b	»	42	»	Brathfisch Petrus III, 899.
»	18a	»	33	»	Brust, in, pleb. Martinus III, 899.
»	20b	»	26	»	Buck Georgius, proconsul Gedan, III, 901.
»	»	»	55	»	Budden Paulus III, 900.
»	21b	»	12	»	Buskow Minor v. III. 893.
»	»	w wierszu	34	skreślić 2222, 2223.	
»	»	po wierszu	37	dodać:	de Buzenyn Stanislaus, can. Gnezn. 2222, 2223.
»	22b	w wierszu	21	po III, 868 dodać: 921, 930.	
»	23a	po wierszu	11	dodać:	consul Petrus Ponyeczski III, 921.
»	»	»	25	»	pellifex Stanislaus III, 934.
»	23b	»	44	»	vicar. Albertus III, 918.
»	»	»	»	»	» Andreas III, 926–928.
»	»	»	57	»	burgrabius Cristoferus Biszkupski III, 922.
„	24a	»	39	»	Gregorius pileatoris, fr. ord. s. Francisci in Calisch III, 920.
»	25a	»	52	»	Kampen, van, Johannes de Amsterdam III, 902.
»	28b	»	1	»	Ceppen Hippolitus III, 911.
»	29b	wiersz	23	»	2205, 2375.
»	»	»	24	zamiast II, 387, 498 ma być II, 387, 462, 498.	
»	29b	»	23	po 1854 dodać: 2105, 2375.	
»	»	»	24	» II, 387, dodać 462.	

Str.	30a	po wierszu	29	dodać:	Chlewo v. III, 935.
»	32b	»	35	»	Ciceronis libri II, 1192.
»	34b	»	3	»	Kisse Johannes III. 900.
»	35a	»	56	»	Clemens vlodarius III, 893, 894.
»	35b	»	7	»	Klepnyk v. III, 882. Clepper Nicolaus, Margaretha noverca III, 907.
»	36a	»	16	»	Kloncz Jacobus, capellanus eccl. s. Katherinae [in Gedano] III, 895.
»	36b	»	42	»	Cobilenski mgf. Johannes, castell. Rospier III, 922.
»	38a	»	4	»	pleb. Martinus de Ludberg III, 881.
»	39b	»	59	»	Konungkesberch opp. terrae Prussiae III, 903.
»	40a	w wierszu	39	dodać:	Corab clenodium III, 930.
»	40b	po wierszu	33	»	Corzenyczski Gregorius III, 922.

WYDAWNICTWA KOMISYI HISTORYCZNÉJ AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI W KRAKOWIE.

I. Monumenta medii aevi historica res gestas Poloniae illustrantia. K. h.

Kodeks dyplomatyczny katedry krakowskiej św. Wacława. Wyd. Dr Franciszek Piekosiński. T I 1874, 15 kor. (wyczerpane); Tom II, 1883. . . . . 28 —
Codex epistolaris saeculi XV. Tom I, 1876. Wyd. Dr. August Sokołowski i Józef Szujski. Tom II 1891, Tom III 1894. Wydał Dr. Anatol Lewicki . . . . 74 —
Kodeks dyplomatyczny małopolski. Wyd. Dr. Franciszek Piekosiński. Tom I 1876, Tom II 1886, Tom III 1887, Tom IV 1905 . . . . 81 —
Najstarsze księgi i rachunki m. Krakowa od r. 1300 do 1400. Wyd. Dr. Fran. Piekosiński i J. Szujski, 1878, 20 kor. (wyczerpane).
Kodeks dyplomatyczny m. Krakowa. Wyd. Dr. Franciszek Piekosiński. Tom I, 1879, 14 kor. Tom II, 1882, 28 kor. (wyczerpane).
Codex epistolaris Vitoldi M. Ducis Lithuaniae 1370—1430. Wyd. Antoni Prochaska, 1882. 36 —
Index actorum saeculi XV ad res publicas Poloniae spectantium. Wyd. Dr Anatol Lewicki, 1888 . . . . 26 —
Acta capitulorum nec non iudiciorum ecclesiasticorum. Wyd. Dr. B. Ulanowski. T. I, 1894, 20 kor., Tom II, 1901, 29 kor., Tom III część I, 1908, kor. 12, Tom III, część II, zeszyt I (indeks), kor. 20. . . . . razem 81 —
Rationes curiae Vladislai Jagellonis et Hedvigis regum Poloniae. Wyd. Dr. Fr. Piekosiński 1896. 18 —

II. Scriptores rerum Polonicarum.

Dyaryusze sejmów koronnych 1548, 1553, 1570. Wyd. Józef Szujski, 1872 . . . . . . 10 —
Kroniki Bernarda Wapowskiego część ostatnia Wyd. Józef Szujski, 1874 . . . . . . 12 —
Stefana Franciszka Medekszy księga pamiętnicza. Wyd. Dr. Władysław Seredyński, 1875 . 15 —
Pamiętnik zjazdu historycznego imienia Długosza. Wyd. Dr M. Bobrzyński i M. Sokołowski 1881 3 —
Ks. Jana Wielewickiego T. J. Dziennik spraw Domu zakonnego OO. Jezuitów u św. Barbary w Krakowie. Tom I, 1881. Wyd. Dr Józef Szujski, 8 kor., Tom II, 1886, 5 kor., Tom III, 1889, 10 kor., Tom IV, 1899, 7 kor. Wyd. Dr W. Chotkowski. . razem 30 —
Archiwum domu Radziwiłłów. Wyd. Dr August Sokołowski, 1885 (wyczerpane).
Dyaryusze sejmowe r. 1587. Wyd. Dr August Sokołowski, 1887 . . . . 5 —
Analecta Romana. Wyd. Dr Józef Korzeniowski, 1894 . . . . 12 —
Stanislai Temberski Annales 1647 - 1656. Wyd. Dr W. Czermak, 1897 . . . . 9 —
Dyaryusze sejmowe r. 1585. Wyd. Dr Aleksander Czuczyński, 1901 . . . . 10 —
Stanisława Oświęcima Dyaryusz 1643—1651. Wyd. Dr Wiktor Czermak, 1907 . . . . 9 —
Dyaryusze sejmowe r. 1597. Wyd. Dr Eugeniusz Barwiński, 1907 . . . . 10 —
Dyaryusze i akta sejmowe r. 1591 1592. Wyd. Dr Eugeniusz Barwiński, 1911 . . . . 10 —
Suentoslai Orzelski Interregni Poloniae Libri 1572—1576. Wyd. Dr Edward Kuntze 1917 20 —

III. Archiwum Komisyi historycznej

Tom I, 1878, Tom II, 1886, Tom III, 1886, Tom IV, 1888 (wycz.); Tom V, 1889, Tom VI, 1891, Tom VII, 1894, T. VIII, 1898, T. IX, 1902, T. X, 1916. T. XI, 1913, 108 —

IV. Acta historica res gestas Poloniae illustrantia.

Andrzeja Zebrzydowskiego, bisk. włocław. i krakow. korrespondencya. Wyd. Dr Władysław Wisłocki, 1878 . . . . 12 —
Pisma do wieku i spraw Jana Sobieskiego. Wyd. Fr. Kluczycki. Tom I, 1880, Tom II, 1881 po 15 —
Akta do dziejów Jana III, sprawy roku 1683. Wyd. Franciszek Kluczycki, 1883 . . . . 16 —
Archiwum spraw zagranicznych francuskie do dziejów Jana III. Wyd. Dr K. Waliszewski. Tom I, 1879, (wyczerpany); Tom II, 1881, kor. 10; Tom III, 1884, kor. 8 50.
Stanislai Hosii s. R. e. cardinalis epistolae. Wyd. Dr Franciszek Hipler i Dr W. Zakrzewski. Tom I, 1879 (wyczerpany); Tom II, cz. 1, 1886, cz. 2, 1888 . . . . 25 —
Prawa, przywileje i statuta m. Krakowa. Tom I, zeszyt 1 i 2, 1885, Tom II. zeszyt 1, 1890, zeszyt 2, 1892. Wyd. Dr Fr. Piękosiński, Tom II, zesz. 3, 1910, wyd. Dr Stan. Krzyżanowski . . . . razem 77 —
Lauda sejmików ziemi dobrzyńskiej. Wyd. Fr. Kluczycki, 1887 . . . . 9·50
Sprawy wojenne króla Stefana Batorego. Wyd. ks. Ignacy Polkowski, 1887 . . . . 14 —
Akta kapituł z wieku XVI wybrane. Wyd. Dr B. Ulanowski, Tom I, część I. 1908 . . . 8 —

V. Monumenta Poloniae historica.

Tom III, Lwów 1878, 26 kor.; Tom IV, Lwów 1884, 30 kor.; Tom V, Lwów 1888, 35 kor., Tom VI, Kraków, 1893, 22 kor. (t. III—V wyczerp.).

VI. Monumenta Poloniae Vaticana.

Tomus I: Acta Camerae Apostolicae vol. I 1207—1344; Tomus II: Acta Camerae Apostolicae vol. II 1344—1374, ed. Dr. Ioannes Ptaśnik, 1913 . . . . 36 —
Tomus III: Analecta Vaticana 1202—1366, ed. Dr. Ioannes Ptaśnik, 1914 . . . . . . 18 —
Tomus IV: I. A. Caligarii Nuntii Apostolici in Polonia Epistolae et Acta 1578—1581, ed. Dr. Ludovicus Boratyński, 1915 . . . . 30 —

Bibliografia hist. polskiej — ułożył Dr L. Finkel — część I — K 11·— (wyczerp.); Część II, zeszyt 1 — K 3·50 (wyczerp.); zeszyt 2 — K 4·80 (wyczerp.); zeszyt 3 — K 4·80 (wyczerp.); zeszyt 4 — K 3·60; Część III, zeszyt 1 — K 7·50; zeszyt 2 — K 6·—; zeszyt 3 i ostatni — K 15·50.


3 2044 017 967 175



